

32

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS IV. — PARS I.
DECADES IV. ET DIMIDIA V.

MCMXLI. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS IV. — PARS I.
DECADES IV. ET DIMIDIA V.

MCMXLI. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

SUMPTIBUS
SODALITATIS AMICORUM UNIVERSITATIS LITTERARUM
REGIAE HUNGARICAE FRANCISCO-IOSEPHINAE SZEGEDINENSIS
EDITAE



ARGUMENTUM DECADIS IV.

LIBER I. — 1-9. Mathias rex coronatur. - 10-13. Ioannes Vitesius episcopus Varadiensis comitatu Bihoriensi a rege donatur. - 14-16. Mathias rex certamine equestri delectatur. - 17-25. Mathias bellum parat contra Turcos; cohortes crucigerorum militum et Pius II. papa et cardinales et Veneti succurrunt. - 26-36. Mathias Zoynichum obsidet; Emericus Streverinchum capit. Zoynichus obsidione solvitur. - 37-44. Conventus Segediensis. Sechus archiepiscopus Strigoniensis moritur; successor eius Ioannes Vitesius. Oratores Romam mittuntur: Ioannes episcopus Quinqueecclesiensis et Ioannes Rosgonius necnon Ioannes Emo. - 45-49. Mathias in Corvatiam castra movet. - 50-66. Suehla Bohemus a rege missionem frustra petit et invito rege Hungariam relinquit, Costolan occupat et Ternaviam occupaturus est, quod consilium Blasius Podmaniczki frustratur. Suehla castellum Costolan munit et in Hungaros latrocinatur. - 67-95. Mathias in Suehla castra movet et Costolan circumvenit. Suehla fuga lapsus capitur et ad regem ductus suspenditur. 96-114. Legati Mathiae Venetias, deinde Romam perveniunt. Oratio Ioannis episcopi Quinqueecclesiensis. A Paulo II. pontifice et cardinalibus subsidium belli contra Turcos decernitur. - 115-17. Maumethes pacem sollicitans bellum in Hungariam parat. - 118-27. Inter Fridericum imperatorem et Mathiam propter vectigalia discordia oritur. Bohemi et Hungari reconciliantur. - 128-42. Bellum in Transylvanos et Moldavos. Transylvani vectigalia gravantes a Mathia deficiunt. Laus Transylvaniae. Transylvani Ioannem vaivodam invitum regem declarant. - 143-50. Mathias expeditionem in Transylvanos parat. Michael avunculus regis et Gregorius Labathan a Turcis capiuntur. Michael capitis damnatur, Gregorius liberatur. - 141-57. Mathias bellum movet in Transylvanos, qui se dedunt. - 158-81. Ioannes vaivoda regem exorat. 182-83. Mathias ignoscit, reos punit. - 184-90. Discordia Emerici Scepusiensis cum rege et reconciliatio. - 191-97. In conventu Thordae indicto rebelles Transylvanenses in exilium eiciuntur et Cibinii nonnulli calamitosi securi obruncantur. - 198-204. Mathias in Moldaviam castra movet, Romanum forum (Romanvasiar) occupat et incendit. - 205-26. Bania civitas a Mathia capitur. Valachi regem opprimere volunt, sed caeduntur. - 227-35. Mathias in Transylvaniam reversus rebelles punit. Stephanus Moldaviae vaivoda veniam a Mathia petit, quam rex promittit. Reconciliatio Emerici Scepusiensis. - 236-42. Bellum inter Mathiam et Georgium Bohemiae regem exoritur. Mathiam Paulus II. quoque contra Georgium incitat, quem pontifex regno privavit. - 243-54. Causae belli. In Stephanum Eyzinger Mathias ira incenditur. - 255-60. Mathias in conventu consilium belli Bohemici suscipiendi capit.

LIBER II. — 1-59. Oratio Mathiae bellum Bohemici indicturi. - 60-68. Bellum decernitur. Maumethes inducias petit impetratque. - 69-75. Bellum Bohemis indicitur. Georgius una cum filio Victorino Mathiam in Moravia expectat. Initium belli Bohemici a. 1468. - 76-86. Mathias ad urbem Lavam castra locat, Georgius sua illi opponit. Colloquium inter Mathiam et Georgium, quod infecta re solvunt. Georgius regreditur. - 87-93. Nomina procerum, qui Mathiam sequebantur. Paulus Chinisius. - 94-100. Mathias Trebychum oppidum capit. - 101-04. Mathias Brunam versus castra movet. - 105-13. Oratio legati Brunensium incolunitatem petentis. - 114-17. Mathias incolunitatem Brunensibus dans ab eis honorifice excipitur. - 118-24. Arce Brunae Spilbergo obsessa Georgius Mathiae certamen singulare offert; Mathias accipit, Georgius autem recusat. - 125-37. Tandem ambo reges familiariter conveniunt. Inter prandendum histriones Hungarus et Bohemus inter se certant; Hungarus Bohemum vincit. - 138-42. Olomutium urbs Mathiae se dedit, arx autem eius expugnatur. - 143-47. Hieme appro-

pinquante Mathias Budam revertitur. Vienna Mathiae se offert. 148-52. Mathias reversus Spilbergum capit. Mathiam catholici Bohemi et Moravi regem eligunt. - 153-55. Bratislavienses Mathiam magnificentissime accipiunt. - 156-60. Mathias Friderico imperatori ira accenditur. - 161-69. Mathias Vezele oppidum occupat, Victorinum capit. Rex hibernatum in Hungariam redit. - 170-77. Res Turcicae, Italicae et Austriacae. 178-95. Georgius rex Bohemiae moritur, cuius coronam Mathias affectat et legatos ad comitia regi creando indicta mittit. Competitores regni Bohemici. Legatis Mathiae repulsa datur. Fridericus quoque reicitur. 196-235. Oratio legati Polonorum regis. 236-41. Wladislaus Polonus rex Bohemiae eligitur. - 242-51. Sabacz arcem Turcus aedificat, quam Mathias destruere frustra contendit. Contra Sabacz Hungari alterum oppidulum aedificant. - 252-55. Mathias Bohemiam pervastat et magnam partem capit. - 256-60. Res Turcicae, Italicae et Gallicae. - 261-68. Mathias de adoriendis Turcis et Bohemis cogitat. Casimirus rex Poloniae Bohemos tutatur. Stephanus Scepusiensis et Lupus despotes a Mathia honorantur.

LIBER III. — 1-4. Natura et indoles Mathiae regis. - 5-6. A. 1471. bellum Polonicum exoritur: coniuratio in Mathiam. - 7-13. Capita coniurationis: Ioannes Vitesius archiepiscopus Strigoniensis et Ioannes episcopus Quinqueecclesiensis. 14-23. Causae coniurationis. - 24-32. Coniurati Casimirum Poloniae regem auxilio vocant, cuius filium Casimirum regem Hungariae esse volunt. - 33-38. Mathias in coniuratos ira accenditur, quos donis et promissis revocare studet. 39-43. Casimirus iuvenis Hungariam intrat: Hungari ad eum conflunt. - 44-68. Mathias se ad bellum parat, proelio autem se abstinet. Ioannes Vitesius reconciliatur. - 69-88. Mathias Polonos insequitur, qui a Nitriensibus excipiuntur. Hungari clam Casimirum deserunt. Mathias Nitriam obsidet. Casimirus Mathia consentiente Nitria fugit. Polonos domum redeuntes et Hungariam diripientes rustici quoque spoliant et occidunt. - 89-103. Mathiae ultio. Ioannes Vitesius captivatur, liberatur et moritur. De meritis Ioannis Vitesii. - 104-13. Ioannes episcopus Quinqueecclesiensis fugiens Zagabriae moritur. De Ioanne episcopo, qui vulgo Ioannis (Ianus) Pannonius nominatur, poeta et oratore, quem postea Mathias Quinqueecclesiensis sepeliendum curat. 114-17. Borsius Estensis dux Ferrariae. Paulus II. moritur, cui Sixtus IV. succedit. Archiepiscopus Strigoniensis et episcopus Quinqueecclesiensis creantur. - 118-34. A. 1473. bellum Bohemicum et Polonicum oritur. Moraviam et Silesiam Casimirus et Wladislaus a Mathia repetunt, Mathias Bratislaviam contendit. Gabriel episcopus Agriensis cardinalatum assequitur. - 135-46. Mathias castra intra et extra Bratislaviam ponit. Poloni Hungaros circumveniunt, Mathias autem feliciter cum eis pugnat. - 147-61. Mathias Polonos carpit et minuit. Dum Poloni et Bohemi fame urgentur, Mathias convivia celebrat et praemia certantibus proponit. De arte Hungarorum. Plurimi Poloni captivantur. - 162-70. Mathias expeditionem mittit in Poloniam ferro ignique vastandam. Casimirus a regina in Poloniam revocatur. De pace agitur. - 171-78. Oratoribus concordiam frustra tentantibus tres reges de pace tractaturi conveniunt. - 179-90. Oratio Casimiri. - 191-216. Oratio Mathiae. - 217-23. Casimirus respondet; Wladislaus Mathiam orat. Mathia in sententia persistente re infecta disceditur. - 224-28. Proceres Poloni pacem suadent. 229-30. Casimirus coactus paci inclinatur. - 231-40. Alterum colloquium trium regum. Pacem faciunt; eius condiciones. De pace inita publica laetitia. Multi captivi fame moriuntur. - 241-50. Mathias convivium splendidum regibus parat. Casus Laurentii ducis. - 251-54. Matrimonium Mathiae cum Beatrice Aragonia promulgatur. Stephanus Scepusiensis a Mathia donatur. - 255-60. Eleonora Aragonia Herculi Estensi desponsatur. De rebus Turcicis et Venetis. - 261-74. Poloni Hungariae Poloniae confinem vastantes delentur. Invasione Polonica Hungaria liberatur. - 275-78. Turci Hungariam incursant et Scodram frustra obsident. Res Burgundicae et Venetae. Annus 1475. iubilaeus. - 279-89. Mathias Sabacium a Maumethe fortiter munitum oppugnat 290-99. et tandem occupat. De occupato Sabacio supplicationes ubique in Hungaria

actae. - 300-03. Mathias consilium Sinderoviae occupandae capit. 304-07. Turci a Valachis caeduntur. Iudaei Tridentini Christianum puerum interficiunt.

LIBER IV. — 1-7. A. 1476. Mathias rex ad expugnandam Sinderoviam se parat. - 8-11. Apparatus nuptiarum regis Mathiae. 12-34. Turci Themeswariensem agrum vastant, sed fugantur et caeduntur. Gloria Mathiae de victoria adeptae. Consilium Sinderoviae capiendae. - 35-38. Mathias ad nuptias Fridericum imperatorem et principes Germaniae invitat. Beatrix Aragonia Neapoli proficiscitur. De virtutibus Beatricis. 39-47. Legati sponsam deductum praemissi. Civitates Italicae Beatricem pompa excipiunt. Mathias expectat sponsam. - 48-50. Turci Dalmatiam pervastant et praeda onusti in Macedoniam redeunt. - 51-58. Beatrix propter metum Turcorum cunctantius iter facit. Beatrix a proceribus et rege honorifice excipitur et Albae coronatur. De pulchritudine Beatricis. - 59-61. Nuptiae Budae celebrantur. Dona Mathiae data. 62-66. Maumethes castella Hungarica ad Sinderoviam erecta capit et Daciam vastat. - 67-68. Bellum Alemanicum exoriturum est. - 68-102. Causae belli ultro citroque allatae. - 103-14. De moribus diversis Mathiae et Friderici. Odium inter eos. - 115-19. Mathiae cupiditas gloriae. - 120-23. Mathias frustra petit a Friderico, ut Hungariam infestare desinat. Relatio Mathiae ad senatum de bello Alemanico. - 124-48. Oratio Stephani Bator bellum dissuadentis. - 149-50. Pontifices pacem, proceres bellum optant. - 151-65. Oratio Pauli Chinisii bellum suadens. - 166-68. Sententia Pauli a belli ducibus approbatur. - 169-78. Sententia Mathiae regis. 179-80. Bellum decernitur. 181-93. De Austria; situs, civitates, abundantia, artes et mercatura, mores mulierum et incolarum, virtutes et vitia.

LIBER V. — 1-6. A. 1477. expeditio Mathiae in Austriam. Rex astra consulit. Beatrix comes Mathiae. - 7-8. Formula belli indicendi. - 9-15. Fridericus quoque bello se praeparat. Nomina procerum Mathiam sequentium. Hungari, Bohemi et Rasciani in exercitu Mathiae. - 16-27. Mathias Trauerstorphum et Peterstorphum capit. Rasciani Austriam citeriorem diripiunt. Vienna obsidetur et omnia oppida circa eam obsidentur. - 28-62. Descriptio Viennae; horti, turres, suburbia, regia, palatia procerum, templa, collegia, cives et studiosi, magistratus, abundantia vini, leges et consuetudines, ager. - 63-68. Mathias aliquot castella capit; votum facit numinibus Viennensium. Clastrumburgum capitur; monasterium eius. - 69-73. Ponte Viennae capto comneatus inhibetur. - 74-79. Viennenses fame coacti subsidium a Friderico frustra petunt. - 80-89. Cornuburgum et Tulnam Mathias capit, Chremesum et Stainum obsidet. - 90-93. Legati Friderici pacem petunt mittuntur. - 94-97. Mathias accipit oratores. - 98-131. Oratio principis legatorum ad Mathiam. - 132-43. Oratio Mathiae pacem non recusantis. - 144-48. De pacis condicionibus agitur. Beatrix Fridericum et Mathiam ad pacem hortatur. - 149-52. Condiciones pacis. Pax promulgatur. - 153-59. Mathias Austriam Friderico restituit. - 160. Galeatius Maria et Carolus Burgundionum princeps moriuntur. - 161-64. Mathias una cum Beatrice per Hungariam vagatur. 165-73. Stipendia papa et dux Venetorum abnegant. Epistola ducis Venetorum gratulatoria de pace inita. Responsum Mathiae irascentis. - 174-76. Discordia cum Casimiro rege ob vastatam Hungariam. - 177-80. Legati Veneti ad Mathiam mittuntur. - 181-88. Mathia copias ob ablata stipendia ex Illyrico revocante Turci Dalmatiam, Alemaniam et Italiam invadunt. Ob incursiones Turcorum metus Venetorum. - 189-93. Discordia et motus principum Italicorum. - 194-203. Turci Venetos petunt et opprimunt. Dicio Veneta vastatur. - 204-13. Turci Croiam capiunt, Scodram obsident et Forum Iulium depopulantur, Drivastum et Lyssum occupant. - 214-21. Veneti desperata Mathiae reconciliatione pacem cum Turcis faciunt. Cephalenia insula a Turcis interceptur. - 222-31. Mathias consilium pacis cum Wladislao Bohemiae rege confirmandae capit. Mathiae suasu Casimirus cum Prutenis indutias facit, Casimirus autem paulo post eas frangit. 232-40. Ma-

thias et Wladislaus ad pacem confirmandam invicem legatos mittunt. Conventus Olmucii decernitur, ubi prior Wladislaus adest. De moribus Bohemorum et Hungarorum inter se collatorum. - 241-59. Mathias Olmucium venit. Colloquium inter reges de pace confirmanda. Mathiae liberalitas: epulae, ludi, convivium, choreae. - 260-62. Conventus solvitur. Mathiae dona Wladislao et Bohemis data. - 263-69. Turci Hungariam invadunt et cum ingenti praeda permulta milia hominum abducunt. - 270-75. Causa novi belli Austriaci. Mathias in Austriacos et Turcos arma parat. - 276-94. Mathias Turcos invadit et caedit. Ad laiczam Hungaros inclinat. Corvati adjuvant. Mathias Illyricum vastat. Georgio mortuo Petrus archiepiscopus Colocensis eligitur. De ingenii dotibus Petri. - 295-302. Urbanus quaestor creatur; laudes et virtutes eius. - 303-11. Res Italicae, Gallicae, Burgundicae et Turcicae. Ioannes Aragonius cardinalis in Hungariam venit et honorifice excipitur.

LIBER VI. — 1-6. Iudicium regum a. 1480. Zagrabiae iudicatur. Ioannes (Ianus) Tuz ad iudicium vocatus aufugit. - 7-14. Fridericus Caesar Hungariam vastat, Mathias Marienburgum obsidet. Fridericus Prospero Capharello legato apostolico suadente a Mathia pacem petit. Induciae inter eos fiunt. - 15-23. Fridericus pacem recusat. Mathias obsidionem ad Marienburgum solvit. Bona Michaelis Gara fisco addicuntur. - 24-36. Mathias iura Frangepanum tuetur; Muselum capit. Ioannes Frangepanis insulam Corcyram (Coricta) Venetis dono dedit. Corcyram Mathiae negligentia amissam dicunt. - 37-41. Mathias multa oppida in Styria capit; Rakospurgum capit. - 42-55. Mathias Stephanum Batorum et Paulum Chinisium contra Turcos Transylvaniam invasuros mittit. Bator hostes Transylvaniam vastantes prope villam Kinyr mezou (Kenyérmező) expectat, expectat etiam Chinisium. - 56-75. Oratio adhortatoria Batoris ad milites. - 76-88. Bator non expectato Chinisio aciem instruit et proelium committit. Bator vulneratur et Ungari una cum sociis inclinantur. 89-101. Chinisius laborantibus subvenit; Turci caeduntur castrisque exuuntur. Fugientes ingentem praedam relinquunt. - 102-11. Chinisius post pugnam cenam parat. Quot Turci et Ungari in proelio cecidissent. Mathias deo de victoria gratias agit. - 112-15. Ioannes Aragonius cardinalis Strigoniensis creatur. - 116-23. Turci Hydruntum capiunt. Alphonsus dux Calabriae Mathiae copiis adiutus Hydruntum recipit. - 124-27. Ludovicus rex Gallorum Doblam capit. Stephanus Frangepanis et Franciscus Philelphus moriuntur. Pests in Ungaria. - 128-31. Indutiae inter Fridericum et Mathiam. - 132-38. Fridericus Hainburgum obsidens repellitur (a. 1481.). Beatrix Fridericum frustra ad pacem hortatur. 139-51. Maumethus moritur; filii de imperio certant. Mathiam Turcos invasurum Fridericus impedit. Stephanus Bator fines Ungariae contra Turcos munit. Turci Risanum oppidum capiunt. - 152-65. Mathias Hainburgum obsidet, Stephanus autem Bator ab Alemanis funditur et capitur, sed mox effugit. Mathias validius Hainburgum oppugnare coepit. - 166-80. Mathias Alemanos succurrentes reicit fugatque. Franciscus Aristius (Haraszi) et Moses duces Ungarorum cadunt. Hainburgum capit. - 181-85. Paulus Cinisius Turcos Ungariam vastaturos fundit. - 186-92. Mathias Viennensem agrum infestat; capit Novam Ecclesiam et Scenam Viennam, Kewzogh autem obsidet; tandem in Ungariam revertitur. - 193-201. Mathias in Austriam redit. David Hazy Prucchum obsidet et tandem capit. - 202-21. A. 1484. Cornamburgum a Davide Hazy obsidetur. Opem laboranti urbi a Friderico submissam David caedit castrisque exiit. David in obsidione cadit. Fames in Cornamburgo. - 222-26. Cheleiam et Nestorabam Turci capiunt, Batori Vienna obsidenda mandat. - 227-28. Ioannes Aragonius cardinalis archiepiscopus Strigoniensis confirmatur. Turci Carinthiam et Carniolam vastantes vincuntur. - 229-31. Stephanus Crispus legatus in Poloniam mittitur; eius virtutes. - 232-35. Petrus archiepiscopus Colocensis a Mathia capitur et in carcerem conicitur. - 236-43. De Urbano quaestore; eius laudes. - 244-50. Cornamburgum non se dedit. Duo praesidia et pontes Viennae expugnantur. Cornamburgum deditionem facit. -

251-61. Vienna obsidetur. Solis defectus (a. 1485.) Friderico infaustus. Mathias castellis Viennam cingit et suburbana expugnat. Vienna magna fame laborat. - 262-65. Eberstorphum expugnat. Periculum mortis Mathiae, cuius Hiereslaus insimulatur. - 266-73. Mathias suburbium Viennae capit. Vienna tandem capitur; rex et regina ovantes urbem ingrediuntur. - 274-75. Neapolis a Stephano Batore obsidetur. Mathias Budam revertitur. - 276-85. Hiereslaus ob insidias regi structas capitis damnatur.

LIBER VII. — 1-5. Mathias Budam revertitur. A. 1486. Conventus indicitur. - 6-13. Leges feruntur et sanctiones; octavae instituuntur; causarum prolongationes abrogantur; quartae. - 14-21. Causa nobilium. Testimoniorum usus. Ecclesiarum visitatio. Executiones quaestionum. - 22-23. De illata vi. - 24-31. Duellarum dimicatio. Clausula manuum regiarum. De fenore coerendo. - 32. De negotiatoribus. - 33-40. Disciplina militaris. Rogationes ad Polonos et Venetos. Clientes et patroni. - 41-48. De portoriis. Edictum Sigismundi confirmatur. Abductores villicorum. Decimatores. - 49-60. Sanctio adversus perfidos. De furibus et homicidis. Appellationes fuitiles inhihendae. De convictis in iudicio capitis. - 61-63. Violata sedes iudiciaria. De militibus templa violentibus. - 64-71. Avaritia presbyterorum. De mercatibus. Persona regiae praesentiae. Bani Sclavoniae. Numerus causidicorum. Forma iurisiurandi. De redimendis litteris. - 72-82. Mores vivendi Mathiae adventu Beatricis mutati. De humanitate, humilitate et pompa simplici Mathiae. - 83-88. Simplicitas adventu Beatricis mutata et fastuosa facta. Studium Mathiae erga litteras et vitae cultum. - 89-91. Ungari patrios mores coeunt. Mathias urbanitatem introducit. - 92-103. Mathias arcem Budensem excolit, bibliothecam erigit, aedificia splendida extruit, statuas erigit. Arx et regia Budensis. - 104-10. Horti. Suburbana. - 111-14. Basilica Albae Regalis. Ara et Mausoleum ibidem. Aedificia ad Vicegradum. - 115-20. Tata arx. - 121-24. Mathias Viennam exornat, Consilium de ponte in Danubio faciendum. 125-36. De Ioanne Corvino eiusque disciplina. Amor patris erga eum. - 137-48. Expeditio Mathiae in Austriam ulteriorem. Sistestorphum capitur et Lava oppugnat. Diaeta Iglaviae cum Wladislao Bohemiae rege. - 149-55. Foedus cum Wladislao Iglaviae confirmatur. Lava capitur. - 156-63. Rhetia capitur. Obsidio Egburgi. - 164-68. Orator Gallorum in Ungariam venit. Foedus cum rege Gallorum contra Maximilianum Burgundiae regem. - 169-77. Deditio Egburgi. Mathias triumphans Viennam ingreditur. - 178-83. Adventus Bonfinis in Rhetiam; libri ab eo regi, reginae et Ioanni Corvino dicati. - 184-92. Ioannes episcopus Variadiensis orator ad Gallos mittitur. Mores et virtutes eius. - 193-95. Pompa episcopi Variadiensis. - 196-201. Varia Mathiae mandata episcopo Variadiensi. - 202-05. Urbanus quaestor, qui lauriensis fuerat, Agriensis episcopus, Thomas secretarius episcopus lauriensis facti sunt.

LIBER VIII. — 1-9. Mathias ad obsidionem Neapolis Austriae prope rat. De situ et munitionibus eius. - 10-18. Rex obsidionem instaurat suburbiumque capit. - 19-27. Mathias urbem tormentis circumvenit. Oppidani strenue se defendunt. - 28-34. Turri demolita urbs acerrime resistit. - 35-40. Urbs acerrime oppugnat. Mathias urbem mavult fame, quam vi capere. - 41-48. Urbanus quaestor Mathiam in exercitu restaurando adiuvat. Mathias incendium urbis minatur. - 49-60. Legati ducis Mediolanensis de affinitate Ioannis Corvini et Blancae Mariae transigenda ad Mathiam missi. Hippolytus Estensis archiepiscopus Strigoniensis factus est. Neostadienses de deditioe agunt. Scaea Vienna capitur. Mathias Styriam invadit. - 61-71. De moribus Hippolyti Estensis et virtutibus. - 72-77. Stephanus Bathor Hippolytum in castra deducit, cui Mathias occurrit. - 78-85. Neapolis Austriae se dedit. Mathiae triumphus. Mathiae benevolentia in victos. - 86-106. Pompa militaris in campo ante Neapolim Austriae. - 107-14. De militaria disciplina Ungarorum. - 115-16. Mathias Innocentio VIII. et Venetis invititis foedus cum Anconitanis init. - 117-19. Pestis in Ungaria. - 120-25. Bellum in Austria oritur. Victorinus et nonnulli reguli a Mathia deficiunt, quorum

oppida devastantur. Indutiae fiunt. 126-38. Mathias regnum amplum Ioanni Corvino praeparat, Silesiam invadit. Duces Mathiae Silesitas et Lusitanos fundunt. Simultas inter Mathiam et Wladislaum oritur et componitur. - 139-44. Mathias Silesiam et Lusatiam filio comparare contendit. 145-49. Stiria et Carinthii pacem a Mathia mercantur. Legati Turci et Poloni ad Mathiam missi. - 150-56. Mathias podagra laborat. Multi oratores ad Mathiam confluunt; Petrus Ransanus episcopus Lucerinus legatus Ferdinandi regis Neapolitani. - 157-64. Orator Solodani principis Assyriae Mathiam in Turcos sollicitat. Legati Friderici et Maximiliani cum Mathia de pace agunt. - 165-72. Ioannes episcopus Variadiensis frustra cum Friderico de pace tractat. Mathias sumptum belli a Friderico postulat, qui pacem facere detrectat. Otto dux Bavariae ad pacem ineundam a Friderico mittitur. 173-76. Aegritudo Mathiae. Pax inter Mathiam et Fridericum. - 177-83. Nuptiae Ioannis Corvini et Blancae Mariae prorogantur. - 184-88. Corvini certamen equestre. Conventus in Silesia in aestatem a. 1490. indicitur. - 189-95. In celebratione Palmarum Mathias sacris assistit, mox apoplexia corripitur. 196-203. Imminentem Mathiae mortem omnes deplorant. Mathias die 7. mensis Aprilis a. 1490. Viennae moritur. - 204-09. Mortem Mathiae multa portenta praescrunt. Corpus Mathiae publice cernendum exponitur. Mathiam omnes deplorant. 210-14. Corvinus Beatrici se commendat. Proceres in manus Beatricis et Corvini iurant. Featrix Corvinum filium suscipit. - 215-17. Thesaurus et arces Mathiae Corvino credita sunt. Sigillum Mathiae frangitur. - 218-24. Mathiae duplex funus dicatur: Viennae et Albae. Funus ad S. Stephani basilicam defertur. Cuncti Mathiam deplorant. Incendium in urbe Vienna. - 225-30. Beatrix et Corvinus Budam ad exsequias et comitia abeunt. Blasius Rascai arcem Budensem Corvino tradit iuratque. 231-37. Exsequiae in civitate Alba Regali instituuntur. Pompa funebris. 238-43. Munera in missa et funere oblata. Oratio Petri Ransani de Mathia. - 244-52. De statura corporis Mathiae. Virtutes et vitia eius. - 253-64. Fortuna, mansuetudo, liberalitas, studium artium, pietas, consilium et astutia Mathiae. 265-71. Mathias non fastuosus, habitu mediocri fuit; sermone gravis; plures linguas callet; memoria excellens, in certamine fortis, supplicatibus facilis. 272-77. Aliae virtutes Mathiae. - 278-86. Ungaria mortuo Mathia virtutem et splendorem amisit. Qui Mathiae prius irascebantur, nunc laudant. Praesentia sunt formidinis plena.

LIBER IX. — 1-12. Urbanus episcopus Agriensis comitia indicit. Ungari eo confluent necnon Scythuli, quorum mores describuntur. - 13-17. Factio Polonorum Albertum Casimiri Poloniae regis filium regem proclamat. 18-23. Quinque legationes ad comitia regalia de novo rege eligendo mittuntur. (Corvinus ob genituram illegitimam reiicitur.) 24-27. Ungari de rege eligendo dissentiunt. - 28-36. Ioannes episcopus Variadiensis Corvinum commendat. - 37-42. Legati Friderici aut ei aut Maximiliano regnum petunt. - 43-47. Legati Polonorum Albertum suadent. - 48-49. Legati Aragonii Beatricem favent. - 50-90. Legati Bohemorum Wladislaum deprecant. Oratio legati. 91-95. Complures Ungari Wladislaum regem esse volunt. - 96-104. Corvino Bossena, Croatia et Slavonia promittuntur. Responsum est legatis Caesarianis. Polonis et Aragoniis. Wladislaus clam in Ungariam accersitur. - 105-07. Beatrix arcem Budensem ob metum Corvini relinquit. - 108-12. Sigismundus episcopus Quinqueecclesiensis et Laurentius dux de Uylak ad comitia veniunt. Corvinus eos sibi conciliare contendit. 113-18. Comitia in civitate Pest in basilica beatae Virginis habita. Urbanus perorat. - 119-27. Sigismundus et Laurentius partibus Corvini favent et Budam occupaturi sunt, item pars procerum. Arbitr discordiae Stephanus Scepusiensis eligitur. 128-34. Stephanus Scepusiensis Wladislao favet. Ioannes episcopus Variadiensis exercitum in Moravia aestivantem inductoravit. 135-39. Exercitus Niger. Beatrix Maximiliano favet. - 140-50. Ioannes Corvinus auxilio Sigismundi et Laurentii fretus fugit. Utrinque se ad bellum parant. Sigismundus et Laurentius ad concordiam faciendam revocantur. 151-54. Ambo re infecta ad suos revertuntur. 155-64. Pugna inter Ioannem Corvinum et proceres.

Corvinus funditur, fugatur castrisque exiit, thesaurus relinquitur. - 165-72. Discordia oritur inter Covinianos. Capti Corviniani dimittuntur. - 173-81. Urbanus Wladislaum regem Ungariae declarat. Legati revertuntur. - 182-87. Pax regni intenditur, etiam cum Corvinianis. - 188-92. Nomina legatorum ad Wladislaum mittendorum. - 193-219. Oratio Ioannis episcopi Varadiensis ad Wladislaum fines Ungariae intrantem. 220-23. Responsum Wladislai.

LIBER X. — 1-3. Wladislaus Stephanum episcopum Syrmiensem ad Albertum mittit, qui Vicegradum, ubi sacra corona asservabatur, oppugnatus erat. - 4-15. Oratio Stephani ad Albertum. - 16-18. Albertus respondet se regem esse electum, cuius oratores ad Wladislaum missi regnum repetunt. - 19-21. Wladislaus Budae appropinquat. 22-27. Osvaldus episcopus Zagabriensis regem salutatur. - 28-31. Urbanus episcopus Agriensis quoque salutatur. - 32-34. Wladislaus Budam ingreditur; ab omnibus salutatur. - 35-45. Albertus in laeva (Pesthana) ripa Danubii castra locat. Rex cum fratre Alberto colloquitur. Pax cum Alberto. - 46-57. Viennenses rebelant, Maximilianus Viennam et Novam Civitatem Austriae recipit. - 58-61. Legatus Mathiae a Turcorum imperatore redit. Sacra corona Budam deferitur. - 62-69. Wladislaus legatos mittit ad Maximilianum, quod legitime rex electus esset. Maximilianus cedere non vult. Wladislaus Albam Regalem coronandi gratia it, quod Maximilianus impedire vult. 70-81. Coronatio Wladislai regis et pompa. Ioannes Corvinus coronam praefert; Osvaldus episcopus Zagabriensis regem coronat. 82-134. Caeremonia coronationis. - 135-59. Ioannes episcopus Varadiensis monachus fit et Vratislaviam proficiscitur. De moribus et divitiis et munificentia eius.

ARGUMENTUM DIMIDIAE DECADIS V.

PRAEFATIO ad Wladislaum regem (fragmentum).

LIBER I. — 1-5. Ungariae bellis minantur Alemanni, Turci, Poloni, Beatrix et Ioannes Corvinus. - 6-10. Beatrix nuptias Wladislai flagitat, quas rex recusat. 11-15. Allocutio regis ad proceres Ungaros. - 16-17. Rex sponsalia secreta cum Beatrice init. - 18-23. Sempronium ab Alemanis occupatum; Cassovia a Polonis obsidetur; Turci Modrusiam et Croatiam incurstant; Sabaria et arx Novae Civitatis capitur; Albertus et Maximilianus Ungariam vastant; Castrum Ferreum a Caesarianis frustra obsidetur. - 24-27. Ioannes Vitesius episcopus Vespriniensis a Maximiliano ad defectionem sollicitatur. Wladislaus Ioannem Corvinum nutantem confirmat. - 28-34. Vitesius Vesprinium Caesari tradit. Ladislaus Canisaius Caesarianis copiis Simigiensem agrum populatur. - 35-38. Wladislaus Albam Regalem munit. - 39-43. Maximilianus Albam Regalem obsidet. - 44-52. Alba Regalis oppugnatur, capitur et diripitur, cives trucidantur. - 53-57. Maximilianus Albam Regalem triumphans ingreditur. - 58-65. Dominicus praepositus Albae Regalis Maximiliano resistens opibus et episcopatu privatur. Praeda militibus datur. 66-67. Maximilianus Budam oppugnaturus militum seditione impeditur. - 68-70. Maximilianus a Sigismundo episcopo Quinqueecclesiensi mutuum rogat et episcopatum Saltzburgensem ei promittit. Sigismundus in fide Wladislai permanet. - 71-73. Maximilianus responsum Sigismundi spe frustratus accipit, castellum Pauli Kinisii capit, suos milites rebelles punit. 74-79. Wladislaus ad liberandam Cassoviam proficiscitur. - 80-87. Damna Turcorum et Germanorum Wladislao referuntur. Stephanus Scepusiensis Wladislao adhaeret. Wladislaus Alberto congreditur, sed de pace frustra disceptatur. - 88-90. Inter obsidendam Cassoviam acerrima hiems saevit. - 91-93. Ungari pugnam committere ardent. - 94-101. Oratio Wladislai ad Ungaros. - 102-03. Oratio Alberti ad Polonos. - 104-05. Cassovienses Albertum relinquunt. - 106-08. Albertus pacem petit. - 109-13. Colloquium inter fratres. Pax fit inter eos. - 114-16. Fratres vicissim reconciliantur. Milites paci gaudent. - 117-20. Wladislaus Cassoviam ingreditur. - 121-26. Damna Ungariae per bella illata. - 127-30. Arx Hainburgi in potestatem Maximiliani pervenit. Cornaburgum Maximiliano resistit. - 131-35. Maximilianus pecunia egens de pace cogitat.

LIBER II. — 1-3. Wladislaus de statu regni consultat. Paulus Kinisius ad liberandam Albam Regalem mittitur. - 4-7. Milites Bohemi in Ungaria insolescunt. Nuptias Beatrix urget. Batoreus Albam Regalem obsidet. - 8-11. Ioannes Corvinus Zagabriense collegium a Germanis recipit. 12-20. Kinisius Albam Regalem obsidere pergit. Permulti ad obsidendam Albam confluunt. - 21-26. Alba Regalis oppugnatur, sed fortiter defenditur. - 27-32. Wladislaus Vesprinium civitatem deditione capit. Vason oppidum et Sabaria recipiuntur. Casimirus Fridericum bello Ungariae illato desistere et ad hoc auctoritatem Innocentii papae rogat. - 33-38. Turci Ungariam et Croatiam populantur. Wladislaus feбри et dysenteria laborat. Alba Regalis capitur. - 39-44. Wladislaus ex arce Vespriniensi Germanos eicere vult. Milites Bohemi rebellant. Poloni Sopronium (Sempronium) obsident. Albertus laborante Wladislao de bello cogitat et Casimirus mortuo Wladislao Ungariam Alberto petit. - 45-48. Albertus Litinburgum obsidet, quod Hippolytus archiepiscopus Strigoniensis fortiter defendit. Wladislaus per legatos Casimiro missos iniurias Alberti queritur. - 49-56. Oratio Domini episcopi Albae Regalis ad Albertum. - 57-62. Albertus arma deponere promittit, quem Casimirus in Poloniam revocat. - 63-68. Sabazium a Turcis obsidetur. Cum Germanis de pace agitur. - 69-73. Albertus Cassoviam obsidet. Corneuburgum a Germanis recipitur. Kinisius a Turcis affligitur. Tyrnavia a Maximiliano

obsidetur. - 74-78. Wladislaus cum Maximiliano asperis condicionibus paciscitur. - 79-86. Wladislaus pactum cum Maximiliano pro populo pace firma excusat. Ungari pacis condiciones reiiciunt, a Wladislao autem rogati iuramento confirmant. - 87-91. Bernardinus Frangepanus Turcos vincit. Ungari in Albertum bellum movent. Milites Bohemi reconciliantur. 92-98. Inter Ungaros et Albertum proelium indicitur. 99-106. Proelium committitur. Albertus victus fugit castrisque exiit, mox in Eperies obsessus pacem petit. 107-12. Wladislaus de bello contra Turcos inferendo consultat, qui saepe ab Ungaris vincuntur. - 113-21. A. 1942. Nuptiae Beatricis reiiciuntur. Clades Turcorum ad Severinum. Ferdinandus rex Neapolitanus de filia, Beatrice animum Wladislai explorat.

LIBER III. — 1-6. Martinus Zobor legatus ad Turcos missus redit. Apparatus bellici Turcorum in Ungariam. - 7-15. Wladislaus et Ungari ad bellum contra Turcos se parant. Baiazetes de indutiis agit. Turci Valachiam et Albaniam populati repelluntur. - 16-18. Casimiro mortuo Wladislaus de iure regni Polonici Alberto decedit. - 19-25. Licentia et insolentia cohortum Bohemicarum. Frustra eas Kinisius dehortatur. - 26-32. Kinisius contra eas exercitum ducit. - 33-43. Proelio superantur Bohemi. - 44-48. Mathias Gerebus et Stephanus Batoreus a. 1493. moriuntur. Ioannes episcopus Chanadiensis monachus fit. Turci in Transylvania caeduntur. Friderico mortuo Maximilianus succedit. - 49-54. Ioannes Frangepanus pro Corvino rege eligendo rebellat. Emericus Drencenus Bernardum Frangepanum Breviae oppugnat, qui Turcos in auxilium vocat. - 55-60. Turci et Croatia ingentem praedam abigunt. Drencenus et B. Frangepanus reconciliatus Turcos circumveniunt, quos missionem petentes reiiciunt. 61-65. Ungari praelium decernunt. 66-71. sed devincuntur. Drencenus capitur. 72-77. Ioannes Frangepanus interficitur. Drencenus ad bassam adducitur. - 78-79. Drencenus Constantinopoli in carcere moritur. - 80-82. Wladislaus Croatiae miseret. - 83-88. Veneti cum Wladislao foedus renovant. Epidaurii societatem cum Ungaris redintegrant. - 89-98. Corona regia a custodibus repetitur. Wladislaus in concilio accusatus defenditur. 99-104. Wladislaus se defendit. Sacra corona aliis traditur custodienda. - 105-16. Stephanus palatinus castellum Corvini Sombor obsidet. Wladislaus eum ab obsidione frustra avocet. Palatinus castellum capit. - 117-20. Sigismundus episcopus Quinqueecclesiensis quaestor eligitur. Wladislaus a Ladislao Gerebo episcopo Transylvano munificentissime donatur. Hippolytus archiepiscopus Strigoniensis et Fridericus Casimiri Polonorum regis filius cardinales fiunt. - 121-22. De rebus Gallicis, Hispanicis et Italicis. - 123-25. Wladislaus se ad Ferdinandum et papam de nuptiis cum Beatrice non factis excusat, frustra legatus papae quoque intervenit. - 126-33. Corvinus multa oppida repetit. Kinisius contra Turcos in Mysia feliciter bellum gerit. - 134-41. Ingens praeda militibus datur. - 142-46. Kinisius Albam Graecam Turcis tradituros supplicio conficit. Wladislaus Leuchoviae concilium indicit. Stephanus palatinus moritur, Dominicus praepositus Albae Regalis ei succedit. 147. Laurentius obtruncatur. - 148-51. Osvaldus episcopus Zagrabienis castella a Corvino repetit, qui Osvaldum oppressus omnibus recuperatis agrum Zagrabiensem diripit.

LIBER IV. — 1-8. Wladislaus fratres Leuchoviam invitat. Hippolytus Romam proficiscitur. Wladislaus Leuchoviae palatinus excipit, sed ante Alberti adventum a rege discedit. - 9-14. Ungari Albertum expectant. - 15-18. Rex fratri obviam procedit. - 19-26. Militibus ovantibus Leuchoviam devenitur. - 27-31. Absente palatino nihil decernitur. Adveniens humaniter ab Alberto excipitur. - 32-36. De componendis concordiiis agitur; reges clam quoque de concordia mutisque auxiliis colloquuntur. - 37-38. Hastiludium. Vestium luxuria. - 39-40. Fridericus cardinalis frater regum sacris operatur. 41-44. Wladislaus colloquii finem facit. - 45-49. Reges vicissim donati abeunt; Wladislaus Cassoviam, Varadinum et Transylvaniam repetit. - 50-55. Bellica expeditio Gallorum in Italiam. - 56-63. Turci Albam Graecam

aggressi repelluntur, Ungariam autem et Croatiam vastant. - 64-73. Facinus Iudaeorum in civitate Tyrnavia. - 74-79. Wladislaus seditiones in Transylvania componit. - 80-87. Wladislaus in Ungariam redit et Kinisio convenit. - 88-93. Wladislaus Varadinum Petri proficiscitur. Ungari provinciam Turcorum trajecto Savo invadunt 94-103. et ingentem praedam abigunt. Praefecti turmarum Kinisium prohibent, quominus Turcos insequatur. Petrus More legatus in Turciam mittitur. - 104-05. Kinisius moritur, cui in praefectura Temesiensi Iosa subrogatur. - 106-09. Wladislaus Baciā abit. - 110-17. Wladislaus suspectos Ungaros ad se venire iubet. Laurentium ducem quoque ad se vocat, qui apparere metuens Uyllakum arcem munit. Wladislaus de bello Laurentio inferendo consultat. - 118-23. Episcopus Agriensis bellum dissuadet, sed tandem inclinatur. - 124-40. Bellum in Laurentium decernitur. Uyllakum oppugnatur et oppidum capitur. Arx impugnata indutias dolose petit et muros reficit. - 141-43. Laurentius frustra opem palatini petit. - 144-48. Oratio legati palatini pro Laurentio ad Wladislaum habita. - 149-55. Responsum Wladislai ad palatinum. Arx oppugnatur. - 156-60. Arx capitur. Wladislaus Uyllakum ovans ingreditur. - 161-67. Mater Laurentii vitam filii a rege deprecatur, Wladislaus autem Laurentium ad iudicium Kishorvatum bellum movet et complura oppida capit. 173-74. Mors Ladislai Eghervari. Eius praeclara facta.

LIBER V. — 1-3. Wladislaus alias Laurentii arces occupare contendit. - 4-6. Priori Auranae venia donatur, pro Laurentio autem palatinus frustra intervenit. - 7-9. Wladislaus Illyricorum Croatorumque inter se discordias componit. - 10-12. Ostentum Beatae Mariae Virginis. - 13-17. Caposivarum diripitur, sed recuperatur. - 18-24. Rahlza a Wladislao capitur. - 25-33. Laurentius in regis gratiam reducitur. - 34-40. Laurentio Wladislaus ignoscit, priorem Auranae autem incarcerat. - 41-44. Turci indutias decennales petunt, triennales obtinent. - 45-51. De rebus Italicis et Gallicis. - 52-54. De rebus Polonicis, Litvanicis et Mazovitis. - 55-61. Wladislaus conventum Budae indicit. - 62-70. Seditio de tributis pendendis. De decretis renovandis decernitur. - 71-76. Valentinus episcopus Varadiensis moritur, cui Dominicus praepositus Albensis (Albae Regalis) sufficitur; huic Georgius Frangepanus succedit. - 77-82. Supplicium Petri Pokii. Exitus prioris Auranae. - 83-84. Comitia Budae solvuntur. Carolus rex Gallorum in Galliam redit. - 85-89. Wladislaus Ungariam, cum pestis exorta sit, visitat. Sigismundus episcopus Quinqueecclesiensis quaestura se abdicat. - 90-101. In conventu Budensi Wladislaus ostendit animum nuptiis cum Beatrice alienum esse. Ob metum Turcorum dica indicitur. Wladislao virgo ducenda suadet. Dica denegatur. - 102-08. Tumultus in vico Iudaeorum Budensi. Eorum domus diripiuntur. - 109-111. Legati Bohemi Wladislao militem offerunt, hic autem ab iis vectigal postulat. Bohemi praesentiam regis rogant. - 112-18. Sigismundus praepositus et Dombaii proquaestor peculatus convicti multantur. Ungari tandem in dicam consentiunt.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM DECADES

DECAS IV.

LIBER I.

Capta Iazyga et magna Bossene parte, postquam Mathias 1
adaucta iam bruma Budam pervenit, nihil profecto Corvine magni-
animitati fuit antiquius, quam de legitima coronatione cogitare.
Huic igitur ex senatus consulto Palmarum dies prestitutus est,
ad quem cum e remotissimis oris pre sevitia hiemis optimates ac
nobiles, magistratus et legati adessee nequivissent, in diem Pa-
rasceves res ipsa est prorogata. Albam igitur e sacro profanoque
ordiae omnes principes, pontifices cum universa Ungarie nobili-
tate convenerant, ut regem preter etatem de republica benemeriti-
tum et ad clarissima queque facinora natum sacro rite diademate,
quod nuperrime redemerat, coronarent. Hic statuto die regalibus 4
quibusque insignibus in divi Stephani basilica Dionysius Sech
Strigoniensis metropolita in frequentissimo tot gentium conventu
Corvinum ex more decoravit. Cum tanto populorum plausu et coro-
natus et circumvectus est, ut hunc magnanimum regem alterum Alex-
andrum alterumve Cesarem, hunc invictissimum Pannonie propu-
gnatorem variis linguis tot populi conclamarent, plerique Martem
Scythicum, nonnulli Romane gentis reliquias appellarent. Dona 6
missilia, nummi, vestes ac cetera tale genus, que in ea celebritate
spargi solent, profusius et magnificentius, quam unquam antea,
diffusa sunt. Corvino regi feliciter, liberatori Pannonice gentis fe-
liciter, Mathie victori cuncta feliciter certatim miles cum plebe in-
geminabat. Multos eo die viros equestris ordinis dignitate donavit, 8
quibus aut torques aureos aut purpureas lacernas adiecit spectata
a cunctis pontificibus et proceribus non sine admiratione profusa
regis magnificentia, que omnium sibi ordinum animos admodum
conciliavit. Pro eius vita mira sollicitudine utriusque sexus et 9
etatis omnes homines vota nuncuparunt. Anno igitur servatoris
quadringentesimo sexagesimo quarto supra millesimum, regni
vero sexto coronatum esse dicunt.

Illud nequaquam omiserim, quod in referende gratie monu- 10
mentum inter coronandum fecit. Ioannem Varadiensem episcopum
de patre deque se iuxta bene meritum amplissimo illo ditissimo-
que comitatu perpetuo donavit, ut ipse posterique pontifices le-
gitime fruerentur. Qua quidem donatione basilica Varadiensis dive 11

genitrici a divo Ladislao rege dicata plurimum aucta et ditata est. Privilegium Mathias alto solio presidens, sacra corona, sceptro pomocio conspicuus proprio ore protulit. Id tale fuit: Cum Ioannes Vitesius, cui pater moriens nos unice commendavit, nobiscum utranque fortunam subire non recusarit, pari quoque discrimine nobiscum in captivitatem inciderit, liberarit Bohemico carcere, domi forisque nobis consilio, labore, opera semper affuerit, dissensiones et bella represserit, in Bohemica, Turcica, Transylvana et Bosnensi expeditione vel sua presentia vel copiarum auxiliis nunquam nostra castra deseruerit et salutari demum legationis officio gravissima queque negotia feliciter egerit coronamque nunc sacram longo postliminio retulerit, placet nobis patribusque conscriptis, eum successoresque suos ob singularem, qua in divam genitricem et Ladislai numen afficimur, religionem comitatu Bihoriensi perpetuo donare, ut eadem fidelitatis officia commodius continuare possit et nos evitata ingratitude nota haud indebita virtuti premia persolvamus.

Transacta celebritate coronationis Mathias cum singulis pontificum optimatumque ordinibus Budam rediit ibique estatem illam tranquillam egit, quotidie varia spectacula edidit illudque nunquam defuit certamen equestre curuleve, preterea leonum venationes, duo triave gladiatorum paria, quibus apprime delectabatur. Qui et ipse quotidie in hippodromo equestri certamine depugnavit tanto robore et audacia, ut cum fortissimo quoque infestis hastis congredederetur. Nullam in certamine dignitatis sue rationem haberi iubebat, quin et publico id sepe agebat edicto. Aurigatione assidua usus est; nil ignavia et desidioso otio duxit abominabilius, multas in regno lites inter estivandum Budae composuit. Appropinquante iam autumno haud ultra terendum in spectaculis Bude tempus esse putans ad suscipiendam aliquam expeditionem non minus utilem, quam necessariam, animum intendit. Iayze victoria succensus de Turcico iterum bello cogitare cogitur; nullum enim aliud succurrebat antiquius neque sibi neque reipublice gloriosius magisque necessarium. Insidiosum et prepotentem a tergo hostem habebat, quem neque negligere neque per ignaviam sine extremo periculo ullo modo dimittere poterat; quare audacia hostem vincendum satius esse ducens delectum habuit, undecunque potest, auxilia cogit. Accessere pie auxiliaresque cohortes crucigerorum militum, quas Moldaviensis episcopus secum adduxerat. Cum decem igitur milibus equitum Phutachum venit. Sequebatur eum Ioannes Emo Venetorum orator, qui etiam in captivitate Iayze cum rege fuerat. Nam, cum Veneti duobus ante annis a Turco graviter in Peloponneso vexari cepissent et ad Isthmum ab Ionio et Egeo mari cum fossa murum tumultuaria opera duxissent, ut peninsulam a Turco protegerent, irrumpente vi multitudine hostium irritos conatus habuere; ad ineundum cum Pannonone fedus recurrerant et oratorem hunc miserant. Deinde Pius pontifex, cum universam fere Europam promissa peccatorum omnium

impunitate in Turcorum bellum concitasset, venisset Anconam eique Christophorus Maurus cum decem instructis triremibus continuo affuisset, lenta febris correptus biduo post decimonono Kalen. Septemb. humanis excessit. Cardinei patres quinque et quadraginta aureum milia Christophoro duci, que in pontificia arca repperant, dedere, ut ea Mathie adversus Turcos acerrime pugnanti mitteret. Id a duce perquam diligenter factum. Fedus igitur cum Pannone Venetoque percussum; plures annos sexaginta aureum milia Veneti Mathie contulere, ut perpetua cum communi hoste bella gereret. Ioannes igitur Emo legatus hic annos tris fuit; hic cuncta bella spectavit; cum oratoribus tandem regiis, qui ad Paulum pontificem proficiscebantur, ut infra referetur, in Italiam rediit. Sed ad diverticulum redeamus.

Rex traiecto deinde Savo Mysiam superiorem ingressus Zoynichum Rascie oppidum in arduo monte situm obsidet. Ad protegendum Savi fluminis vadum, ne interciperetur ab hostibus, Stephanum Colociensem archiepiscopum cum validissimo equitatu reliquit. Dum Zoynichum arcta obsidione circumvenit, quod a Savo quadraginta milibus passuum remotum est et fodinas habet argenti, ad expugnandum Streverinchum Emericum cum pretorianis cohortibus mittit, quod viginti milibus passuum distabat a castris et exuberantibus usque adeo fodinis pollebat argenti, ut ab argento sibi nomen invenerit; streveron enim Sclavonica lingua significat argentum. Milites immissi cum glorie, tum argenti cupiditate tanto impetu oppugnare adoriuntur, ut uno alterove prelio ceperint. Potiti oppido cuncta diripiunt abducuntque; imposito repente presidio preda onusti et in castra leti redeunt. Iam duos circiter menses Zoynichum obsederant, acerrima sepe pugna vexarant et adhuc expugnare nequivere. In oppugnatione novissima Emericus equitum prefectus immissa ab oppidanis sagitta oculo prefigitur; parum abfuit, quin oculum erueret; nimio dolore correptus et deiectus animo in tentorium refertur. Rex prefecti sui vulnere consternatus se multo deinde remissius agere cepit. Dein rumor haud parvus increbuit Maumethem, ne argentea oppida desereret, cum numeroso propediem exercitu adventurum, collatis cum rege signis omnino pugnaturum, cum quadraginta milibus hominum in horam affuturum. Hac fama Emericus oculo saucius multo gravius angi et absterreri, regi consulere, ut soluta obsidione castra amoveat, dicere se Turco imparem et militem longo bello et assiduo labore defatigatum refici et recreari oportere seque omnino cum victoria et ingenti preda redire. Postero die fama hec magis magisque militari metu et mussitatione augeri. Oborto tandem tumultu Turcos haud procul abesse et iam iam cum instructo agmine affuturos rex sola fama perterritus signa tolli et castra moveri iussit; id cum tanta militum trepidatione factum, ut relictis tormentis aeneis et plerisque impedimentis ad Savi ripam continuo se receperint, mox amnem remensi in Syrmiensem agrum rediere. Equam hic aliqui utrique

principi volunt fuisse fortunam, quippe que veluti ad layzam, solo adventantis Corvini nomine Maumethem machinas aeneas et impedimenta deserere, ita sub Zoynichi menibus ad Turci famam Ungaros auctore Emerico turpem fugam rapere iusserit.

Postquam falso rumore ac metu se correptum intellexit, rex ³⁷ haudquaquam obsidionem illam repetendam esse censuit, sed frequentissimum Segedini conventum indixit, ubi de commodo reipublice et suscipiendo rite bello multorum sententias audire voluit. Segedinum igitur castra movit, quo ceteri pontifices ac principes edicto publico convenere. Inter primarios Dionysius Sechus affuit metropolita Strigoniensis, Ioannes Quinqueecclesiensis episcopus, poeta nostri temporis nimirum insignis ac Michael Orsagha palatinus, qui ea sapientia, probitate ac fortuna fuit, ut, cum sub Sigismundo florere ceperit, quem in Italiam dispensator secutus est, sub quinque regibus nunquam intercepta felicitate ad extremum usque finem vitam cum summa laude et auctoritate peregerit. Hunc Mathias ob singularem prudentiam, experientiam ³⁹ rerum et equitatem abdicato Ladislao Gara palatinum creavit. Affuere preterea ceteri optimates frequentissimi. Sed Dionysius ⁴⁰ eodem anno paulo post habitum ea hieme conventum vita defunctus est, vir perpetua laude et commendatione dignissimus. Octo milia aureum, que ad instaurandam basilicam legarat, in belli usum a rege usurpata. Ioannes Vitesius, cum Varadiensi se ⁴¹ pontificatu abdicasset, Strigoniensis metropolita ob multa merita spectatissimamque fidem non sine maxima aliorum affectatione a Mathia pronuntiatus et pontificia auctoritate approbatus est. In ⁴² eo conventu ut quid decretum fuerit, ex regiis ad Venetum ducem litteris satis exploratum habeo; ibi de bello Turcorum et mittendis Romam oratoribus presente Ioanne Emone Venetorum legato actum est; oratores duo prestantissimi omnium consensu designati Ioannes Quinqueecclesiensis episcopus, vir summa eloquentia et doctrina preditus et Ioannes Rosgonius unus e principibus optimatum; mandata his data, ut Paulo pontifici obsequia ⁴³ prompta deferrent et adversus communem Christiane reipublice hostem opem et auxilia implorarent. Ioannes Emo, quia pluribus ⁴⁴ Turcorum preliis adfuerat, veluti spectator et testis laboris fortitudinisque Pannonice tertius his adiectus est. Illam estatem Bude spectaculis rex exegit.

Cum primo coronationis anno hec in Rascia gesta fuerint, ⁴⁵ secundo ingruente Septembri in Corvatiam castra movit. Expeditionis que causa fuerit, nondum satis compertum habeo. In Fran- ⁴⁶ gipanes comites, qui Seniam, Medrusiam et varia Dalmatic oppida tenebant obsequiaque parum grata prestiterant, regem tunc aliquid moliri voluisse opinantur. Ea nanque tempestate multi ex ⁴⁷ ea familia, que Romana est habita, reguli comitesve florebant, imprimis Stephanus Medrusiensis, deinde Martinus, Dimus duoque Ioannes. Plerique regulorum nobiliumque nonnullorum iniuria eo ⁴⁸ iter intendisse dicunt, qui universam provinciam latrociniis et ra-

pinis infestam effecerant. Rex igitur Albam primo venit; octo ibi 49
dies egit, quibus equestres ludos semper exhibuit; ibi quoque
Suehla Bohemus, vir impiger ac strenuus infesta hasta pulchre de-
certavit.

Rex Alba profectus, cum Zagabriam iter intenderet, ad tertium 50
lapidem in quodam pago pluribus a Suehla exoratur, ut missione
donaret. Remotam is militiam et sterilem causabatur, ut missio-
nem impetraret aut ansam quereret abeundi; ab intempestivi sti-
pendii efflagitatione rem incepterat, ut abnegato stipendio etiam
invito rege iure sibi abire liceret. Duos in hac re sibi socios fuisse 51
memorant Georgium Batolezki Moravie regulum et Franciscum
generum Bohemum. Verum illa fuit desciscendi causa; sperabant 52
enim procul abeunte rege Pannoniam veluti gubernatore desti-
tutam latrocinis spoliisque patere. Suehla demum invito rege cum 53
sociis abiit. Reversus in Ungariam ad grassandum potius, quam
militandum imprimis castellum regis, quod Costolan appellant,
occupavit, deinde societatem illam Bohemicam, que ex cogno-
mento fratrum nomen acceperat, in Moravia tunc estivantem et ab
imperatore Romano inauthoratam ocissime convocat (erat enim
hec hominum fere septem milium) et ad lucrum faciendum in
Ungariam invitat, opulentas populationes et commoda ibi latro-
cinia pollicetur. Fraternalis hic exercitus Suehle pollicitis onerat 54
Pisonium venit. De occupanda hic Ternavia agi ceptum. E 55
centurionibus unus erat Ungarus, cui Blasio Podmaniczki nomen
erat; hic patrie gentis charitate correptus libero in medium animo
prodiit. Quocumque me, inquit, socii, nostra societas ire iusserit, 56
sive in Polonos ire cogar sive in Bohemos Alemanosve, nulla un-
quam erit in me mora. Sed in patriam arma sumere quando pre-
ter fas et equum est, id nullo modo prestare possum. Deterret 57
impietas et religio interminatur, patrie charitas inhibet et presen-
tanea supplicia, dii penates patrieque proponunt. Proinde aut alio
nunc arma vertite aut, si pergitis, me ultro dimittite et exauctorate.
Is accepta continuo missione insequenti nocte cum suis contubern- 58
alibus clam Ternaviam concessit. Cum eum custodes admittere
recusarent, prefectum urbis ad se vocari iussit; festinati causam
adventus et quantum periculi immineret, exposuit omni iubens
eos suspicione carere. Cum ista retexisset, a prefecto urbano mox 59
admissus est. Postero die rumor passim increbuit, quicquid agri
Pisonium Ternaviamque interiaceret, id omne a Bohemis populatum
iri. Hec enim viginti quinque milibus passuum a Pisonio remota est. 60
Atque res ipsa rumore antecessit, nam ad portas urbis Bohemi
statim affuere et urbem sibi dedi postulabant huic exitium inter-
minati, ni portas continuo patefacerent. Dicere ad hec nil esse 61
timendum, se preter comaeatus et hospitium nil aliud exposcere,
nihil etiam sine mercede accepturos; polliceri, si admiserint, om-
nibus cum integra libertate incolumitatem. Contra a menibus ex- 62
templo se Blasius prodidit, qui imperiosius eos abire iubens mi-
nis ac vi nil ibi profecturos esse significavit, quando sat comnea-

tibus et presidio civitas munita foret, quin etiam, ni continuo recesserint, penas interminatur. Ii postquam in urbe Blasium esse cognovere, pedem continuo retulerunt et ad decimum lapidem ad divi Viti fanum castellum instaurarunt, quod Costolan appellabant, a Suehla prius occupatum. Hinc mox, cum locum fossa aggereque duplici et crebris turribus communivissent, in rapinas effunduntur. Pagos et oppida vimineo muro circumsepta incendunt, abigunt pecora, in captivitatem omne genus hominum asserunt, cedunt reluctantes et cuncta diripiunt. Suehla in dies cum facinorosa multitudine latius longiusque grassatur. Instaurata in superiore Ungaria pristina esse latrocinia omnes vociferantur; redintegrantur vicatim et oppidatim feminarum hominumque lamenta; ad revocandum e Dalmatica expeditione regem nuncii mittuntur, qui Suehle facinus et renovata Bohemorum latrocinia referant.

Vix Zagabriam rex forte pervenerat, cum Suehle novitatem accepit. E vestigio cum exercitu pedem retulit, continuatis itineribus Strigonium venit et in ripa fluminis castra posuit, insequenti die coactis, undecunque licuit, navibus copias traicere cepit, transmissio Danubio Ternaviam concessit moxque Costolan famosum grassatorum asylum obsidet. Castellum, quod vi facile capi non poterat, magnam utrinque cedem sibi postulabat nullaque machina et ingenio citius quam inedia capi posse videbatur, nam ingens multitudo propter operosam munitionem et preproperam obsidionem ne tantum quidem comiteatum inferre potuit, quantum sat esse putaretur. Suehla igitur, cui laquei supplicium quctidie rex interminabatur et suas nunquam manus evasurum auspicabatur, ad fugam animum primum intendit; propositam ante oculos famem spectabat, cui tantum sociorum numerum per inediam absumptum iri egre ferebat; ab arte salutem exquirat. Proceras arbores, que murum ex materia et congesta terra factum circumstabant, nocte clam subcidit pontemque ex his construere iubet, ut ab aversa castelli parte iacto supra fossam ceco ponte prosiliant. Cum omnia e sententia fierent, per silentium noctis cum universa fere societate Suehla per actuarium pontem clam elabitur, ducentas meretrices et trecentos tantum homines in castello reliquit, quo presidio, donec ipsi longius effugiant, conatus regis eludant. Rex contra, cum hos maxima ex parte exiluisse sensisset, immisso expeditissimo equitatu multisque cohortibus a tergo insequitur; in feda fuga ceduntur multi. Rex ea nocte in castra rediit, magnam partem copiarum eos insequi iussit. In sylvas illi se recipiunt, per cunctas latebras et singula lustra petuntur. Diffuso rumore rustici superveniunt, qui multo sagacius eorum vestigia insequuntur; multos inveniunt, quos repente trucidant spolianteque. Latrociniorum penas severius exigunt et iniuriarum haudquaquam immemores pro furoris imperio seviunt. Ex his pauci evasere; ducenti et quinquaginta capti ad regemque in castra perducti. Paucis post diebus Suehla captus adducitur; is

enim solus equo insidens, cum per sylvas erraret, ut in Moraviam effugeret, in tignatorem quendam incidit oravitque hunc impensius, ut sese vie ducem tantisper accommodaret, quousque proximos Moraviae fines attingeret. Pro mercede equum, arma, pecunias et perpetuam denique gratiam pollicebatur. Cum nomen rogatus Suehla se esse diceret, ille continuo, Ha salve, inquit, Suehla latronum princeps facinorosissime; o quotiens mihi pecora et iumenta abegisti? quot meam domum calamitatibus affecisti? Quod de te aliquid pollicearis, non est opus; iam mei iuris es, Suehla; equus et arma mea sunt. Mox apprehenso equo Suehla cepit, qui trium dierum inedia iam absumptus vix equo sustineri poterat. Hunc ad castellum Cheithe duxit castellicae praefecto, cui Ladislao Zenas nomen erat, captivum assignavit. Is mox ad regem adhuc Costolan obsidentem litteras misit, quibus et Suehle captivitatem et quid de eo fieri vellet, plane significabat. Hoc nuncio rex in castris admodum exhilaratus eum diligentissime vinctum fidisque custodibus asservatum ad se mitti precipit. Ladislaus Zenas continuo mandata facit, Suehla manibus pedibusque vinctum fidaque custodia circumseptum ad regem in castra misit. In conspectum eius adducto, Nonne tibi sepius, rex inquit, interminatus ipse predixi te manus meas suppliciumque crucis nunquam evasurum? Cum forte rogatus triginta te dentes habere dixisses, nonne meministi convivas tibi omnes affirmasse crucis omnino penas te esse daturum? Scelus cum astro consentiens fatum tuum adduxit; te, Suehla, facinorosa perfidia huc adduxit, quotiens te suspendio dignum liberavi ratus viribus et virtuti bellice aliquid tribuendum? Significavi, ut ab aversa presidii porta clam elabereris, ne cum cetera multitudine eque mori cogerere. Fecisti, aufugisti quidem, manus meas evadere nequivisti. Proinde, quando perfidia, fatum et latrocinia tua ita iubent, laqueo, cui es obnoxius, emorere et moriendo male mereri desine. Fatum enim renorari, non tamen evitari potest. Frustra supplicentem in carcerem rapi iussit. Facinorosorum supplicio Maiorem Blasium praefecit. Is insequenti die pro castelli porta cruces longo ordine disposuit, super has eminentiores quasdam instituit, ubi latronum princeps ipse prependeret. Mox omnes ad supplicium educti in inferiore spectantibus sociis, qui in castello erant, ducenti et quinquaginta rite suspensi, in superiore vero ordine, qui magis erant insignes, in medio Suehla, a dextra sacerdos eius, a leva puer, qui post enses gestare solebat. Ceteri, qui in presidio remansere, tetro sociorum spectaculo conterriti ad hostis arbitrium sese dedidere. Trecenti ibi capti sunt, ducente vero muliercule, que pari scelere victum queritabant. Ii omnes a Stephano Bathor secundo amne Budam deducti et in turrim, quam Mancam ex cognomento dicunt, coniecti sunt. Michael Czobor ea tempestate praefectus arcis erat, vir quidem haud infacetus, alioquin severus in noxios et non expers crudelitatis; is enim esurientis fastidio multitudinis exasperatus sub pretextu liberationis sex octove in-

tempesta nocte excipere ceperat, quos alligato gutturi saxo Danubio clam demergeret. Interpolatis id noctibus usque adeo factum, quousque universus captivorum numerus hoc supplicio absumeretur. Ex ea igitur Bohemica societate, que septem milibus hominum plane constabat, perquam pauci evasere; omnes enim fere aut fame aut ferro sunt absumpti. Hic fraternitatis illius finis fuit.

Dum hec aguntur, secundo coronationis anno eodem quoque tempore legati, qui in conventu Segediensi designati fuerant, adiecto Ioanne Venetorum oratore cum apparatu magnifico et honestissimo equitatu in Italiam venere; quemadmodum supra diximus, Quinqueecclesiensis episcopus et Ioannes Rosgonius ii fuere. Ioannes Emo non invito inconsultoque senatu Veneto cum his venit et testis gravissimi potius quam legati munus obivit. Is enim quicquid in Bosna, Rascia ac Servia a Mathia gestum fuerat, rite cuncta spectavit; non modo enim ut comes sociusque, verum etiam ut consiliorum moderator et particeps periculis et preliis omnibus affuit. Vir enim consilii ac experientie magne compos domi militieque regi semper adstitit. Legatio non tam equorum prestantia, quam florentissima iuventute culta omnium in se spectatorum oculos sane convertit; rara huic assimilis in Italia visa. Legati mandato regis primum Venetias, deinde Romam venere, ut de communi bello cum Venetorum duce loquerentur. Cum urbi appropinquassent, mirifico sunt honore a senatu populoque suscepti. Rebus ibi e sententia constitutis Florentiam venere et in senatum admissi opem in Turcos ad salutem publicam postulasse creduntur. Romam propius accedentes honorifice pontifex maximus sacrosanctumque collegium excepit. Facta dicendi potestate Ioannes antistes vir summa dicendi copia pollens regia mandata eleganter exposuit. Postquam legitimum promptumque regis obsequium, vires, facultates et animum in re quaque maxima pontificio imperio obtemperantissimum obtulit, multa de imminente Turcorum periculo deque intolerabilibus et quotidianis Ungarorum laboribus rite disseruit, quin etiam, veluti a rege post abitum fuerant edocti, novos Turcorum apparatus adiecit Maumethem inquiens variis trium annorum cladibus affectum non usitata solum ira odioque, sed diro quodam furore vexari, omnes artes dolosque tentare, nunc indutias insidiosas offerre, exposcere amicitiam, otii desiderium preferre, nunc gravissima bella moliri; nuperrime duos duces cum expeditissimis exercitibus premisisse, qui Ungariam penitus ingressi, quantum in se esset, igni ferroque vastent et cedibus cuncta ex more compleant, in reditu Belgradum obsideant; hos iam Synderovie appropinquasse; Maumethem cum filio, qui natu maior est, cum certis et innumerabilibus quidem Turcorum viribus haud procul hinc subsequi, ut ea estate civitatem expugnet, Serviam occupet et layzam demum Bossenam recuperet; et eo obstinatus his duobus locis, ut potiatur, enixurum, quo faciliorem unus in Ungariam, Poloniam, Bohemiam, alter in

Dalmatiam, Istriam, Italiam Alemaniamque aditum prestare videtur; Mathiam regem pro virili sua gravissimis his difficultatibus 107
occurrere, multas lignorum strues, ut Belgradum muniat, secundo anne demisisse, obfirmasse armis, milite et commeatibus; in Bossena propter Emerici gubernatoris occupationes, qui 108
superiores Ungarie oras a Bohemis Polonisque tuetur, prefectos alios disposuisse copiasque dedisse; regem habito delectu Buda 109
profectum in superiorem Ungariam concessisse, ut provinciam a Bohemorum Polonorumque latrociniis vindicet, quos magnas sibi societates comparasse intelligit; demum pro viribus imminenti- 110
bus circum periculis occurrere; eius animum consilio et celeritate promptissimum nulla laborum gravitate succumbere; hosti non prudentia, non animi magnitudine, sed viribus tantum cedere, quibus se impari esse non infitatur. Demum, quando 112
Christiane reipublicae propugnaculum Ungariam esse nemo negat, in communem fidelium salutem a pontifice opem et auxilium implorat. A pontifice patribusque apostolicis benigne responsum; 113
sacrosancti collegii decreto sanctum, ut quinquaginta quotannis aureum milia pro gerendo bello ad Mathiam in Ungariam mitterentur, que annos multos persoluta sunt. Quin etiam stantibus 114
adhuc Romae legatis Marcus Tininiensis episcopus novus ad urbem orator a Mathia missus est, quem cum propter ista, que diximus, tum propter Stephani Colociensis archiepiscopi cardinalatum ad Paulum pontificem Mathie indulgentissimum profectum esse novimus. Oratores rebus omnibus e sententia con-
fectis in Ungariam rediere.

In Achaia interim Turcus agens, ut initum Venetorum cum Mathia fedus rescinderet, nunc Venetos, nunc Pannonem cum indutiis, tum pace sollicitavit, quin et Mathiam per maioris Valachie regulum, quem vaivodam appellant, sepe tentavit, optimas pacis condiciones obtulit, adiecerat nonnullos in Bossene Servieque finibus ultro citroque nobiles et imprimis Rascie despotam, quem non parve apud regem auctoritatis esse intelligebat. Inter- 116
nuncii quoque quotidie mittebantur, per quos mittendorum legatorum potestatem postulabat, sciebat enim nisi soluto duorum federe potentatum nihil in alterutrum bello profecturum; vires 117
quasque maximas sola discordia enervari. Contra vero sub pretextu pacis bellum multo gravius parabat nec latebat quidem Pannonem Venetumque hostilis astus, perfidia plus quam barbara et insidie; servandum eo impensius uterque fedus esse censebat. Sepe his etiam Ioannes Emus, antequam abiret, interfuit.

His quoque temporibus multe inter Mathiam, imperatorem 118
Romanum Bohemicumque regem Georgium querele ultro citroque intercessere, que animos non mediocriter alienabant et futura inter eos bella portendebant. Friderico in Pannonia superiore 119
prope Sempronianum agrum castella quedam fuerant, veluti Khismarthon et Forichtstain, alia quoque nonnulla, que intra Ungarie fines continebantur. Hec cum imperatori vectigalia penderent, 120

iure federis a rege Pannonie immunitatem habebant; nihil tributi a rege impositi, nisi pro Turcico bello, cum gerebatur, solvere debebant. Rex, cum extraordinarium ea tempestate stipendium 121 partim propter Turcorum, partim propter fratrum latrocinia numerose multitudinis indicere cogeretur, his iuxta atque ceteris, tributum imposuit. Indoluit Cesar nihil in vectigalibus suis po- 122 pulis indultum iri, nihil e stipendiis remitti, nullam Auguste dignitatis rationem haberi et ne secus quidem, atque si ipse quoque imperator vectigalis haberetur. Sepe tamen Mathias Cesaris 123 et Leonore Auguste litteris exoratus imposita belli gratia tributa remisit; ne ius tamen amitteret, non perpetuo concessit et, cum permisit, retinendi iuris causa non incaute id fecit. Prefectus Sempronianus in exigendis huiuscemodi tributis se cum reluctantibus aliquanto severius agere cobeatur, contra illi, quod iure patiebantur, hostiles iniurias reputare, confugere ad Cesarem et exaggerata re gravissime queri abacta a Sempronianis pecora et captos hostiliter homines populatosque pagos dixere. Ad hec imperator, cum quisque suis facilius quam alienis credat, Mathie succubere, querulas scribere epistolas et ultro citroque plerumque ad iram animi irritari. Cum rege Bohemie defuncta iam Ca- 124 tharina uxore eius iniurie, que a fratrum societatibus, et latrocinia, que partim a Moravis, partim a Bohemis latronum tunc asyulis Ungarie inferebantur, ad capessendum facile bellum ipsum suscitantibus quoque aliis incenderunt. Cum in his tandem mutue 125 utrinque littere animos reconciliarent, novum fortuna bellum obtulit.

Nam in Transylvanos et Moldavos communi consensu expedi- 126 ditio decreta, alteri nanque creato novo rege rebellarunt, alteri Stephano duce a regia fide defecere. Benedictus Rufus Transylvane novitatis auctor fuerat, vir in provincia opibus et auctoritate iuxta potens. Ea nanque tempestate Ioannes comes eius plage, 127 ut aiunt, vaivoda provinciam a rege sibi traditam cum imperio tenebat, vir nobilitate, prudentia, auctoritate viribusque prestans natus e domo Sancti Georgii, que inter Ungaros nobilissima semper habita. Accedebat fratrum prestantia, multitudo amicom- 128 rum et clientium, preterea cognationes et affinitates eximie, item amplitudo divitiarum, que quidem omnia hominem ad maxima queque speranda hortabantur. Cum ex usu belli inusitata Transyl- 129 vanis tributa imponerentur, quorum non tam gravitas, quam insolentia provincialium animos ad res novas irritabat, is a Benedicto Rufo a principio clam vexari cepit et ad capessendum munitissimum opulentissimumque regnum exhortari. Dicebat enim Mathiam ex rege tyrannum evasisse, gravissimis inusitatisque vectigalibus populos afficere, nemini privilegia, sanctiones, immunitates et municipalia iura servare, ex libidine cuncta gerere; provinciales imperiosum insolentemque hunc dominum ultra tolerare non posse; disquirere, quem regem creent; neminem ipso vaivoda succurrere digniorem, quippe cui nobilitatis et sa-

pientie tantum inesset, quantum ceteri nossent; preterea tantum
 auctoritatis et potentie cum summa probitate coniuncte, ut,
 quem alium magis optent, neminem invenient. His consimilibus-
 que dictis labantem sensim animum ad magna speranda convertit
 nec ab re quidem, quando regalia comitia nemo competitor ex
 hac prosapia dedecuerat. Benedictus inclinato huius animo rem
 cum plerisque principibus agere cepit et multos e nobilitate ple-
 beque communicato consilio, ut nova moliantur, impellit, deinde
 res clandestina palam agi cepta. Multi ad diversa loca dimissi,
 qui querelas, regis invidiam et novitatis semina per vicos et op-
 pida spargerent, regem Mathiam criminibus peterent, quod in-
 solentissima gravissimaque tributa imponeret, privilegia, immuni-
 tatis et libertatis iura non servaret, eternum bellum corroganda-
 rum gratia pecuniarum aleret; alium omnino regem queri oportere
 libertatis et otii amantiorem, vaivodam propense nuncupatis
 votis aptandum, quem pientissimum Transylvanie patrem semper
 fuisse noverint; Transylvanum regnum suapte natura esse ita
 munitum, ut, si provincialis concordia roboretur, nihil sibi sit a
 parte ulla formidandum; regionem esse auri, argenti, pecoris ac
 marmoris, preterea vini, frumenti, salis omniumque rerum, quas
 lautissimus vite usus exposcit, pre ceteris feracissimam, e coloniis
 olim Romanis et legionibus completam, optimorum matrem
 equorum, quos sylve etiam sponte ferant, boumque fecundissimam
 parentem, nativum divitiarum erarium et non immerito a natura
 montibus circumvallatum, ne a barbaris facile nationibus
 expilaretur; insuper Transylvanis finitimos omnes esse conciliatos,
 quando sine ubertate hac vivere illi nequeant; proinde humile ac
 stultum esse legatam a maioribus libertatem pusillanimitate
 quadam per ignaviam amittere; inusitata nullo pacto vectigalia
 toleranda; vindicem libertatis et novum regem omnino querendum,
 Ioannem vaivodam potissimum eligendum. Hec Rufo
 auctore agitari occepere. Conspirantium quotidie numerus au-
 getur. Res deinde publice agi cepta. Primarie quoque urbes legationibus
 internunciisque vexate, ut a rege deficerent, que defectionis
 crimen abominabantur, sub asserende libertatis specie ad sumenda
 contra regem arma sunt adacte. Universa demum
 Transylvana provincia partim male suasa partim sua sponte a regia
 fidelitate defecit Ioannemque vaivodam etiam invitum regem
 declarant salutantque. Passim per totam Ungariam haudquaquam
 falsus rumor effunditur Transylvanos nova moliri, novum sibi regem
 creasse et palam sacre corone obsequia detrectare. Hec igitur omnia
 publico rumore ferebantur.

Habito delectu rex Michaellem avunculum et Nicolaum Wylachum
 regni fines adversus Turcos tueri iusserat. Ipse haud mora in
 Transylvanam expeditionem cum palatino Michaelle multisque
 proceribus antistitibusque contendit, octo milia equitum et
 quattuor milia peditum secum ducit; ceteras cohortes turmasque
 Nicolao Michaelique tradiderat, quo facilius Tur-

corum incursum tolerarent. Sed Michael non multo post Zoy- 144
 nichii obsidionem, quando vix duo, ut perhibent, menses inter-
 cessere, male pugnando cum Turcis capitur, nam, cum eorum
 adventum per exploratores accepisset, coacto repente exercitu,
 ad Pozazin, qui quidem locus sub Synderovia triginta milibus
 passuum est, Turcis occurrit; impar hosti, cum honeste pedem 145
 referre non posset, audacter manum conserit ratus fortunam
 pietatis et audacie rationem aliquam forsitan habituram. Primo 146
 congressu Mars arrisit; multi e Turcis a principio cecidere.
 Alibechus et Scender frater eius brevem Christianorum numerum
 conspicati, cum uterque cornu duceret, extemplo circumveniendos
 Ungaros esse duxere. Quod cum fecissent, ii ab hostibus circum- 147
 venti consternatis animis partim confusa acie elapsi aufugere.
 Michael spectata sociorum clade ne ipse quidem superesse vo-
 luit; in confertissimos cum paucis, qui superfuerant, hostes re-
 pente se coniecit capiturque, quin etiam Gregorius Labathan
 prefectus ale et in Turcico diu bello versatus hostiles manus evitare
 non potuit, quem in Varnensi clade captum quoque fuisse dixi-
 mus. Ambo Constantinopolim captivi ducuntur et imperatoris 149
 iussu capitis supplicium subire coguntur. Michael prior non sine
 hostili affectatione obtruncatur; Gregorius mox eductus cum in
 horam iugulum expectaret, quidam presto Turcus affuit, qui eum
 cum filio rependum a principe precario impetrarat et pro cap-
 tivo Turco repensus; fati diverticulum Gregorio est oblatum.
 Avunculi mortem rex egre tulit; quippe non parvam regno iacturam
 in eo factam esse intellexit; a cunctis etiam fuit ordinibus
 iuxta deploratus.

Mathiam continuatis itineribus in Transylvanos contendentem 151
 vehemens quoddam festinandi studium incesserat haud inscium
 locum esse hostibus inaccessibilem, si provinciales montium fau-
 ces impositis ubique presidiiis asservarent; nam, cum Carpatiis 152
 montibus iisdemque perpetuis et editissimis ab Ungaria dividatur,
 provincia in amphitheatri morem continuis iugis universa cingitur.
 Aditus angustissimi et qui facile obstrui queant, currus vix sin-
 gillatim admittunt. Angustie montium per quindecim milia pas- 153
 suum continuantur, ubi brevissimum quodque presidium validis-
 simas copias non modo remorari, verum etiam ad internecionem
 cedere posset. Has igitur Mathias imprimis occupat et inse-
 quenti die in patentes campos penetrat. Non procul a castris provin- 154
 cialibus occurrit exercitus rogatus a conspiracy auctoribus,
 cum usus tulerit, ane adversus regem Ungarie dimicare decerne-
 ret, respondit universus ad unum se pro conservanda provincia-
 lium libertate, item privilegiis et immunitate ad supplicandum, non
 dimicandum esse invitatum; contra regem nunquam arma sumptu-
 rum, defectionis infidelitatisque crimen morte impensius abomina- 155
 turum. Cum hec novitatis principes accepissent, animo consternati
 et penitentia ducti castra solvere; populi qui convenerant, sedes pro-
 prias repetunt. Rex ultra castra movens in rebelles iter intendit et po- 156

stero die eo pervenit, ubi superiore illi die castra metati fuerant, Ioannes vaivoda extemplo cum universis provincie iudicibus occurrit supplexque veniam exoravit. 157

Nunquam, clementissime rex, in conspectum tuum venire potuissem, nisi misericordiam mansuetudinemque tuam satis prius exploratam habuissem eaque gravitate maiestatem tuam preditam intellexissem, ut nihil temere ageret et inconsulte. Quin etiam, si iustitie simul et misericordie tibi occasio offeratur, clementie potius, quam severitatis officium te novimus optaturum, quando regiam alterum dignitatem magis addecet, ingratum vero et invidiosum est alterum; hoc magni, pusilli illud est animi. Nos cum iudicibus ad te confugimus, Mathia, ut, si peccaverimus, veniam, sin minus, gratiam imploraremus. Sed quis est tam bonus, qui non quandoque peccarit? Ad malum potius, quam bonum mortalium pronum est ingenium; sed ocissime resipiscendo, cum labitur, tempestiva penitentia veniam promeretur. De me vero et de iudicibus rem universam ingenue fatebor, ut aliquid sibi libera fassio comparare videatur. Cum insolita ex edicto vectigalia Transylvani quondam magna libertate donati ob gravissima bella pendere cogerentur, hinc maxime vulgo querele sunt oborte, insolentia quisque tributa detestabatur et pendere recusabat. Publica hinc indignatio suscitata et aperte quisque stipendiorum insolentiam et gravitatem incusabat. Ego communem animorum indignitatem facile coercere non poteram; mansuetudine potius et tolerantia sedandam, quam exasperandam severitate censebam. Inter hec lamenta ecce Rufus intercessit, rem ipsam graviter exaggerans indignatos ad defectionem animos irritavit. Ad id nonnullos novarum rerum cupidos impulit, me regem declaravit, cum sociis, qui una conspirarant, diu me reluctantem et interminantem acerrime his verbis, ut id paterer, adegere; si regnum non acciperem, se Polonum aut Valachum Ruthenumve introducturos esse minabantur. Ne quis ab his alienigena introduceretur, qui nostram provinciam magnis viribus occuparet, ultro nomen regis admisi, quousque regni vindex et verus rex ipse veniret, qui cuncta pacaret. Cum pro rege hic forem, regia me salutatione honestari eo usque toleravi, donec presto afforet exercitus, quo facinorosorum audaciam coercerem. Quin etiam et illud ingenue dicere ausim, quod, si ad peregrinos id transferendum erat imperium, mihi, quam cuivis externo maluissem haudquaquam diffisus regiam sustinere dignitatem, que degeneres animos abominatur. Ni, Mathia, venisses, inter istos dominari, quam furorem gentis in me convertere maluissem. Postquam, rex sacrosancte, venisti, pastorem: suum oves agnovere; te verum regem, te Ungarie Transylvanieque dominum omnes consalutant. Ego quoque imprimis principem dominumque meum agnosco ac supplex veneror et adoro. Adventu tuo pacata sunt omnia et, antequam in tuum aspectum venirem, arma, que sumpserant, deposuere. Omnes facti penitet et levitatis, qui autem perfidia notari possint, sunt, 158 159 160 161 162 163 164 165 166 167 168 169 170

Herele, perpauca. Populi, qui convenerant, ut e iudicibus civitatum, qui nunc adsunt, scire poteris, quamvis ad bellum a novitatis auctoribus irritarentur, ad supplicandum pro rebellione confluerunt. Postquam a principibus conspirationis se sollicitari intellexere, ut sumpta in te arma verterent, continuo deposuere, ne impium et infidele bellum gererent; quare pauci sunt in culpa. Iudices autem, qui huc e primariis urbibus convenere, debitum et gratissimum ubique gentium obsequium maiestati tue pollicentur, preter inusitati extraordinarii que tributi querimonias nihil se commisisse profitentur. Si hostilem in te animum gessissemus, ante ingressum profecto occurrissemus, obstruxissemus angustias montium et obstructis faucibus presidia imposuissemus. Postquam autem in Transylvaniam penetrasti, non quadrato agmine tibi occurrimus, non instructa acie tibi obviam prodivimus, sed inermes ac supplices clementiam tuam venimus exoratum, imprimis, ut, si quid peccaverimus, veniam et erratorum impunitatem impetraremus. Illud profecto clarissimum maiestatis tue opus erit ignoscere supplicantibus, presertim cum in tempore resipiscant. Repentina penitentia, ingenua fassio maximum quodque delictum abolet. Da operam, rex benignissime, ut ex opere clementie tue hodierno te die verum regem et patrem pientissimum esse cognoscamus. Boni principis est officium in delictis plerumque connivere et oblatam misericordie occasionem haudquaquam recusare. Nulla quidem in regia maiestate virtus plus dignitatis habet et splendoris, quam ipsa clementia, qua deum reges propius accedunt. Quid enim magis regium est, quam vincere seipsum, parcere supplicantibus et errata mortalium, cum tuto fieri possit, facilitate potius, quam severitate corrigere? Proinde nobis impensissime supplicantibus ignoscere et, ne pristinae libertatis privilegia Transylvanis violentur, pro tua beneficentia prospice iuraque tuere.

Cum hec dixisset, ad pedes regis una cum iudicibus provolutus ad osculum mox excipitur. Rex omnibus veniam, preterquam perfide ac defectionis auctoribus, daturum et libertatem privilegiaque Transylvanie ultro servaturum pollicetur; Ioannis comitis fiduciam, dicendi libertatem et ingenuam confessionem commendat; asseverat se nunquam de Transylvanie fide dubitasse; si quid novitatis acciderit, id nonnullorum perfidia et improbitate accidisse atque eos miti se tantum exilio multaturum.

Unum erat, quod in ea expeditione regem vehementer angebat, Emerici Scepusiensis indignatio, qui in hac expeditione regia castra deseruerat. Causa nemini satis comperta fuit, sed illud omnium ferebat opinio regem iam optimatibus formidolosum esse cepisse, suo, non alieno ductu agi velle, tacitam a cunctis proceribus reverentiam promptissimumque obsequium sibi postulare; Emericum inter paternos amicos primum, quem tantopere cunctis honoribus evexerat, libere loquentem aut consilii adversantem minis quandoque corripuisse; fecisse illi sto-

machurr et hinc Michaelis exemplo illum plerumque metum incessisse; intercessisse quoque calumnias invidorum, qui parvi ab illo regem fieri dicerent, quin etiam illum sese regem maiorem ducere. Proinde oborta hinc simulas et suspicio veterem amicitiam inturbare ceperat. Emericus ea sola suspicione adductus, ut castra desereret et, cum opibus et auctoritate ita foret ad-auctus, ut arte viribusque suis se tueri posse confideret, de aperta defectione cogitavit palam exclamans se obtrectatorum opera ad inopiam et agrestem vitam nunquam rediturum, immo potius mortem obiturum. Virum tanti momenti, preterea spec-¹⁸⁹ tate fidei ac sapientie non temere dimittendum rex esse censuit. Ioannem archiepiscopum Strigoniensem ad Emericum dimiserat, ut hominem reconciliaret, suspiciones omnes adimeret et ad veterem regiamque fidem omni studio et diligentia revocaret. Ar-¹⁹⁰chiepiscopus mandata regis e sententia prestitit, nanque redeunt e Moldavia regi Emericus reconciliatus cum florentissimo occurrit exercitu et se imperata cuncta facturum esse recepit. Sed ad Transylvanam expeditionem redeamus.

Rex, cum Ioanni iudicibusque, ut diximus, ignovisset, primo Colosvarum venit, deinde Thordam; ibi novitatis gratia conventum provincialibus indixit, quo ad prestatum universi diem convenere. De fidelibus hic et infidelibus agitatum, qui rebelles ac perfidi declarati, his perpetuum dumtaxat exilium indictum est et ea quidem condicione, ut ad statutum diem extra regni limites, quocumque luberet, se cum fortunis transferre sit liberum, quin etiam cuique tuto abeundi potestatem et diploma pollicetur. Benedictus¹⁹³ Rufus huiusce mali auctor, in Poloniam se surripuit ibique vitam exegit. Mite iudicium omnes comprobarunt, quin et ipsi perfidie convicti in se mitius, quam oportuerat, actum esse fatebantur. Sed multos ignavia et regis lenitas plane fefellit, quippe qui, dum conniventem in his regem sperant, magis opinione severum deprehendere. Cibinium enim cum venisset opulentissimam Tran-¹⁹⁵sylvanie civitatem, sibi continuo renunciatum est ibi nonnullos ex his esse, quibus dies perduellionis fuerat indictus, et contempto prorsus edicto periculoque capitis in exilium nondum abire voluisse. Ne parum quidem his regis animus incenditur et, ne ex¹⁹⁶ nimia indulgentia facilitateque contemptus aliquis calamitosus oriatur, questorem statim acciri iubet, qui reos capitis et eos, qui regni hostes in frequentissimo Thorde conventu pronuntiati fuerant, continuo caperet moreque maiorum novissimum de his supplicium sumeret. Eo die octo capti, e quibus hos imprimis me-¹⁹⁷morant Petrum Gereb, Michaellem Suki, preterea pretorem urbis Ioannemque Cherium, ii omnes in foro securi a publico lictore obruncati sunt; nullus ex horum nece tumultus in Cibiniensi urbe suscitatus, omnes iure cesos affirmant.

Rex pacata provincia, dum dive Catharine sollemnia celebran-¹⁹⁸tur, Transylvania egressus in eam Valachie partem castra movet, quam Moldaviam nunc dicunt. Hic Stephanus vaivoda late domi-¹⁹⁹

nabatur et, cum sub regis Ungarie ditione versaretur annuaque stipendia exolvere ac imperata facere deberet, elatus animo ac ferus ingenio, preterea impiger et bello asper detrectarat obsequium; Transylvanas etiam factiones foverat, ut perturbatis rebus libertate frueretur. Rex igitur per sylvas augustiasque montium iter 200
facere cogitur, ut rebellem Valachum ad obsequium revocaret. Ubi obstructas arboribus multaque materia fauces invenit, partim 201
igni, partim ferro sibi viam aperit, patefacto itinere, cum in latiore regionem exivisset, ad oppidum Romanvasiar castra locavit, quod Romanum illi forum interpretantur; lignea huic sunt menia aggere fossaque munita; Serethus hoc amnis alluit; ad ripam arx lignea presidio potius, quam arte munita. Stephanus hic erat provincie regulus, cui Moldavi omnes iuxta parebant. Rex primo impetu Romanum forum occupat, quod ubi ab hoste visum est, postero die per internuncios de pace agi ceptum. Multa ultro citroque de concordia agitata sunt; nihil tandem confici potuit. Post, ubi Mathias sibi ab hoste verba dari senserat, infecta pace castra hinc ultra movet; antequam abeat, succendi diripique oppidum edicit. Incenso Romano foro, quacunquē iter facit, pagos et oppidula igni ferroque passim cuncta vastat, homines ac pecora cum ingenti preda miles abigit.

Ad civitatem demum tertio die pervenit episcopo haud quam ignobili preditam, que Moldavis Bania dicitur, ubi in prima vigilia noctis rex cum insidioso callidoque hoste conflagere cogitur. In hoc quisque bello fortunam regis cum virtute coniunctam fuisse perhibet. In parte fori regis erat hospitium, quod ad episcopatum spectat, ubi due quoque vie congruunt, que basilicam amplectuntur. Ceteri pontifices, proceres legionumque prefecti circa forum hospitia occuparant, ut ex usu regi presto semper adessent. Inter cenandum ad regem captivus quidam Sythulus adducitur; 208
rogatus accito interprete, quis esset, unde et quo tenderet et que causa fuerit itineris, respondit interprete nequaquam sibi opus fore, se Ungarum et Transylvanum esse ac rerum ignarum ad revisenda sua predia nunc in Moldaviam venire, que caduca uxoris bona forent; in itinere Valachorum duodecim milia haud procul 209
hinc offendisse, qui Ungaros prima vigilia noctis incautos adorirentur trucidarentque; se gentis charitate properasse, ne silentio nefario suorum exitium pateretur. Cum hec a principio parum crederentur, ne salutis forte gratia ista comminisceretur et a rege mine interiicerentur, mox adiecit, ut adhibitis seipsum custodibus asservarent; si falsa nunciasset, ultimum de se supplicium continuo sumerent. Rex hominem asservari et Drach Bertholdum ea tempestate dispensatorem suum, equitem fortissimum et ad gerenda bella natum convivas bene tractare iussit. Incenatus ipse mense se subtrahit, optimates omnes, centuriones et prefectos equitum ex templo cogit, imminens ab hoste periculum enarrat, omnes clam arma sumere precipit, stationes in civitate per omnes vias portasque disponit, ad fori aditus pretorianas cohortes collo-

cat. Ducentos veteranos et eos quidem gravis armature pro suo ²¹³
 hospitio statuit, ut a duobus vicis, qui ibi congruunt, hostium im-
 petum excipiant; turmas equitum per compita cuncta distribuit.
 Vix hec ita disposuerat, cum sub primam noctis vigiliam hostis ²¹⁴
 advenit; ligneam urbem vimineo muro circumseptam a tribus
 repente partibus immisso incendio adoritur; maximus utrinque
 clamor et tumultus oboritur. Valachi immisso per urbem igni
 intro penetrant; iniectus utrisque ignis per cecam noctem tantum
 luminis prestabat, ut evidentissime dimicarent. Ad portas primo,
 deinde per vias et trivium magna strages agitur, ut nil infestius agi
 vidcretur. Ex industria quadrata duo agmina duplici via ad regale ²¹⁷
 hospitium contendunt, veteranos ibi instructos offendunt, acerrim-
 um atrocissimumque hic prelium agitur. Cadunt hic multi e ²¹⁸
 Valachis et, dum ii hostes domo eiicere, illi contra vincere et
 vitam servare nituntur, multum hic sanguinis exhauriunt. Michael
 palatinus, Nicolaus Chiupor et Ioannes Pangratus vaivode Tran-
 sylvani, Nicolaus Bamffii, Stephanus Bathor ceterique proceres
 fori aditus obstinatissime pro se quisque tuebantur et irruentium
 impetus repellebant. Non latebat enim capto foro haud secus
 atque arce cetera facile peritura. Ubique inter tela et incendia
 pertinacissime dimicatum. Valachi tandem ex omni fori parte re-
 iecti post mediam noctem terga dedere. Instant a tergo Ungari
 et, antequam urbe se hostes surripiant, quamplurimos intercipiunt,
 alios pre aviditate fuge in flammam, multos in enses agunt, dum
 in propra festinatione sese conglomerant, aut pilis a tergo con-
 fodiuntur aut mutuo cesi sese collidunt.

Vix quattuor milia urbe exiluerunt; ceteri in urbe depre-
 hensi ad unum omnes trucidati sunt. Rex ea nocte modo
 pro hospitio suo cum veteranis certans, modo in foro stationes
 percurrens militis et imperatoris optimi prestitit officium. In
 acerrima quaque pugna primus affuit, nunc fortes hortando, nunc
 increpando timidos, nunc laborantibus succurrendo et fortissime
 ubique dimicando se exercitumque servavit. Gravissimas e rebel- ²²⁴
 lantibus Valachis penas exegit; ad internecionem nanque cecidit.
 Septem, ubi illuxit, Valachorum milia cesa ex numero comperta
 sunt; ex Ungaris mille et ducenti, ceteri magna ex parte saucii.
 Quin et rex ea nocte haud procul a spina dorsi sagitta Getica ²²⁶
 confossus est; ubi cum excussa ferrum hasta altius inhesisset,
 quatuor annos non sine gravi molestia pertulit et, cum, ubi in-
 sederat; tabescente plaga remitteretur, deinde repellente natura
 sensim excussum est. Ea nocte pro vita potius, quam dignitate
 pugnatum. Finitima queque oppida vicique pariter incensi di-
 reptique.

Rex vulnere gravatus ceso ad internecionem hoste pedem in
 Transylvaniam, deinde in Ungariam referre statuit servatorisque
 natalibus Braxoviam rediit; ibi in reos perfidie severius animad-
 versum est. Michaellem Transalpinum nobili vaivodarum genere ²²⁸
 natum supplicio capitis affecit. Ex rebellionis auctoribus Mi-

chaelem Zekel, Aladarium et Nicolaum, cui ex Visakna cognomen-
 tum erat, a questore captos ad Colosvar candelibus per urbem
 forcipibus circumvectos discerpi frustillatim ac demum obtruncari
 iussit. Ex diro supplicio tantum terroris omnibus, qui cum Rufo 229
 conspiraverant, incussit, ut clandestina sine liberis et fortunis
 fuga in Polonos et Valachos elaberentur. Eorum bona aut in
 erarium relata aut postulantibus nonnullis dono data. Nondum e
 Transylvania pedem extulerat, cum supplices a Stephano vaivoda
 litteras accepit, quibus audaciam et temeritatem suam ingenue
 fatebatur, quod adversus regiam maiestatem, cui plurimum nu-
 minis inest, nefaria arma sumpserit; non minus iustas, quam 251
 cumulas penas se dedisse dicebat; demum, quia post supplicium
 veniam sequitur, postulabat ignosci, non difficilem sibi putabat
 veniam fore et reconciliatum regis animum precabatur. Rex, ne
 plus severitatis, quam misericordie pre se ferre videretur, spem
 venie dedit, quam ex quotidianis rebus ac dictis, si ille vellet,
 augeri posse significavit; si obsequia grata legitimaque prestaret,
 se nunquam difficilem futurum, sin minus, Martem cruentissimum
 litem esse dirempturum, illum humanorum scelerum ultorem esse
 iustissimum. Mathias igitur pacata utraque provincia in Ungariam
 rediit. Nondum e Carpato monte prodierat, cum ad pagum quen-
 dam Emericus cum florentissimo exercitu improvisus occurrit et,
 veluti ante diximus, per Ioannem metropolitam Strigoniensem re-
 conciliatus supplex regem veniam exoravit; hilari et periucundo
 vultu susceptus et amplexus ibique perpetue fidei fedus ictum.
 Duo ea tempestate secretarii Mathie fuere; regale sigillum
 ex compacto senis mensibus vicissim ab utroque gestatum; scri-
 bendi munus sine controversia hoc modo Ioannes Strigoniensis
 et Stephanus Colocfensis ambo metropolite gessere, qui his tem-
 poribus haud parum gravitatis et iustitiae retulerunt. Hec igitur
 bella, postquam coronatus est, tribus circiter annis a Mathia
 gesta sunt.

Quarto autem coronationis anno, cum ad clara semper faci-
 nora animum extulisset, in Turcos hereticosque Bohemos animum
 intendit. E Transylvania rediens trajecto Tibisco Agriam ovans
 pervenit indictoque ibi conventu dies aliquot in ea urbe consedit,
 ut de futura expeditione decerneret. Cum regnum latrocinii
 purgasset, rebellantium repressisset audaciam et provincias nova
 molientes e sententia pacasset, quemadmodum hactenus abunde
 scripsimus, duo Mathie bella supererant, alterum Turcorum, qui-
 buscum est perpetua colluctatio, hereticorum Bohemorum alte-
 rum; hoc necessarium, illud a Romano pontifice delegatum.
 Paulus enim pontifex, verus Romane ecclesie pastor fideliumque 229
 pater, qui ne minore animi magnitudine, quam pietate prestaret,
 ad pacandam prius Italiam, deinde ad corrigendos hereticos coer-
 cendosque Turcos animum advertit. Utinam consilium numina
 fortunassent. Quarto pontificatus anno, cum per hiemem magna
 industria et labore res Italas componere conaretur et non satis

adhuc inter partes conveniret, rerum ille dominus ac pacis auctor inter celeberrima sacra publice pacem quibusdam condicionibus indixit et in ede Marci inter sacra sollemnia cum summo cardinalium omnium consensu edictum edidit, quo omnibus Itale pacis et concordie interturbatoribus Christiana consuetudine ac sacris omnibus interdictum est. Hec moliebatur, ut expeditius cetera consilia, que ad salutem humanam intenderat, prosequeretur. Mathiam eo tempore ad facinora queque clarissima accommodatissimum non tam natura, quam a deo sibi datum reputabat, cuius ductu et auspiciis profanum eque ac hereticum protereret; Georgium Bohemie regem execrabilis hereseos plane convictum publico gravique edicto regno ac dignitate privaveret. Id anno salutis quadringentesimo sexagesimo sexto supra millesimum factum erat et eo quidem anno, quo Ioannes Quinqueecclesiensis antistes et Ioannes Rosgonius legati ad Paulum pontificem venere. Ex eo tempore pontificiis sepe litteris ad utrunque bellum Mathias incenditur.

Reluctantem et utrique hosti imparem se esse dicentem varieque causantem Romani imperatoris epistole et oratores circumvenere, qui promissis oneratum ad extirpandam tandem heresim impulere. Hortabatur ad id iuvenem, quod Turcum in Asiam arma vertisse et Syriaco Egyptiacoque bello implicitum esse cernebat. Succendebat ulciscendi libidinem iniuriarum adhuc recentium amara memoria. Societates enim fratrum, qui tot oppida in Ungaria occupant, tot presidia et castella erexerant, tot annis regnum latrociniis infestum reddiderant, Bohemice Poloniceque fuerant et hinc eiecte in Moraviam Bohemiamve haud aliter, atque in patrium tutissimumque asylum confugiebant. Quin etiam mutue finitimorum iniurie, incursiones et rapine ultro citroque odia suscitabant, nam, dum quisque suis facile credit, ad veritatem et iustitiam plerumque animum non intendit. Nec defuerat quidem ingenitus laudis et glorie stimulus, qui ad maxima queque gesta trahebat. Immortalitatis enim cupiditati sic obnoxium natura finxerat, ut pro comparanda sepe gloria, gravissima queque pericula contemneret. Instigabat etiam religio, sacrosancti collegii observantia, orthodoxe fidei charitas et divinus amor indulgentissimique pontificis et Romani imperatoris auctoritas, quorum alter quinquaginta aureum milia per Ioannem oratorem Quinqueecclesiensem episcopum et collegam ad Mathiam miserat, alter omnia unius anni vectigalia Austrie, item arma, comitatus et tormenta quoque bellica ad hanc ultro expeditionem offerebat. Quin etiam, quantum ex regiis epistolis, que ex Strigonio ad Victorinum Georgii regis filium Mustembergensem que ducem et ea tempestate Moravie prefecturam sane gerentem secundo coronationis anno mittebantur, intelligi potest, Henricus Lippa et Mattheus Steinbergus ista odia et belli huiusce semina severe. Alter in regni finibus cum Michaele palatino mutuis decertavit iniuriis et, cum prior ipse provocarit, ad pretexten-

dum scelus Iesum adversarium accusabat illatasque loco ultionis iniurias deferebat, alter cum sociis eiusdem petulantie crebris regnum incursionibus inquietabat. Ne minore quidem audacia Stephanus Eyzinger stomachum regi fecerat. Ad coemenda nancque tela sagittasque, quarum inopia Turcico bello is admodum laborabat, in Germaniam superiore anno nonnullos miserat necubi portorium ob salutaris belli rationem ac regis auctoritatem ab his solutum est; cum Moraviae fines attingissent, gravissimum Stephano publicano portorium expendere coacti sunt. Quare haud ab re in Stephanum Mathie commotus est animus. Insuper ex veteribus nove quotidie iniurie a facinorosis utrinque hominibus ferebantur, interturbatores initi federis et otii in dies oriebantur; item, ut regis querula testatur epistola, in obsidione Costolani, cum obsessi fratres equos familiasque alere non possent, clam per silentium noctis elapsos in Moraviam ad Henrici oppida emerunt ibique gratum tutumque hospitium invenere. Hec igitur omnia cum rex mente revolveret, ad bellum Bohemicum animum acclinabat, nihil tamen inconsultis patribus proceribusque agendum esse censebat.

Cum de suscipiendo bello ad conventum frequentissimum retulisset, varie utrinque sententiae sunt audite. Plerique propter Maumethis insidiosi potentissimique hostis periculum a ceteris expeditionibus omnino cessandum esse censebant; sat Ungarum agere, si Turci impetum furoremque repellat; perpetuum, dirum validissimumque hostem haudquaquam dimittendum; Ungariam duplici bello prorsus impari videri et assiduo bello vexatam iam milite opibusque exhaustam esse. Contra alii plane sentiebant; perniciosum dicere Ungaro fore otium; si cessarit enim, in factiones intestinasque discordias repente recidere solere; ad bellum tantum esse natum robore corporis validissimum ac laboris et inedia tolerantissimum; universos Europe principes Ungari tantos labores et quotidiana prelia demirari. Addere fortunam, sapientiam fortitudinemque ducis, cui nihil aggredi licet, quod dexterrimum eventum non afferre videatur; bellum utrinque pium et sanctissimum; obortam olim Bohemorum heresim esse pestilentissimam; quin etiam admodum verendum, ne, cum e Bohemia Moraviam nuper invaserit, que contermina est, Ungarorum sensim et pedetentim animos illabatur. Omnes tandem tacentis regis animum et sententiam expectabant.

LIBER II.

Rex post diversas patrum sententias Pauli pontificis et Cesaris epistolas continuo recitari iussit, quae Mathiam hortabantur et orabant, ut delegatum a pontificia et Cesarea auctoritate Bohemici belli dudum imperium ultro susciperet, ac stata pollicebantur cum auxiliis stipendia. Demum obsecrabant, ut, veluti a Turcis hactenus, ita nunc ab hac hereticorum peste Christianam

republicam et orthodoxam fidem assereret. Recitatis epistolis 3
ipse a solio sic exorsus, Si quis, inquit, hoc, proceres, bellum
declinare deberet, Mathias ex his profecto unus esset, quippe
quem ir. socerum salutis auctorem arma sumere, quem pii loco
parentis semper habuit, nec equum nec fas ullum hortatur. Sed 4
cum mecum reputo, quicumque publicam personam gerit vel
maxime principis, potius communis, quam privati commodi ratio-
nibus antepo- nam. Cum me considero plus ad regni Christianeque 5
reipublice. quam affinium commodum esse natum, meorum sepe
cogor oblivisci. Ne illud quidem servatoris optimi maximi docu-
mentum quenquam preterire debet, plerumque, cum ius fasque
tulerit, non modo suorum nullam habendam esse rationem, sed
animam quoque suam, cum de deo agitur, perdere oportere, ut
in hodierna die agitur, recte pensitaveritis, nimirum etiam quo 7
de hodierno die agitur, recte pensitaveritis, nimirum etiam in-
iussu pontificis et Augusti ultro id bellum suscipiendum esse
censueritis. Res tanti ponderis si cui detrectanda esset, impri- 8
mis profecto mihi esset. In eo enim loco regnum situm habemus,
proceres, et ad tam misera tempora venimus, ut hoc bellum nec-
essitate magis, quam voluntate suscipere cogamur, cum Turcico
perniciosius esse videatur. Turci preter obsequium et tributa nil 9
aliud exposcunt; ad suas ceremonias nec vi nec cruciatibus im-
pellunt, nullis animum profanis opinionibus inficiunt; corporum,
non animorum imperium querunt; Bohemica heresis, que tam 10
multiplex est et diversa, ut contrariis semper fluctuet opinionibus,
usque adeo propagari cepit, ut non solum Bohemiam, sed
iam iam totam Moraviam et magnam Silesie partem infecerit. Iam 11
nostris finibus pestis hec imminet et nonnullorum ex militari
consuetudine, ut nuper accepi, mentes incessit. Corporis inter-
itus incommodumve parva iactura est, patres, sed animorum
maxima. Bohemus, dummodo te in suam ruinam trahat insita- 12
que labe contaminet, nil aliud postulat; te noctu et interdum fami-
liarissime utitur et, quibuscunque potest, humanitatis officiis
excolit, ad voluptates quasque perniciosissimas incendit. Iustum, 13
fas et equum omnia miscet; pollute ac inverse sunt ceremonie;
verus dei cultus piaculorum multitudine depravatus; extincta reli-
gio, spoliata templa sacraque collegia monachorum; orthodoxa
fides tot malis opinionibus infecta, ut nocturna sacra ad promi-
sca adulteria incestusque redegerint. Hic Adamitas et Ade more 14
viros passim cum mulieribus nudos incedentes, sine rubore
pudibunda ostendentes cernere erit. Hic Iacobitas, hic Paulinos, 15
hic Taboritas et Husitas ac varias hereticorum sectas quisque
spectabit nec illud ab re quidem, quando, postquam ab ipsa
veritate divertitur, diversi utrinque nos errores excipiunt. Quare 16
pestis et exitum nostris limitibus imminet et, ni salutem forte
nostram. veluti amentis desperatione contemnamus, necessario
hanc labem propulsare cogimur. Preterea quodnam bellum ho- 17
nestius gloriosiusque nobis proponi posset, quam id, in quo non

modo de communi corporum libertate, sed in universum de animorum salute agitur? Vos orthodoxe fidei vindices, vos Christiane republice assertores, vos universe salutis auctores nunc pastor gentium, sacrosanctum collegium et Romanum imperium vehementer hortatur et exorat, ut Christi populum non modo a servitute Turcorum, sed etiam ab hereticorum contagione liberetis. Et, ne ea, que vires nostras exuperant, ii orare videantur, 19 pecunias, arma, commeatus et auxilia non parva deferunt. Calamitosum laborem, fortasse quis dixerit, nobis proponunt. Immo, 20 si recte sentire ac viri esse volueritis, argumentum laudis et materiam nobis offerunt immortalitatis. Laudis, dixi, et immortalitatis, immo regni accessionem perpetuumque commodum. Quicquid armis queretur, vobis, non imperatori parabitur. Interitum tantum hereseos illi querunt. Quicumque non laude, non belli pietate movetur, commodo militie et imperii propagatione excitetur. Sed turpe est momentaneam utilitatem perpetue preferre 22 honestati, non solidum, sed inanem sibi finem preponere. Quietem sibi aliquis optabit. Quenam quies preter desidiosum et 23 ingratum otium Ungaro esse potest? Que vestre artes, que studia sint, queso, considerate. In tria hominum genera universa 24 digeritur Ungaria; unum deo dicatum in religione versatur, alterum militiam, tertium agros colit. Non vos diversa litterarum studia, non varie artes et mercatura sollicitat; pars maxima vestri arma gerit, qui, nisi stipendia feceritis assidua, vitam cum dignitate retinere non potestis. Si domi degitis, impatientes inopie 26 continuam ad vim, seditiones et rapinas animum advertitis. Formidolosum, mihi credite, tale vobis est otium, ad gerenda bella vos natura genuit. Proinde nolite, queso, turpi ignavia desidiaque 27 torpescere; partum tanto sanguine a maioribus regnum a Bohemis et Turcis vindicate. Non ignavia laus ipsa comparatur. Nihil honoris tibi virtus ipsa adfert et ornamenti sine labore difficultateque quam maxima. Generosi viri est more Herculis in perpetuo labore et sudore versari. Non ad ventrem et desidiam, sed ad 29 laborem nati sumus. Videte, quam bene nobis cum fortuna agitur. Inter Turcos et hereticos nati sumus, qui Turcis sunt longe perniciosiores; alteri in servitutem, in perpetuam animorum miseriam alteri nos asserere conantur. Martialis, ni a maioribus degenerare 30 velit, est Ungaria. Utrinque laudis et commodi perpetueque salutis proposita est materia. Quis hic vacationem militie, quis 31 otium aut exhortationem appetierit, nisi fortasse nutrire ventrem et inter mulierculas pensa disponere cupiat? Ardua et diffi- 32 cilia cuncta fortissimis viris sunt iure proposita; ignavos et inertes repellit gloria. Sat ipsa experientia didicistis nihil desidioso otio vobis esse perniciosius, quo humanum semper contabescit ingenium. Si religio et vera fides prius nobis insite esse debent, 33 que divino potius quam humano beneficio comparantur, vobiscum, pontifices, aliquantisper, queso, reputate, quid a vobis imprimis sacrosancta mater ecclesia, quid sponsus eius servator noster,

quid Christi vicarius, quid apostolicus ordo, quid Cesar Augustus, quid propinquum exitium iam nostris limitibus imminens, quid salus animorum et res denique ipsa postulare videatur. Existimate a Iesu optimo maximo vos omnes orari per cruciatus indignos, per sanctissimum sanguinem in patibulo crucis pro nostra redemptione large diffusum, per saluberrimam mortem, qua vos a morte liberati estis, ne hostes sui nominis vel religionis infectores in exitium fidelium, in animorum interitum vires et imperium amplificare patiamini. Id ipsum ceteri, quos diximus, exposcunt. Opulentissimi vobis pontificatus et basilice, opulentissime quoque proceribus et nobilibus civitates ac ville a superioribus nostris facte sunt non ad luxuriam agendam, non ad crapulas celebrandas, sed, cum Christi milites sitis, ad alendum exercitum, ad protegendam fidem, ad eradicandam impiorum hereticorum pestem. Que si preter opinionem contempseritis, ad eternam animi corporisque miseriam, mihi credite militabitis. Ad ingratum hec sagitta me hortatur otium, quam altius dorsi spine infixam Valachic bello nuper accepi; quanquam somnum inhibet, quietem intercipit et molestum cibum reddit, quotidie tamen gravorem corpori loricam induxi et contempsi dolorem, quando plus regni salus delectationis attulit, quam illa molestie. Si vos non Christi charitas, non orantium auctoritas ac cetera, que diximus, excitaverint, num usque adeo segnes, bruti ac omnibus sensibus eritis destituti, ut pristinorum intolerabiliumque iniuriarum memoria, quas per tot annos a Bohemis accepistis, ad bellum pro fide, pro Christo capessendum non impellat? Imprimis annos octo ac viginti Thelephus, Giscra sociique quam plurimi nos cedibus, rapinis et incendiis affecerunt, fratrum deinde latrocinia multo gravissima successere, qui illorum exemplo e Bohemia tanquam asylo malorum omnium prodire, erexere castella, templa diripere, incestavere virgines eximiasque matronas, igni ferroque late grassati nec etati nec sexui, nec focus et aris pepercere. Suehla quid molitus sit, non sine spectaculo quoque cruento spectastis. Quinetiam superiore anno quid Henricus Lippa fratere societatis latronum hospes, preterea quid Stephanus Eyczingerus et Mattheus Steinbergus adversus nostros patrarint, accepistis omnes et plerique ex accepta calamitate sensistis. Vindictam sibi tales postulant iniurie, quando illi, quibus bellum sumus indicturi, hospitia semper latronibus grata prestabant, leti excipiebant, alebant in perniciem nostram et predam fortasse communem habebant. Quo usque igitur, proceres, hec inulta tolerabitis? quo usque in cedem calamitatemque vestram funestum hoc genus hominum respirare patiemini? An usque adeo diuturna malorum patientia obduruistis, ut tolerata fortunarum iactura ferendum nunc quoque animorum interitum expectetis. Tolerabilia sunt quandoque illa detrimenta, que resarciri queunt, sed, cum de eterna corporis animique miseria agitur, ad declinandum tam exitiale periculum omnium hominum vires intendende sunt.

Difficultatem belli quis obiecerit et tempus minus idoneum 44
 neque difficillima duo bella et tantopere formidolosa prospere
 uno tempore agi posse censuerit. Fateor Bohemos Martiales 45
 esse, formosissimum genus hominum, culture corporis studio-
 sissimum et quam maxime crinium; cupidissimum belli et ad
 periculâ promptissimum, procera sunt his corpora et speciosa;
 contemptus mortis magnus inest et perquam suavis, Hercle,
 consuetudo. Sed animi corporisque voluptatibus nimis sunt ob- 46
 noxii, quibus vires omnes enervantur; mira inedia laborisque
 impatientia. Primo congressu nimis possunt, sed sudorem assi- 47
 duum, situm squaloremque castrensem perferre nequeunt; mori
 aut terga vertere, quam comae cultum preterire malunt. Accedit 48
 et illud, quod non cum universa nobis Bohemia bellum suscipi-
 endum est, sed cum hereticis tantum dimicandum, quos et robur
 fidesque vestra et numen veritatis servatorisque prepotens dex- 49
 tera proteret universos. Aliter cum Sigismundo, qui infestum 43
 semper sibi Martem habuit, aliter cum Germanis et nunc cum
 Ungaris, bene spero, pugnabunt. Alium sibi hostem esse sen-
 tient a divina benignitate, a celesti iustitia, ab orthodoxe fidei
 veritate longe aliter munitum. Pro victoria nostra Rome ponti- 51
 ficis edicto supplicationes indicte, ad omnes aras divina res fit.
 Pro victoria nostra Augusti beneficentia omnia Australium arma-
 mentaria patefecit, vectigalia confert et auxilia validissima polli-
 cetur. Nudius tertius pontifex Paulus, pater ille pientissimus 52
 apostolicum diploma cum imperii sceptro gladioque mi-
 sit, quo me, velim nolimve, ex apostolici senatus con-
 sulto et augustali consensu auctoritateque Christiane rei-
 publice imperatorem adversus Bohemos hereticos et Turcos
 pronunciat et edicit. Maumethes ne quid vobis a tergo moliat, 52
 haudquaquam hoc anno dubitate. In Asia sibi cum Syris et
 Egyptiis res est; cum Assyriorum rege bellum inivit. In Scyllam, 54
 mihi credite, incidit et Charybdim. Nostra in vado res est; cum
 hereticis tantum nobis bellum erit, quos ad resipiscentiam salu-
 tarem revocare, cum alioquin viri sint magnanimi et domi militie-
 que prestantes, non modo gloriosum, sed pium et sanctum erit.
 Que hinc commoda animi corporisque proveniant, quis unquam 55
 numerarit? Hinc regni accessio, communis utrinque salus, ponti-
 ficia et augustalis obligatio et gloria cum immortalitate con-
 iuncta. Quas ob res, sacrosancti patres proceresque fortissimi, 56
 desidiosum otium repellite, omnes uno consensu capessendum
 hoc bellum esse censete, piam sanctamque militiam militate, me
 Christiane reipublice ducem, me imperatorem in hereticos aposto-
 lico senatu declaratum sequimini; pro orthodoxa, queso, fide,
 pro afferendo veritatis numine arma capite. Nobile ac preclarum 57
 genus hominum vi ad meliorem frugem revocate, ut immortalis
 hoc beneficio conciliatum vobiscum deinde in Turcos ductu
 auspiciisque meis arma gerat. Proinde comparate copias, supple- 58
 menta querite et Corvinum Corvinique fortunam forti animo

sequentes adiuvate. Te autem, Iesu Christe optime maxime, cuius 59
auspiciis ista bella suscipimus, nunc supplices exoramus, ut per
nos in virtute tua heretici resipiscant, Turci, cum quibus tot
annos bella gerimus, prepotenti dextera tua proterantur, nobis
vera salus et nomini tuo sempiterna gloria comparetur.

Secundum gravissimam regis orationem omnes sine ulla 60
secessionem pedibus in eius sententiam ivere. Expeditionem hanc
iuste sancteque suscipiendam esse gravi decreto censuere. Paren-
dum pontifici, obsequendum Cesari una voce affirmarunt. Addidit 61
omnibus animum Turcorum honesta legatio, quam Nicolaus
Wylachus vir ea tempestate opibus et auctoritate prestantissimus,
qui inferioris Pannonie prefecturam gerebat, honorifice duxerat.
Oratores in senatum admissi et benigne exauditi sunt. Maumethis 62
nomine indutias petebant et bone amicitie spem pollicebantur.
Hoc non temere Othomanica perfidia exposcebat, ut, dum in
Asia rem ageret, initis cum Pannone indutiis nihil ultra in Eu-
ropa formidaret. Nunquam rex eos ad se introduci permisit, quin 64
Draculam, quem captivum habebat, acerrimum Turcorum hostem
et illis perquam formidolosum semper obiiceret. Illi hominem 65
agnoscentes, a quo tot immanes cruciatus acceperant, toties etiam
fusi fugatique fuerant, limis eum oculis intuebantur et eo magis
ad peragendas indutias invitabantur. Verum rex confirmandi me- 66
tus gratia indutias abnegat referens patrio iure nulli Pannonie
regi cum Turcis indutias pacemve facere fas esse; si fecerit,
dignitate regia statim excideret; sed eas, que verbo fieri neque-
unt, indutias se cum Turcis re initurum, si secum illi bene vixe-
rint, si iniuriis abstinuerint, vim et rapinas inhibuerint. Oratores 67
voti nec prorsus quidem impotes honeste dimissi et a Nicolao
vaivoda in tutum revecti. Antequam conventus a rege solveretur, 68
nonnulli proceres, qui in Moldavie bello se optime gesserant, a
rege magnifice donati; Nicolao Bamffii multe ville ob rem
optime gestam hic a rege dono date; virtutem denique fidem-
que militarem magna beneficentia multisque premiis Mathias
prosequendam esse censebat.

Rex Agria movens Budam venit; delectum ibi habuit, legio- 69
num supplementa disposuit. Vix octo hic dies exegerat, cum
Georgio regi per fetialem bellum indixit et motis hinc castris
Pisonium contendit; interea pontifices omnes ac proceres cum
suis copiis obsequi iubet. Pisonii dies aliquot prestolatur, dum 70
optimates et auxiliares copie convenirent. Contra Georgius rex,
qui se a Paulo pontifice ob improbe opinionis pertinaciam regia
potestate abdicatum esse noverat et indicendum sibi bellum in
dies opinabatur, nihilo segnus validum instructumque exercitum
comparat, se armis opinionem dignitatemque suam defensurum
esse confidit. Sue ergo gentis viribus fretus Praga movens in
Moraviam concessit, ubi Victorinus filius vir profecto impiger ac
strenuus provinciam cum imperio tenebat. Socia cum eo castra
iungit ac forti animo ad Moravie fines Ungarum opperitur.

Mathias, antequam Pisonio moveat, auctoritate legati pontificis Laurentii Roborelle, Ferrariensis episcopi, qui ex urbe Roma nuper advenerat, edictum pontificium in Moravos promulgat, quo gravi Moravos cum Bohemis et Slesitas omnes pontifex anathemate multat, qui se hereticorum partibus acclinarint. Quare bellum hoc Bohemicum anno salutis quadringentesimo sexagesimo octavo supra millesimum initum fuisse novimus et quarto Paulini pontificatus coronationisque Corvine anno. Moravi Slesiteque interdicto promulgato deterriti Georgii partes sectari non decernunt. A Bohemica fide pars magna deficiunt; urbes Romane ecclesie dogmata retinent. Harum tamen imperium in hereticorum manu erat, nam arces omnes presidiiis obfirmatas illi tenebant, parebant urbes et oppida et vectigalia cuncta pendebant.

Rex tandem cum pontificio legato castris Pisonio motis Lavam concessit. Urbs est in planitie sita ad Moravie fluentia, qui Moraviam ab Ungaria dividit et fines ulterioris Austriae claudit. Hec Cesaree ditionis erat. Adveniendi Mathie urbem cives et armamentaria patefecere, adiuvere comitatibus et haud secus ac Cesari, obsequia ex usu grata prestiterunt. Ad ripam Ungarus castra locat, e conspectu rex Bohemie metatus est; mensis hic teritur, nulla collatis utrinque signis pugna conseritur preter simulacra quedam prelii, que lascivientes quotidie nonnulli milites committebant. Pares utrinque vires, par utrisque metus, audacia, numerus ac robor. Ducibus quoque par virtus et prudentia, sed impar etas, quando septimum vix Mathias et vigesimum clauderebat annum, Georgius sexagenarius fortasse fuerat; veteranus tiro-
nis et tiro veterani ingenium, fortunam uterque verebatur. Quin
et obortis ultro citroque pristina suavissimeque affinitatis quando-
que memoria pugne studium remittere, reconciliare animos et
bellum abominari; inita ex affinitate nomina nunquam bello de-
posita; alter filium, patrem alter appellare: socer et gener pia hec
nomina usurpare. Verum, cum belli causa ac laudis studia succurre-
bant, animi repente reglutinari, in certamen remitti et alter alte-
rius ruinam appetere; colloquia in ripa fluminis ab utroque quan-
doque habita non sine amara verborum velitatione. Generi im-
pietatem socer arguebat, soceri profanam mentem increpabat
gener; ad mitiora plerumque verba deventum. Georgius sepe iu-
venem mollire, blanditiis, artibus circumvenire, quandoque minas
precesve interiicere, ut ab iniquo et infando bello deterreat;
contra ille pertinacius obstare, convincere ratione et ubique par
pari referre conabatur. Interventu etiam procerum utrinque de
indutiis et pace agitatum. His omnibus Mathias aures obstruit,
preces et affinitatem ab internunciis repetitam obaudit. Laurentius
eum obfirmat, nunquam a latere discedit, ne uxoris ille memoria
collabascet. Cum nulla demum utrinque pugnandi copia fieret,
Georgius gravissimo belli sumptu deterritus, quem tolerare non
poterat, retro pedem referre cepit. Ad defendendam Trebychum

cum presidio validissimo Victorinum filium natu maiorem subinde misit, per arces et oppida hosti obiecta presidia distribuit.

Ea regem tempestate ii proceres sequebantur: Emericus comes Scepusiensis Stephanusque frater, cuius virtus constantissimaque fides in eo bello nimis enituit; item Cypor Nicolaus vavoda, ut aiunt, Transylvanus, Stephanus Bathor et Michael palatinus, preterea Maior Blasius, Paulus Chinis, Lupus despotes, Nicolaus Bamffii, utriusque archiepiscopi et Ioannes poeta non ignobilis Quinqueecclesiensis antistes alique cum frequentissima nobilitate proceres regulique. Paulus humillimo genere natus e pistrino frumentario in militia[m] eductus sub Maiore Blasio primum meruit; cognomen a paterno pago inditum; inauditis animi corporisque viribus fuit; statura, robore lineamentisque membrorum Herculi prorsus assimilis. In paterno pistrino altus molam sepe frumentariam sine quoquam adminiculo, quandoque vas vinariur[um] vix curru tolerabile solus humo substulit. Armatum quoque hominem dentibus surreptum inter militares choreas non inermis saltando circumtulit. In palestra et pancratio semper indomitus; Blasii contubernio usus sic illi gratus fuit, ut non munia modo queque militie potissima statim obiret, verum etiam perspecta fortitudine ac fide oblatam eius filiam uxorem duxerit. Tantam prestantium virorum fecunditatem protulit illa etas, ut vix totidem Troianus equus peperisse videatur. Si quis Emerici astum sapientiamque pensitarit, alterum Ulyssem Palamedemve fuisse dixerit, Stephanus Agamemnonem, Aicem Paulus, Ciupor Diomedem, Nestorem Michael et rex Achillem omni ex parte referebat. Consimiles Mathie proceres fortuna dedit, quorum opera clarissimi: queque facinora gereret.

Post, ubi regi nunciatum est Trebychum cum presidio a Victorino teneri, quod non procul a castris erat, et Georgium cum exercitu abiisse conspicatur, oppidum illud obsidet, ut regis filio potiatur. Rex primo impetu suburbana succendit; hinc ignis in urbem effusus, cum ab urbanis coerceri non posset, absumit omnia. Victorinus cum presidiario milite civibusque multis egressus in proximam urbi arcem in edito monte sitam confugit cum suis, qui nongenti pene fuerant; a prefecto mox excipitur. Cives repulsi in manus hostium devenere. Trebychum igitur duabus fere horis a solo tantum incendio expugnatum. Hec decimo ante sacram Pentecostes diem acta sunt; arx circiter Pasche sollempnia obsidetur. Expugnatio dies aliquot tentata. Dum hec negligentius asservatur, ecce tria equitum milia intempesta nocte a Georgio missa clam arcem subeunt. Victorinum cum presidiariis nongentis absque cunctatione subducunt. Custodie per stationes distribute instructum eorum agmen, cum non in tempore observassent, inhibere nequiverunt. Secundum Victorini fugam Mathias arcem per deditionem accepit. Qui custodias agebant, graviter increpuit, quod tam negligenter ac segniter sese gessissent.

Cum Victorinus evasisset, rex Brunam versus castra movit,

que Morave gentis caput est; urbs edificiorum prestantia et negotiatorum multitudine opibusque conspicua in plano sita est duplici fossa muroque munita; civitati arx prominet, quam Spilbergum vocant, et loco et arte hosti inaccessibilis ac valido hereticorum presidio obfirmata. Cum urbi appropinquasset, in suburbanis castra posuit. Mox immisso precone senatum rogat, an impietatis heretice, an Romane fidei partes sequi velint. Si Romane, legato pontificis pontificioque duci portas ultro patefaciant; sin heretice, indictum a precone bellum accipiant. Preconi responsum a senatu insequenti se die legatos esse missurum. Legati postero die ex urbe prodire et data dicendi copia unus ex his,

Si senatus populique Brunensis animum, inquit, scire cupitis, princeps, nil vobis cum civitate nostra hostile intercedere posse sentietis. Orthodoxe, Mathia rex, fidei ac Romani dogmatis sectatores sumus omnesque ad unum interire malumus, quam apostolica Romane ecclesie veritate deficere. Cum vindicem nullum haberemus, hereticorum, quando ita tulit usus, imperium pertulimus; perniciose nunquam opinione ipsi nos imbuimur, ut, que Cesaris, Cesari et, que dei, deo redderemus. Insons nobis animus et mens Romano dogmate obfirmata; nullum hereticorum imperium nullaque consuetudo nostra pectora penitus infecit; sincera et intemerata fides, integer sacrorum ritus et inviolate quoque ceremonie. Preter legitima vectigalia et obsequia, que detrectare minime poteramus, nil aliud hereticis prestandum esse censuimus. Summum pontificem iam pridem accepimus huic bello Mathiam regem prefecisse, hunc fidelibus principem assertoremque dedisse, te quoque, pater optime, misisse legatum, ut pro pontifice cuncta gereres. Senatus noster decretum summi pontificis non detrectat; imprimis eius numini, qui dei vicem gerit in terris, deinde Mathie principi invictissimo, orthodoxe fidei assertori gratissimum domi forisque obsequium pollicetur, spondet se imperata facturum, commendat libertatem urbis et vetera immunitatis privilegia integra sibi servari postulat. Quin etiam pro servata inter tot varias hereticorum sectas integra fide libertatem et cetera immunitatis genera amplificari supplicat, ut potius a vobis officio vinci, quam vos vincere videatur. Integre fidei maxima sunt premia et, quando sincera fide pollemus, servatoris nostri, pro cuius nomine arma sumpsistis, documenta sectamini, prestate nos pro fide salvos et omni, ut equum et fas est, servitutis onere levate, nos immunes efficite, ut hereticorum bello resistere possimus. Postremo senatus populique nomine pro tutela sanctissime fidei, pro dignitate pontifica et maiestate regia studia, vires, fortunas, urbem, agrum, etatem omnem et humana denique ac divina omnia, cum usus tulerit, offerimus, dicamus et in utraque fortuna pollicemur. De fide nostra periculum magis fieri, quam incognitam preteriri cupimus. Vobis igitur ut amicis, ut concivibus, ut propriis etiam possessoribus ac dominis porte

urbis ac edes cuncte patent, parata sunt hospitia. Proinde, cum 113
volueritis, capessite potestatem urbis et, ut commodius proceres,
tribuni militum et prefecti hospitalibus auguste urbis edibus
utantur, civitatem militibus gregariis inhibete.

Legatus his cum rege congratulatur, quod in recta fide per- 114
manserint, quod pestilentissima contagione se non infecerint,
quod, ne iacturam irresarcibilem animorum facerent, a Bohemico
rege, quam a summo pontifice deficere maluerint. Responsum 115
a rege hanc fidem et integritatem multum esse promeritam; pro-
inde iubere bono animo Brunenses esse; se non modo vetera
privilegia servaturum, sed integra libertate donaturum; de mili- 116
tari quoque molestia nihil timeri oportere; civitatem haud secus
ac sacellum patriamve a minima quaque iniuria et fastidio de-
fensurum, immo civilia commoda castrensi mercatu adaucturum.
Ad dexteram mox omnes una cum legato ac osculum accepit et
de prompto obsequio officiosaque pollicitatione gratias egit.
Postero die civitatem subivit honorifice a Brunensibus exceptus;
hospitia cuique pro dignitate distributa.

Mox castellum urbi prominens obsedit, quod a valido hereti- 118
corum praesidio tenebatur. Id octavo die post corporis Christi
sollemnia obsessum est, quod vix novem mensium obsidione
capere potuit. Georgius, ubi Brunam regi deditionem fecisse 119
novit, haud mora cum exercitu festinavit, ut castellum, quod loco
arcis est, obsidione liberaret. Prope regia castra quadrato agmine
transivit; rex cum a superiore parte tuto invadere potuisset, at
noluit. Cumque is in medio agmine cataphracto stipatus equitatu
progrediretur propeque regem esse cerneret, Siccine, inquit,
mecum agis, fili? parentem hostiliter insequeris et sub ortho-
doxe fidei pretextu me regno spoliare contendis? Non religio,
sed ambitio, non divina charitas, sed imperandi libido te furentem
trahit. Utinam, Mathia, in angusto loco ambo depugnaremus.
Ad hec Mathias, Resipisce, inquit, resipisce, pater, et de fide
sacrosancta stude recte sentire. Non ambitiosum, sed pium et
legitimum tecum bellum geritur, quia Christiane reipublice hostis
es. Quod vero ad singulare me certamen provocas, illud scito,
Georgi, me non esse rusticum, qui in angusta fornace tribulis
frumentum terit, sed principem Georgio non deteriozem. Princi- 123
pes armati in campo decertant; proinde, si verus princeps es, eia,
age, nunc equestri certamine depugnemus, ut principali pugna
fungamur. Condicionem generosi certaminis veteranus non accep- 124
pit, sed preterit mussitabundus. Cum prope castra metatus esset,
bonorur. procerum interventu in colloquium ambo descendere.
His diebus Mathias, ne quo soceri furore periclitaretur, pro in-
teriore tunica lorica ceca usus est.

Inter utraque castra duo tabernacula tenta, ubi colloquium 126
et singulare et frequens habitum, inter utrunque contentiones ple-
runque graves. Ibi quoque convivium celebratum, ubi, quid acci- 126
derit, nequaquam silentio preteriri potest. Inter prandendum duo

aderant histriones regii, qui iocis eorum seria solverent; alter Bohemici, Pannonici alter regis erat. Inter ceteros satrapas Isdengo Bohemici regni gubernator aderat orthodoxe observator fidei et Mathie studiosissimus. Ad principem vir salsus utrunque conversus in histrionibus inquit vere fidei periculum esse faciendum; in palestre certamen utrunque esse committendum; victoris fidem prestantiorem esse habendam. Approbatur gubernatoris utrinque sententia et utriusque suum ad singulare certamen histrionem voce plausuque hortantur. Ungarus statura minor, Bohemus longe procerior; vires utriusque dubie et par animus; Bohemum tamen insano corpore victurum esse omnes augurantur. Iam certamen in regis utriusque conspectu; uterque sue gentis hortatu ad victoriam provocatur. Legatus pontificis aderat, qui rem divinam histrionum fortune commissam egre ferebat. E iocis in seria revocantur omnes, veluti de corporis animique salute ac dignitate per histriones ageretur. Forti uterque animo congressus manibus ac pedibus obnititur; vi et arte iuxta uterque colluctatur. Spe dubia res agitur; nunc Bohemus Ungarum corripit et torquet, nunc Ungarus Bohemum, nunc pedibus manibusque ambo dimicant, cum suo utriusque vocibus faverent; ingens hinc et hinc clamor editur. Ungarus tandem veluti sacrosancte fidei numine communitus insanam Bohemi molem in aera sustulit humum continuo inversurus; quidam Bohemus, qui propius aderat, intercessit et, ne suus humi consterneretur, dextram obiecit. Isdengo pugne arbiter extemplo inique intercedenti alampam incussit; obortus confestim hinc clamor et tumultus; arma utrinque capta. Principum tandem nutu edictoque deposita sunt arma et sedata omnia. Desidente tumultu Georgius in gubernatorem haud parum sane succensus, Cum inter me filiumque meum, inquit, hodie, Isdengo, tumultum et arma suscitaveris, interturbator pacis et concordie, nunquam tale facinus mihi mente excessurum esse scito. Non tui gratia, sed benignitate mea tibi parco haud inscius, quid fauste Mathie presentie tribuendum sit. Subticeo tandem scelus et silentio propter filium indignitatem rei et impunitatem tui preteribo. Exacto convivio rebus infectis principes in castra rediere.

Motis hinc castris Georgius paucis post diebus abiit, Mathias Spilbergum artiore obsidione circumvenit. Cum in expugnando conatus omnes eludi intelligeret, victorie successum prosequi decrevit. Maiorem Blasium cum Paulo in obsidione dimisit, ipse vero ad Olomutium urbem Moravie prestantissimam castra movit. In faciende semper itinere oppida nonnulla capta vi aut per deditionem accepta. Cum Olomutio appropinquasset, cives continuo obviam prodire, fideles et Romane ecclesie sectatores se esse profiterentur, regem et legatum pontificum cum magno plausu excipiunt; quod salutarem vindicem libertatis et fidei, quod sacrosanctum pontificem acceperint, inter se mutuo congratulantur. Arx tantum extra urbem erat munitissima hereticorum presidio

obfirmata. Citra moram hanc obsidet ac paucis post diebus vi expugnata potitur. Finitima oppida immissis legionum legatis occupat, ubi quodcunque heresim sapere deprehendit, universum id militibus prede dedit incenditque. 142

Cum iam hiems appropinquaret ac Maiorem Blasium in Spilbergensi obsidione prefecisset, relicto in provincia exercitu cum Emerico rex nonnullisque proceribus et pretorianis cohortibus in Ungariam hibernatum se recepit. Tunc fama fuit eum per Viennensem urbem iter esse facturum. Pretor urbis et senatus, ut pro dignitate regem, cuius studiosissimi amantissimique fuerant, exciperent, episcopatus atria et arcem urbis appararunt. Ad declinandam vero imperatoris suspicionem et temperandos Viennensium affectus rex iter divertit et per ulteriorem Ungariam recte Budam venit. Quin etiam, quando in Transylvaniam et Transalpinam ad capiendum Draculam profectus est, tunc Viennenses, cum imperatorem in arce acerrima obsidione circumventum haberent, ad regem clam misisse litteras ferunt, quibus, si vellet accipere civitatem, simul et imperatorem se daturos esse pollebantur. At ipse, ne quid in patrem, quem semper appellabat, impii committere videretur, oblatam ab his condicionem obstinatissime recusavit. 144

In Ungariam igitur cum circiter divi Michaelis sollempnia rediisset et quattuor fere menses hibernasset, supplementa cogisset et, quecunque bello usui forent, sat cum Emerico curasset, Idibus Februarii in provinciam rediturus iter inivit; sollicitabat belli gravitas et exercitus, qui inter medios hostes parum comode hibernare poterat, nec non et castellorum promissa deditio. In regis adventu Spilbergum a Maiore Blasio obsessum deditio- nem continuo fecit. Capto Spilbergo rex ad Olomutium secundo belli Bohemici anno castra movit, nam captis potioribus Moravie civitatibus et occupata pene tota provincia iam Bohemici regni et marchionatus huiusce titulos accipiendi tempus advenisse arbitrabatur. Id rite faciendum esse censuit. Quod ut fieret, frequentissimum Olomutii proceribus nobilibusque conventum indixit, ut a catholicis Bohemis et Moravis rex Bohemie legitime eligeretur. Ad prestitutum diem conventus celeberrimus est habitus isque utroque titulo exornatus est, quo honestius ac iustius pro addicto sibi regno dimicare videretur. Ibi cum summo plausu magnoque consensu et rex Bohemie et Moravie, ut aiunt, marchio declaratus et salutatus est, nam, cum in libertatem provinciales omnes assereret, mirifice cunctorum studia in se convertit. 149

In Silesiam deinde castra mota, que, ne a fide Bohemica factione deficere videretur, ultro eum advocarat; imprimis Bratislavia, que provincie caput est et amplitudine urbis et edificiorum pulchritudine, preterea opibus, probitate, politicis artibus, presertim negotiatoria nimis conspicua; hanc Odra fluvius alluit. Magnificentissime Bratislavienses Mathiam et legatum pontificis 153

acceperere ac detulere gratissimum in utraque fortuna obsequium huncque regem, hunc suum dominum, hunc proprie libertatis assertorem ac orthodoxe fidei vindicem se perpetuo habituros esse profitentur, pollicentur et iurant. Id ipsum cetera civitates et oppida faciunt, Bratislaviensium exemplo fidelitatem et obsequia deferunt ac regis nunquam imperium se detrectaturos esse interiecto iureiurando confirmant. 155

Michaelem lectorem Strigoniensem ea tempestate ab epistolis illi servientem paulo ante, quam Bratislaviam intraret, pecuniarum gratia Viennam miserat, ut, quod in eam expeditionem promiserat imperator, re ipsa prestaret; cuncta unius anni Austriae vectigalia, preterea e nobilitatis ordine mille equites Cesar obtulerat. Nobiles illos equites mille, quos ex compacto miserat, remiserat Mathias causatus ineptum militie genus hominum. Stipendia mille equitum, quam equites habere maluit, quod Australes quoque nobiles facere non recusarunt. Promissa ab imperatore stipendia non soluta, pro nummis Michaeli verba data preter collatam a nobilitate stipem, que mille equitibus veteranis impenderetur. De reliquis ab imperatore promissis aut parum aut nihil exactum est, ex quo discordiarum, que Mathie cum Cesare intercesserunt, unde Australe bellum obortum est, semina profluxere. Abnegata nanque pacta merces usque adeo Mathiam incendit, ut nunquam quiescere potuerit, quo usque data occasione pro illa mercede stipendioque universam fere Austriam occuparit. 156

Pacata igitur provincia Silesie, quam ab hereticorum manibus sibi vindicarat, in Moraviam rediit, ubi Victorinum Vezele oppidum occupasse atque in dies aliquid moliri senserat. Quare continuatis itineribus eo festinavit ac Vezele, quod ab Victorino cum validissimo presidio tenebatur, obsedit; turres ac vineas manibus admovit, tormenta addit aenea et die noctuque gravissime quatit; magna ex parte muros conterit. Mox facto impetu, cum oppidani ultra resistere nequirent, Vezele cepit. A pretoriana cohorte Victorinus capitur et in conspectum regis adductus mortem deprecatur. Cui, Salve, rex inquit, Victorine frater, hucine tua pertinacia, immo execrabilis opinio, quam a parte imbibisti, nunc te adduxit, ut, si alio ductu auspiciisque bellum hoc gereretur, novissimas impietatis tue penas exolveres? Te sepe monui, ut a paterna opinione deficeres calcatoque patris gutture deum sequere, quandoquidem abnegare semet ipse debet homo, ut servatorem Iesum Christum sequatur. Cum opus fuerit, a patre potius, quam a deo deficiendum est. Tu autem beneficio nostro et affinitatis intercepte memoria vive, bono animo esto; non magis hostis, quam affinis clementiam recognosces; non modo non vita, sed ne dignitate quidem te patiar defraudari. Proinde vive ac respicere atque hinc discito, quam insolens, temerarium et formidolosum sit infesto deorum numine dimicare. Verissima igitur Romane ecclesie posthac dogmata sectare. Respiravit ad hec Victorinus et, qui vita eque, atque dignitate actum esse vere-

batur, in spem regia verba restituerunt. Is haud indigne tractatus: in dies regis clementiam admiratur. Capto igitur Victorino et pacata magna ex parte Moravia revisendam rex Ungariam esse censuit, ut hibernaret in regno et supplementa legionum ac cetera, que bello sunt usui, commodius provideret. Hec secundo Bohemici belli anno gesta sunt. Rex cum Emerico et Michaele palatino nonnullisque pontificibus et prefectis in Pannoniam ingruente dudum hieme se recepit.

Hoc etiam tempore Hason Cassan vir bello clarus, Mesopotamiae et Armenie rex Persarum, Assyriorum Medorumque principum sibi infestorum castra per fraudem nocte aggressus ingentem hostibus cladem intulit et ceso rege tot regna magna ex parte occupat. In Maumethem Turcorum principem mox arma vertit Othomanicamque gravi gentem prelio affecit. Quin etiam eodem tempore classis ducentarum navium, quam Maumethes compararat, ut Trapezuntie foret auxilio, oborta tempestate ad Hellespontum universa disiicitur obruiturque. Tunc Nicolaus Canalis prefectus Venete classis Eniam Thracie urbem diripit et incendit abducitque ingentem predam. In Patrensi paulo post litore duo Turcorum milia cedit Vestitiumque oppidum imposito presidio communit. Item Paulus pontifex eodem quoque anno, quem sexagesimum nonum ultra millesimum et quadringentesimum esse volunt, cum Venetis adversus Turcos ac ceteros Romane hostes ecclesie fedus inivit. Cum pontificis exercitus Ariminum obsideret, ab auxiliariis Ferdinandi regis copiis funditur fugaturque et Robertus urbis princeps acri obsidione liberatur. Petrus Medices diuturno morbo confectus Laurentio Iulianoque liberis superstibus diem obiit. Cum Tergestini rebellassent, Fridericus imperator prefectos quosdam alarum et cohortium immisit, qui civitatem vi captam diripere subvertereque, ubi tanta patrata est cedes, ut neque sexui pepercerint neque etati. Eodem quoque anno Turci populabundi Alemaniam invasere et ex omni etate multum hominum abduxerunt. Quare non immerito Mathias Bohemicam secutus expeditionem acceperat, cum Maumethem in Asia nimis occupatum esse intelligeret.

Iam quadringentesimus septuagesimusque salutis annus supra millesimum agebatur, cum rex exactis in Ungaria hibernis primo tempore reparato iam exercitu Moraviam repetere cepit. Cum Iaurinum venisset, nuntii extemplo varii occurrere, qui Georgium Bohemie regem humanis excessisse dicerent; nam audita Victorini filii captivitate pre dolore morbus quidam eundem inessit, quo paucis post diebus extinctus est. Audito ad primum nuntium hostis interitu pientissimus princeps ingemuit collacrimavitque; fortunamne, an animi iacturam indoluerit, an dolorem ex arte simularit, nemo satis exploratum habuit. In provinciam tamen properandum esse censuit, ut, cum regalia Bohemis comitia instarent, per legatos ipse regium munus peteret, quamvis competitores in ea re sibi haudquaquam defuturos

esse intelligeret. Ambitus iter festinare coegit nec latebat quidem ipsum pauca in peregrina gente suffragia inventurum, ni largitiones, promissa magna, vis armorum precesque iuarent. A¹ Iglaviam Moravie oppidum subsedit, ut hinc oratores in Bohemiam ad comitia mitteret, qui adhibito nomenclatore proceres omnes ambirent, orarent et nonnullos promissis et largitionibus in favorem allicerent ac demum suo regnum nomine postularent. Ad Cuthnam Bohemie civitatem, ubi argenti fodine sunt, futura comitia rumor erat, que non procul a Praga est. Oratores, quos delegerat, Cuthnam mittit, quorum Nicolaus Ciupor vaivoda Transylvanus princeps erat. Huc heretici omnes ac alii e Bohemis convenere, ut ex more regem eligerent. In comitia varii competitores, Hercle, descenderant, imprimis regni Ungarie Polonieque legati; nec imperator quidem ambitione carebat, quippe qui hunc sibi honorem clam deferri exposebat; neque Georgii regis filii cessabant, qui hereditario quasi iure id sibi dignitatis dari debere sperabant. Mathie legati egre auditi, cum in Bohemos grave bellum ea tempestate gerebat, quamquam regni titulum a Paulo summo pontifice Corvinum habuisse dicerent, sine cuius auctoritate approbationeque nullum regnum, nulla potestas haberi potest; se tamen post Georgii soceri mortem Bohemorum procerum suffragiis eligi cupere affirmabant. Referebant quoque regnum hoc cum Ungarico sepe fuisse coniunctum neque sine detrimento ac scelere dividi posse; Sigismundum, Albertum et Ladislaum utroque regno fuisse positos; alterum sine altero nunquam commode victurum; veterem inter utrunque affinitatem intercessisse; alterum hominum fecunditate, ubertate rerum omnium pollere alterum; aliis suis prerogativis merito gaudere, quare hac coniunctione nihil unquam commodius, faustius feliciusque fore, quam si pari ductu et auspiciis gubernentur; initum bellum non ex ambitione, sed salubri charitate geri, ut pars Bohemorum, que alio modo curari non poterat, Martiali demum remedio resipisceret; nihil cum fidelibus adhuc hostile gestum, quin etiam fideles omnes perpetua libertate fuisse donatos; proinde Mathiam regem, si regali hac et legitima electione decoretur, eternam libertatem ac vectigalium omnium remissionem polliceri et, quod ad amorem spectat, Bohemos ac Ungaros sine ullo discrimine tractaturum. Obaudiebant hec proceres, presertim heretice pravitatis sectatores, vultus obducebant et mussitando quandoque dicentis orationem interpellabant. Repulsa Mathie palam data. Nunquam hostem cervicibus proficiendum esse obclamitatum est. Orator igitur haud sine pudore peroravit. Quin et imperatoris legati, qui aliud dicebant et aliud inferre nitebantur, equis parum aurbus auditi; neque initum fedus veteraque pacta subticuere, quibus Bohemos deficiente regia legitima prole ad Australes principes confugere oportere asseverabant, officii, dignitatis et pacti admonebant. Ad Georgii plerique filios recurrendum esse

censere, id potissimum heretici malle, cum illum opinionis Hus-
sitarum assertorem severissimum semper habuerint. Sed Victorini 195
casus rem intercipere, qui per captivitatem proceres ac nobiles
ambire non poterat. Patris mortem omnes egre ferre, dicere mira
fortitudine regnum undique petitum propugnasse, formidolosum
fuisse proceribus tyrannidem anhelantibus et populo servata diu
pace commodissimum.

Introducti demum fuere Poloni a Casimiro rege missi, quem 196
tanta probitate, prudentia et sanctitate preditum ferebant, ut solo
multos nomine conciliaret. Ex his unum in septis, qui dicendi
copia non parum poterat, ita locutum fuisse ferunt: Si, quantum 197
iure, tantundem auctoritate apud vos, proceres, hodierno die va-
leremus, nihil profecto vereremur, quin ante solis occasum Wla-
dislaum nostri regis filium et Ladislai vestri regis nepotem
Bohemie regem declaratum haberetis, neque, si eandem con-
stantiam, iudicium et equitatem, quam in ceteris rebus retinere
soletis, nunc, ubi plurimum opus est, servaveritis, nos prorsus
ambigimus, quin et vos publice salutis et nos voti compotes
dudum efficiamur. Veteres amicitias, necessitudines et officia a
maicribus mutuo instituta, item consimiles mores, lingue simili-
tudinem et gentis utriusque cognationem quis fortasse memora-
bit, ut orationis ambitu imbecillem causam et per se parum sub-
sistentem obfirmare videatur. Contra nobis ipsi brevitatem in-
diximus partim, ne eodem, quo ceteri, fastidio vos afficeremus,
partim, quia iustitie ac integritati vestre non diffidimus. Regna,
proceres, etsi quandoque armis comparantur et iure belli raro
retinentur, divina tamen voluntate et hereditario vel quovis alio
iure ut plurimum, cum successor nullus fuerit, dispensari solent.
In potestate dei sunt omnium iura regnorum. Si dei nutum que- 201
rimus, consulta, oracula, captata auspicia, quesita astra, edita
signa et multa omnia publicaue vota Wladislaum Bohemie re-
gem esse iubent. Si ius, equum et fas inter mortales servandum 202
est, quis negarit Bohemie regnum, quod per tot annos penes
avos proavosque Ladislai fuerat immatura morte surrepti, ad
nepotem pertinere? Quis nepoti decedente sine sobole avunculo,
quis sorori obeunte fratre hereditatem legitimam abstulerit?
quis posteritati ius maiorum abnegarit? Si lege hic vivitur, si re- 204
ligio retinetur, si ius divinum et humanum in humanis adhuc
pectoribus versatur, nemo quidem reperiri potest adeo rationis
expers, qui Wladislaum iure eligendum esse non censuerit. Cum 205
Sigismundi et Alberti regis temporibus novitatis gratia Bohemia
fluctuaret, num a Polonie rege non solum auxilia, sed regem
quoque petiistis? Si iniquo id tempore factum est, quid equo 206
tempore, iubente lege, imperante iure, coercente religione facietis?
Nimirum nemo sapiens, nisi qui preceps vesania feratur, avunculi
nepotem hereditate privaverit. Nihil unquam et in rebus quam 207
maxime arduis invito numine ac infesto divino humanoque iure
faciendum. In his primum divina voluntas, deinde iustum et fas

considerandum. Proinde iustitia duce ac prudentia comite vestris nunc rebus, proceres, queso, consulite. Si quis humilitatem generis obiecerit, quid est, quod non prius, quam obiiciatur, suapte natura confutetur? Recensete paternum genus et faustos Wladislaos et Casimiros considerate. Si maternum, connumerate longo ordine reges ac divos Augustos; pientissima Wladislai parens e materno quattuor, quinque e paterno genere Romanorum imperatores inter maiorum stemmata numerabit. Qui maiorem hac nobilitatem quesierit, in obscuritatem incidat, oportet. Verum enita vero parum prosapia et hereditarium ius omne valeret, si rex aut improbus aut parum idoneus in medium adduceretur. Regum filii, qui publice semper educantur, haudquaquam in obscuro latere debent et ii quam maxime, qui super etatem agunt. Non erubescimus, Bohemi, nostra laudare, quando cuique licet, cum de fortuna et dignitate agitur, propria sine rubore commendare. Omnis nanque taciturnitas improbatur et laus propria toleratur, cum silentium detrimento fuerit et pudor hominem honore debito defraudarit. Quis igitur Wladislaum regno dignum non censuerit? quis ad imperandum tantum natum non esse iudicarit? quis hereditario regno fraudandum existimarit? Num prohibet hoc genus? tot regum nepotem, tot imperatorum pronepotem et nunc tanti regis filium tam fauste et generose indolis? num adolescentia tot artibus et sanctissimis disciplinis exulta? A teneris annis domi militieque preesse didicit, prima intempestive rudimenta imbibit, timorem dei, religionem, pietatem, misericordiam, integritatem, continentiam a sanctissima parente una cum lacte suxit. Materno primum gremio elapsus non duce pedagogo, sed instinctu suo litterarios ludos irrepsit. Ab ineunte puerilia Cracovie sophistas, philosophos, poetas audivit; frequentavit dialecticorum scholas et philosophando disputandoque corpus simul et animum adauxit. Quicquid hinc temporis superest, rebus divinis ac bellicis artibus impenditur. Vite sanctimonia et divina oratione sacerdotem quenque deo deditissimum exuperat. Ingenita tantum virginitate prepollet, ut prepotentissime huius virtutis numine supra etatem et vivere et sapere videatur. Tempus otii et recreationis in studia Martis confertur; a magistris discipline militaris aditur, qui in hippodromo decurrere, ex equo pedibusve certare, punctim cesimque ferire, aciem instruere, exercitum ductare aut quavis arte vincere hostem doceant. Corpus magnitudinem et ingentes vires pollicetur, item venustate, formam animumque virilem ostendit. In adolescente senem, in tenera precocem etate sapientiam recognoscis. Plures in eo Wladislaos, plures Casimiros, plures denique Carolos et Sigismundos intueri licet; nulla in adolescente dicacitas, nulla petulantia deprehenditur; non solum rebus ac verbis, sed obtutu quoque ac inessu, omni denique gestu corporis gravitatem, sapientiam pietatemque fatetur. Non precipiti consilio, non repentina ira, nulla libidine ac improba voluptate corripitur. Nulli hunc vitio

dixeris obnoxium; ingenium mite, constans et benignum, ceterum sapientie, honoris et glorie cupidum; corpus laboris et inedia tolerantissimum. Regiam maiestatem prefert aspectus et quandam sibi tacite reverentiam exposcit. Utinam, proceres, is hic nunc adesset; sic testor deum hominumque fidem, plus ipse tacendo, quam nos e Ciceronis ore dicendo in causa sua loqui videretur. Ipsum si videritis vestris suffragiis electum, nimirum potius a deo dimissum, quam iudicio vestro designatum existimabitis. Non humanum regem, sed celestem ad publicam salutem et eternum otium vobis internuncium datum esse reputabitis. Teneram adhuc etatem ac regno immaturam quis fortasse causabitur, sed quis hoc in adolescente requireret divina quadam et intempestiva sapientia predito? quis in eo, qui prius senex, quam adolescens esse ceperit. In tutela dei reges sunt et filii regum, qui ad regendum nati indulgentissimam sibi naturam et peculiarem dei gratiam et culturam assequuntur. Non deerit consultissimus equi senatus vester, qui quotidie circumstabit. Melius est quandoque habere regem e senatus consulto, quam e proprio iudicio cuncta gerentem. Qui nimis sibi arrogat et aliena consilia plane contemnit, sepe decipitur. Nullus sub isto metus, nulla suspicio, que imperante tyranno semper intercedit; nullum externi belli periculum et reformidatio. Potentissimus pater prope adest et a latere dominatur, non per sectas et opiniones vobis bellum sevum indicetur, non pontifex adversus vos irritabitur, non in belli societatem advocabitur imperator. Quin etiam, si hec omnia fierent, non proximus deerit assertor, non sociorum aberit multitudo numerosa; sociorum, dixi, immo cognatorum, quibus unum genus et eadem est natio, ut cognatio lingue profitetur. Insuper Christiani sumus omnes et in evangelica lege utrique ambulamus; inter opiniones ac sectas parvum fere discrimen et illud, quo de agitur, utinam facilius argumentis, quam armis corrigi et emendari posset. Dummodo Christi dogma servemus ad amussim; an licentius ex patrum consilio quis fecerit, parvi, mihi credite, refert. Quas ob res, Bohemi proceres, vos Casimiri regis nomine nunc hortamur, monemus et oramus, ut divini humanique iuris memores esse velitis. Regnum hereditario iure filio debitum beneficio vestro tribuatis. Bellum a latere vobis illatum non tam pontificio iussu, quam, ne debita sue proli oppida in alienam dicionem transferrentur, susceptum fuisse credatis. Rationibus vestris commode ac recte consulatis; quod si feceritis, hac electione hostium quoque numerum imminuatis. Quod si feceritis, utrorumque saluti dignitatique optime consulatur.

Polonorum oratione victi Bohemorum animi occulta inter se consilia agitant, centuriatim hinc et hinc coeunt; prompta Wladislae suffragia reddenda mussitant; hunc unum otium quietemque Bohemicam natum esse dictitant, hoc aliquantisper cuneatim agitatum. Postquam inter eos de rege convenit, extemplo proceres cum universa nobilitate ac equestri ordine Wladislaum quin-

tumdecimum vix natum annum regem pronunciant. Omnes Wladislao regi feliciter, Casimiro quoque patri feliciter, Bohemico regno feliciter, proceribus et senatui feliciter exclamare, faustissimis Wladislaum acclamationibus ingeminare; ii angelum e celo demissum, virgineum et sanctum regem illi; pars salutarem principem et alme pacis auctorem, multi sanctas tot regum imperatorumque hunc unicas reliquias appellare. Oratores inter multos plausus crebris oculis ab omnibus aspersi sunt. Ceteri vero et presertim Ungari repulse turpitudine rubore suffusi abiere. Cum, veluti res gesta fuerat, Mathie continuo retulissent, rex spe sua frustratus in Bohemos excaudit et, quamvis sevum de Turco nuncium dudum accepisset in Savo nova moliente, nihil tamen de ira et ultione remisit.

Turcus, dum Pannonem Bohemico bello occupatum intelligit, viginti milia hominum ad Savum amnem clandestine, quantum fieri potest, cum expeditis artificibus et operariis mittit, ut e conspectu Syrmienis agri temporarium e materia castellum erigerent et summa arte multoque presidio communirent, ut, quotiens libido ferret, Syrmium extremam inferioris Pannonie oram incursarent ac demum universam Ungariam Alemaniamque adorientur. Tristi nuncio Mathias haudquaquam consternatus et nihilo segnius Bohemicis rebus intentus Gabrielem metropolitam Colociensem et Ioannem, cui Ungor cognomen erat, in re bellica educatum, versatum in periculis et explore virtutis ac fidei virum extemplo acciri iubet. Hos ad inferioris Ungarie oras properare precipit, quid fieri opus sit, ostendit, admonet periculi atque, nisi initum a Turco castellum ii continuo demoliantur, de Pannonia actum esse predicit. Sabacz inita moles a Turco nominari cepta. quod Turcica lingua mirabile quid significat. Datur his potestas habendi delectus, accipiendi vectigalia et imperandi civitatibus, quecunque ex usu belli sint. Quin et ad Michaelem palatinum ceterosque proceres scribitur, ut cum suis copiis Gabrielem sequantur et, quantum in eis situm est, castellum a Turcis in adversa Savi ripa institutum amoliantur neve molem in cervicibus Christiane reipublice inchoatam exedificari patiantur; ii pro virili quisque sua mandata regia prestare conantur. Gabriel et Ioannes Ungor in Ungariam reversi proceres convocant, cogunt exercitum et comparatis undique auxiliis ad Savi fluentia descendunt. Ast, ubi in ripa constitere, tormentis primum crepitantibus hostes ab instituto opere amovere occipiunt; iisdem quoque machinis illi inhibentes absterrent; quandoque vehementius irritati utrique Savum ingrediuntur mutisque sagittis sese competunt. Neutri tamen flumen traicere audent, quando pares utrinque vires militumque numerus erat. In ripa Turci aggeres ex aggesta terra sic edunt, ut securi ab Ungaricis tormentis intus edificent. Quin et ante, quam illi advenissent, fossa et vallo situm obdixerant, ingesserant affatim commeatus et omni munitionum genere obfirmarant. Palatinus, Gabriel et Ioannes conatus omnes

irritos conspicati, quamvis ultro citroque nonnulli occidissent, ad protegendum tamen Syrmiensem agrum alterum e regione oppidulum exedificare adorti sunt et in illorum invidiam die noctuque in extruendo opere versantur.

Dum hec ad Savum aguntur, Mathias ex irrita spe in iram 252
coniectus e Moravia crebris incursionibus et incendiis Bohemiam
longe lateque vastat, tam assiduis rapinis et tot populationibus
afficit, ut oppidorum ac civitatum pars magna pacem mercari,
multe sese dedere cogerentur. Quin etiam ad vicinos usque mon- 253
tes, qui Pragam circumvallant, discursatum et vastatum fuisse
perhibent. In Bohemia nulla civitas vi capta, sed per deditionem
ex detrimentorum intolerantia in potestatem regis haud pauce
sunt accepte. Hec igitur tertio Bohemici belli anno gesta sunt. 254
Rex autem dispositis per cuncta oppida, que in Moravia, Bohemia
et Silesia ceperat, presidii relictisque nonnullis legionibus, que
provincias tuerentur, Budam rediit. Victorinum, quem captivum 255
adduxit, in ardua Vicegradus arce asservari pro dignitate iussit,
ut post belli finem tuto dimitteret et, qua deceret, beneficentia in
dignitatem ipse pristinam restitueret.

Hoc etiam anno, de quo supra diximus, Maumethes Tur- 256
corum imperator comparata quadringentarum navium classe, ubi
triremes ducente ac decem equitum milia fuere, Eubeam adortus
Chalcicem obsidet et tanto urbem impetu oppugnat, ut magna
suorum cede trigesimo die potiretur. Quod Rome quarto Idus 257
Iunias grando insane magnitudinis portendit, cuius frusta duo-
decim uncias appenderunt, quare Paulus pontifex maximus im-
petrande pacis liberandorumque obsessorum gratia indicta ad
omnes aras sollemni supplicatione ipse pedes sacrum dive ge-
nitricis simulacrum ad Lateranensem usque basilicam pie circum-
tulit ibique sacris operatus est. Veneti Eubeae captivitate haud- 258
quaquam consternati instructam sexaginta navium classem ad
infestandas maritimas Turcorum oras continuo misere, in qua
triremes sexaginta et viginti onerarie fuere. Nicolaus Canalis
prefectus classis ob rem in ea expeditione male gestam, quia
Chalcidi in tempore non subvenissent, in senatus suspicionem
adductus vinctus Venetias advectus est, perpetuo deinde exilio
multatus. Ioannes Andegavensis, qui Neapolitanum regnum recu- 260
perare studuerat et spe frustratus ad moliendas res novas in
Narbonensem Galliam se receperat, urbe potitus Barchinione
diem obiit. Acerrimum in Galliis bellum inter Ludovicum regem
et Carolum Burgundionum ducem oboritur.

Rex Budam reversus recreandum reficiendumque hibernis mi- 261
litem esse duxit assiduo bello iam absumptum. Due tamen res
eius mentem acerrime vexabant. Imprimis Sabacz in Savi ripa
edificatum beneque munitum, deinde imperii Turcorum accessio,
quandoquidem audita Eubeae captivitate maxima tristitia virum
incessit. Verebatur, quod et obtigit, ne uno eodemque tempore 262
cum duplici prepotentique hoste dimicare cogeretur. Turcorum vi-

res nemo ignorat. Bohemi bello acerrimi, metus expertes et quam maxime mortis, quia Wladislaum Casimiri regis filium nuper elegerant, adiectis Polonorum viribus potentissimi habebantur. Eodem enim tempore, quo Mathias acerrime Bohemiam infestavit, Casimirus etiam pontificis hortatu iussuque in Bohemos arma sumpsit. Sed, postquam filium ab his regem electum intellexit Ursinosque omnes ac Stelligeros cum cetera procerum turba vehementissima in Wladislaum studia intendisse conspiciatur, Bohemorum tutelam ex corde suscipit. Quo igitur modo imminuentibus his periculis Mathias occurrat, cum patribus et proceribus miro studio diligentiaque decernit. Cum bella sine pecuniis geri nequeant, ad eas disquirendas imprimis animum intendit; vectigalia solito gravius exigit, collatam a pontificibus sacerdotumque collegiis stipem exposcit, imponit nova tributa et stata a summo pontifice Venetisque stipendia postulat, ut hereticis et profanis obsistat. Ne merita quidem militum oblivionis iniuria pretereunda censet. Cum Stephanus Scepusiensis Lupusque despotes in bello Bohemico se optime gesserint neque in periculis laboribusque obeundis unquam sibi pepercerint, Scepusiensem honoribus multis adauxit, despotam egenum castello Feyczkeo donavit. Ceteros pro sua quemque dignitate muniis, honoribus et premiis prosecutus est. Secundum Bohemicum bellum insequenti anno Polonicum secutum est, de quo in postero libro latissime disseremus.

LIBER III.

Nimirum eo fato Mathias natus erat, quemadmodum universus vite ordo testabitur, ut nunquam sibi otium inveniret, bellum ex bello sereret et ad extremum usque vite exitum plus voluptatis ex armis, quam pace caperet. Quanquam domi pacem, foris bellum aleret, sepe tamen obtigit, ut ipse quoque domi non solum exterrito bello, sed intestinis quoque factionibus laboraret. Ut domi quiete viveret, foris bellum alebat; nonnunquam opinione sua falsus optimatum seditione vexatus est, quod fortasse non immerito a fortuna factum est, ut Herculei virtutem principis omni ex parte periclitaretur. Etsi labores multos illa proposuit, nunquam tamen virum, mihi crede, destituit. Ne maiore quidem favore catenata Corvino pericula obiciebantur, quam promptiore ipse animo semper obibat.

Insequenti nanque anno cum in Bohemia ageret, Polonicum bellum oboritur, quod anno salutis quadringentesimo septuagesimo primo ultra millesimum initum est. Pontifices enim et proceres Ungarie in Mathiam maxima ex parte coniurarunt; Casimirum secundum Casimiri regis Polonie filium introducere decrevere, ut, postquam hunc regem declararint, eiusdem copiis Corvinum eiicerent.

Coniuratio ita vehemens et fecunda fuit, ut in ulteriore

Ungariæ præter Gabrielem archiepiscopum Colociensem, Michaelem palatinum cum paucis optimatibus nemo superfuerit, qui a regia fide ad Polonum non defecerit. Michael Orsagh vir ille prudentissimus et longa rerum experientia non iniuria sapientissimus semper habitus illud non minus in corde, quam ore versasse dicitur: Quencunque sacra corona coronatum videris, etiamsi bos fuerit, adorato et pro sacrosancto rege ducito et observato. E septuaginta circiter quinque conventibus, quos comitatus, ut supra scripsimus, appellant, tanta coniuratio fuit, ut vix novem superfuerint, qui Mathie parerent et vectigalia penderent. Coniurationis principes Ioannes duo fuere, nepos et avunculus; alter Strigoniensis metropolita a Mathia patris loco semper habitus; Quinqueecclesiensis antistes alter fuit vir ille utraque lingua eruditissimus, qui si a curis reipublice se revocare potuisset, habuisset nostra etas, qui cum universa vetustate certasset. Ne ab his quidem Emericum Scepusiensem comitem complures excludunt, qui olim semel ante Transylvanum bellum, ut diximus, a rege defecerat. Hunc quandoque rogatum, cur id fecerit tot beneficiis et honoribus affectus, respondisse ferunt: Fateor me a rege defecisse, sed ita tamen, ut illi nunquam ipse deficiendo nocuerim et me ab inimicorum obtreccationibus et insidiis asseruerim. Vir enim ille tanta calliditate ac prudentia fuit, ut deficiendo regem delatorum criminibus irritatum ad respiscendum impelleret et hac arte, quanti momenti ipse foret, principi et inimicis ostenderet. Eo igitur temperamento usus est, ut regem regno et se regi prudentissime conservarit.

Cur autem paterni imprimis amici coniurationis auctores fuerint, cause nonnullæ referuntur. Nam ii ea gravitate ac fide sunt habiti, ut nullius levitatis et perfidie rei existimari posse viderentur. Metropolitanam præ indignatione varia res novas molitum fuisse dicunt. Rex enim iam compos sui factus ab optimatum consiliis, quibus hactenus fuerat obnoxius, se asserere cæperat; suo, non alieno ductu et consilio utebatur; confutabat illorum dicta, si quid quandoque liberius suasissent; cuncta solus agere videri volebat. Contra illi auctoritatis hinc iacturam haud modicam se facere arbitrabantur. Accesserat extraordinarii stipendii insolens impositio, quam dicam nominant, que non modo domesticatim, sed viritim plerunque indicebatur. Et, quamvis assidua bella gravissima tributa postularent, insolens tamen vectigal nimis cuique grave videbatur. Quin etiam episcopatum proventus usurpare ceperat et, cum pro publica salute dimicaret, id sibi licere reputavit. Hoc tamen non sine Laurentii Roborelle apostolici legati auctoritate fecerat. Quare illum multi graviter incusant, quod primus Mathie regi et animadvertendi in pontifices sacerdotesque et ex usu belli basilicarum proventus usurpandi potestatem fecerit. Summum enim nefas arbitrabantur pontifices et sacerdotes, qui semidei censi debent, profane censure esse obnoxios. Archiepiscopo Strigoniensi fodinarum auri decimas, que

urbure vocantur, abstulerat, que magni fuerant momenti; nonnullis etiam episcopatibus vectigalia occuparat. Quod ab eo plerique haud temere factum putant, partim, ne in tanta rerum copia lascivirent, partim, ne opibus adaucti regi bellum inferrent. Insuper formidolosus optimatibus et violentus esse ceperat et tacito quodam nutu se solum imperare, parere ceteros velle indicabat. Qui autem apud eum nimia plurimum auctoritate valuerant, ex attenuata dignitate id aegre ferebant. His igitur causis archiepiscopum Strigoniensem ac ceteros, ut nova molirentur, adactos esse opinantur.

Cum hec per coniuratos clam agerentur et inter se Casimirum regem elegissent, ad Polonie regem continuo scripsere; quecumque fecissent, omnia edocuere. Omnes fere proceres a Mathia ultro defecisse significarunt et, si qui restiterint, aut idem propediem esse facturos aut nihil adversaturos; Ungaros temeraria quadam pietate correptos Corvinum regem elegisse non regio, sed humili genere natum; illum e regno in tyrannidem prorupisse et, quando e regio sanguine haudquaquam natus est, regiam maiestatem ac sanctitatem tueri non posse; non solum in alios, sed in suos a principio sevire ocepisse; avunculum, qui delatum sibi regnum recusarat et nepotem regem fecerat, in vincla coniecisse, quin et indixisse mortem; nunc autem in paternos amicos, qui eum tantopere excoluerant et in nullis unquam periculis deseruerant, vim inferre cepisse; sacram sibi censuram usurpasse, sevire in sacerdotes, antistitum vectigalia occupare, ius divinum et humanum iuxta miscere, pro ratione libidinem habere; proinde regnum Ungarie inique Mathie traditum eque auferri debere, ad Polonie domum ex more recurrere oportere; demum orare, ut Casimirum filium regem nuper electum mittat et delatum sibi regnum accipiat. Polonus rerum harum admonitus in tanta liberorum fecunditate fortuneque successu haudquaquam cunctandum esse ratus delatum preter opinionem regnum accepit. Letitia magna completus deo gratias agit, quod duobus annis duo filii in duo regna optati fuerint et nunc instantissime postulentur. Delectum extemplo habuit, legiones tres cum optimo equitatu cataphractorum comparavit, quas Casimiro daret, qui ad obeundum regnum in Ungariam profecturus erat; neque ignorabat alterum Wladislao exercitum esse comparandum, qui Bohemie regnum sine controversa erat aditurus. Ad archiepiscopum igitur et optimates scribit se filium propediem omnino cum validissimo exercitu esse missurum.

Interea coniurationem et competitoris adventum rumor ipse detexit. Cum res ad regis aures pervenisset, haud parum excaudit et vix credere poterat paternos imprimis amicos, quos ipse tantopere excoluerat et tot muneribus et opibus adauxerat, in se nova moliri; animo tamen nequaquam consternatus dicere solebat se studio summo visurum, quisnam e suis optimatibus Casimiri hospes esse velit. In eos, qui coniurationis insimulabantur,

severe non poterat, quia clam elapsi in proprias arces se receperant, neque, si potuisset, eo tempore seviendum esse iudicabat; simulare et dissimulare multa, comprimere iracundiam et comitatem lenitatemque preferre; non ignorare Ungarorum ingenia neque varia hominum studia latere; scire inconstantes eorum esse animos ac vulgus spem fortunamque sequi. Proinde nutantes obfirmare, promissis et largitionibus plerosque a proposito revocare, proceres multos oppidis dono datis sibi reconciliare, plura consilio quam armis agere, contra torrentem brachia non tendere, sed astu et prudentia adversantem fortunam declinare. Nunquam tamen sibi diffidere, quin et in adversis sepe rebus maiorem quandoque animum concipere, veluti maior ostentande fortitudinis materia offerretur. Item, quos e coniuratorum numero esse subolebat, ultro consulere et preferre fiduciam.

Interea fama percubuit Casimirum cum viginti milibus hominum Ungarie finibus appropinquasse, multos ex Ungaris veluti congratulatum occurrisse et eius exercitum Ungarorum accessione is dies augeri. Kalendis igitur Novembribus, anno dominice salutis quadringentesimo septuagesimo primo supra millesimum regni fines ingreditur. Quacunq;ue iter facit, magnifice excipitur; fortunam quisque sequitur. E proceribus multi ex propinquis locis occurrunt, qui et magnifice novum regem excipiunt et obsequia gratissima pollicentur. Augentur quotidie Polonica castra et multi ex industria et composito, nonnulli aliorum exemplo Casimirum sequuntur. Maiorem in dies animum Polonus concipit et tuto per regnum suum vagari posse arbitratur. Iam Casoviensem et Agriensem agrum preterierat Nitrieque propius et Vacie castra admoverat, cum principes coniurationis, qui ipsum exciperent, expectare cepit. Substitit igitur et creberrimis litteris clandestinisque internunciis primarios optimates accersit.

Nec interea quidem Mathias obdormiverat, quippe qui comparaverat pro viribus exercitum, principes multos Bude coegerat; illuc enim palatinus et Gabriel archiepiscopus, item Emericus et Ioannes Alemanus Varadiensis antistes multique alii ex coniuratis etiam convenerant clam a rege oppidorum villarumque largitionibus reconciliati. Nicolaum Wylachum Bosne regulum rex per internuncios consuluerat, an cunctatius agendum. Cessandum vir prudens ille respondit, quando in dies multe ex infestis haste convertantur et auxiliares fiant. Placuit Mathie sententia et motis Budacastris Strigonium cum his optimatibus contendit. Hoc primum non temere faciendum esse censuit. Videbat enim reconciliato metropolitana coniuratorum principe nihil ultra reformidandum. Cum Strigonium venisset, rex in urbe subsedit, in suburbanis castra posuit; mox Emericum Scepusiensem spectate gravitatis et prudentie virum et non minus eloquentia, quam calliditate prestantem cum palatino nonnullisque pontificibus in arcem submitit, qui archiepiscopum sibi reconciliarent. Ii, cum ad eum venissent, orare

ceperunt, ne a regis fide, quem loco filii semper habuerat et quem sua industria et labore ad regnum evexerat, nunc aliqua indignitate deficeret. Item dicere, si quid filius quandoque committit, a patre ignosci oportere; indulgentissimos magna ex parte esse parentes et in filiorum erroribus plerunque connivere; animum ab inito proposito omnino esse revocandum, quando novitas ista non sine maxima regni calamitate fieret, regem tot aliis virtutibus pollentem, si quid errarit, esse tolerandum; a successu glorie ac regni defensione non esse revocandum; eius animum tam clara facinora quotidie molientem non sine maximo scelere intercipi posse; eum presenti novitate haud mediocriter respuisse; recognovisse se ipsum et penitentia correptum; se alium futurum polliceri, quicquid insolentie fecerit, ab usu bellorum se coactum fecisse; ingenue fateri nil sibi thesauri comparasse; posthac se cum omnibus temperatius acturum; demum et suo et regio nomine obsecrare ac obtestari, ut filium ea, qua solebat, pietate, studio et diligentia tueretur; quecunque ipse iusserit postularitque, regem pro ratis et firmis habiturum; quin etiam decimas, quas extorsit, ultro redditurum et nunc, antequam hinc castra moveat, partem maximam instaurata gratia repensurum.

Post verba supplices intervenere virum; nonnulli exorandi causa procidentis patris illius genua amplexabantur, ut regni perturbationem et periculum deprecarentur. Ille autem, quamvis ex his nonnullos limis oculis despiceretur, repentinam illorum mutationem et inconstantiam demiratus tamen victus ista respondit se a ceterorum pontificum et optimatum consulto nunquam dissensurum neque unquam sibi tantum arrogaturum, ut preter ipsorum voluntatem quicquam moliretur; non diffiteri se Mathie quandoque succensuisse, increpasse licentius uti filium et sepius fuisse questum nec equum et fas esse regem sacrorum virorum vectigalia usurpare neque sacram obire censuram; neque fateri se tantum Casimirum advocasse, sed plures in ea re socios habuisse, qui mutato mox animo subticuerint; neque se solum Casimirum in Ungaria remoraturum neque aliorum iudicio obversaturum; Mathie diu novisse mores neque illud ignorare lenitatem hanc et sibi et multis exitio fore; demum quando ita volunt coguntque, intercedente fide publica se, ut antea, regi pariturum. Cum ii omnes suo regioque nomine fidem detulissent et decimarum loco pecunias, ut plerique volunt, rependissent, reconciliationem transegere. Mox, ut regem ad castrum introducerent, descendere; retulere omnia, uti acta fuerant, et ingenti extemplo sollicitudine regem liberarunt. Haud mora; is arcem cum eisdem accendit et, cum in colloquium adhibitis paucis arbitris pervenissent, Nunquam, sacrosancte, inquit, pater, me a te desertum iri mihi ipse persuadere potui. Non me latebat nunquam te id oblivioni mandaturum, cum me pater moriens tibi commendavit; neque credere poteram illum a mea fide defectu-

rumi, qui charitatis et fidei perpetuum exemplum appellari potest. Tu mecum in carcerem et vincla incidisti, tu ultro pro salute ac dignitate mea cuncta pericula obiisti, tu quoque e Bohemico me carcere redemisti, excoluisti regno et corona; nihil arduum et difficile fuit, quod tua opera et consilio non cum laude peregerim. Neque nunc te Mathiam in tuis ulnis natum et a te semper studiosissime educatum deserturum esse credo. Si quid mea iuventus in te patravit, ignosce, pater indulgentissime; tuo filio parce; ex indignatione hac, si qua fuit, pristinus utrinque amor, queso, redintegretur. Quem cum ceteris Ungarie regem constituisti, periclitantem nunc, queso, filium protege et immortalia in me tua beneficia solita benignitate tuere, ut, quod decedenti e vita patri recepisti, re prestitisse videare. Ex his verbis oborte utrinque lacrimae; metropolita ad pedes provolutus, quia initi consilii penitentia dudum incesserat, veniam postulavit. Rex ad osculum excipiens e contrario veniam petiit et concessit. Data et accepta utrinque fide in iniuriarum omnium oblivionem et transacta pace pacatisque utrinque animis rex ac proceres abiere.

Insequenti die, cum Casimirus, quem rumor erat superiori nocte in Strigoniensi arce cum archiepiscopo fuisse, ut aperte pro dignitate sua arma sumeret, ulteriorem Ungariam ad Danubium usque discursaret et detrimentum his inferret, qui pro se arma non caperent, rex copias traicere ceperat. Effusa deinde fama Mathiam sibi metropolitam reconciliasse et iam Danubium transmittere coepisse Poloni ab incursionibus se abstinuere. Casimirus Nitriam venerat. Civitas, quia se verum Ungarie regem esse profitebatur, ultro ipsum excepit. Pro menibus vero castra metatus est. Rex traiecto Danubio recta Nitriam versus castra movit atque ex omnibus pagis oppidisque Polonos, ubicunque invenerat, eiecit. Cum Nitrie appropinquare eum rumor esset, Ungarorum multitudo, que Casimiri fortunam hactenus secuta fuerat, repente defecit. Multi clam elapsi in castra regis venire, pars in oppida propria se recepere, alii magis ingenue hostilis detrimenti metum causati, qui ad regia castra venire, hilari a Mathia vultu excepti sunt, publico tamen edicto impunitas omnibus, qui Casimirum sequerentur, promissa, si ipsum triduo desererent. Promulgato ante castra hostium edicto elapsis clam ceteris pauci remansere, quare Casimirus animo admodum consternatus intra Nitriam cum exercitu se recipere cepit, contra Mathie adauctus est animus, cum ad fidem redire Ungaros conspicaretur. Nitriam ergo properatur. Quo cum venisset, in urbe Casimirus obsidet, inhibet commeatus et diram interea famem interminatur. Casimirus Ungarorum facinore evocatum se ingenue fassus per internuncios clam cum rege agit impetratque, ut intempesta nocte sibi egredi et tuto in Poloniam redire liceat, seque regno nullum unquam bellum posthac illaturum pollicetur interiectoque iureiurando affirmat. Paucis post diebus cum septingentis ex compacto equitibus elabatur et continuatis, ut aiunt,

itineribus in Poloniam se recepit. Exercitus qui remanserat, ar-
 tiore obsidione circumventus quotidianis internunciis tuto ab-
 eundi, ne inedia conficerentur, potestatem petit. His autem hac
 condicione dimissio data, ut salvis corporibus et impedimentis
 abirent, nullum regno nocumentum inferrent, nihil in faciendo
 itinere hostile facerent. Quod si adiecto iuramento non servassent,
 cuique nobili plebeiove, item urbanis omnibus et paganis cumu-
 latus passim de his penas sumere liceret. Lex abeundi a Polonis
 accipitur; dimissi a rege in Poloniam castra movent. Rex cum
 exercitu diei itinere subsequitur et, quoscumque in vicis et oppi-
 dis apprehendit, reluctantes obruncat. At illi haud secus ac e 80
 carceribus elapsi, cum inediam sentire cepissent, paulo licentius
 per vicos et agros cibaria quandoque surripiunt, quandoque sim-
 ulantes se obsonia et pabula mercaturos mox illata vi diripiunt.
 Indemnem provinciam prestare iurati non prestant, rapinis manus
 abstinere non possunt, in dies licentia augetur et, quanto Polonie
 fines propius accedunt, eo maiora pecoribus ac rebus detrimenta
 inferunt. Inopiam rerum aliqui, ingenitam plerique grassandi li- 82
 bidentem causantur. Ex pagis et oppidis querele graviaque in
 dies lamenta suscitantur ad regemque deferuntur. Rex violato 83
 iuramento cuique ulciscendi potestatem facit edicitque, ut omnes
 vim vi repellant, armis sua quisque tueatur et erepta recuperet.
 Promugata licentia Polonis vicatim rustici commeatus abnegant, 84
 cum illi vi accipere conarentur, bellum ob violata federa rustici
 Polonis indicunt suscitatoque tumultu in finibus Ungarie cunctos
 spoliare decernunt. Cum illi quadrato agmine iter facere non
 possent, ob rerum egestatem, cuius ipsi fuerant auctores, quando in
 ingressu congesta frumenta succenderant, diversi iter facere co- 86
 gebantur. Extenuatis diversitate viribus et tunc maxime, cum
 Polonie finibus appropinquarent, palantes et effusi a rusticis cir-
 cumventi spoliantur et in predam vertuntur omnes; nonnulli
 quoque in rapina desiderati sunt. Poloni igitur, qui duce Casimiro
 Kalendis Novembribus Ungariam invasere, quarto post mense
 eiecti sunt. Mathias cum exercitu ulteriorem Ungariam lustra- 88
 vit, ne quid illi, antequam egrederentur, mali molirentur. Pacata
 denum provincia et exacto hoste in sacra hebdomade Budam
 ovans rediit legionesque magno labore defatigatas, quippe que
 tota hieme in castris hibernarant, vernatum estivatamque dimisit,
 ut equos et corpora reficerent. Ea estate nil memoria dignum esse
 factum audivimus.

Postquam eiectis hostibus propulsatisque periculis rex Bu- 89
 dam se recepit, ad ultionem iniuriarum animum revocavit. Videbat
 enim, si maxima queque facinora semper impunitate donaret, se
 audaciam scelerum eque, ac perfidiam augere et per brevi regna-
 turum, quare, ut alios a crimine lese maiestatis absterreat, ab
 archiepiscopo Strigoniensi facit initium. Hunc per internancios 90
 Budam accersi iubet sub gravissimi colloquii pretextu. Ille, quan-
 quam se non sine periculo iturum esse intelligeret, tamen fide re-

gia fretus et veteri benevolentia Budam sponte venit nullumque
 sibi a rege periculum imminere putavit. Quamvis enim primus 91
 auctoritate foret, novissimus tamen ad coniurationem venerat
 optimatum impulsu et nepotis potissimum instigatione adactus,
 quod non modo regi, sed multis quoque aliis palam factum esse
 intellexerat. Et, cum in campum Rakos, ubi regalia comitia haberi
 solent, Casimirus se propediem descensurum esse proceribus,
 qui advocaverant, continuo significasset admonissetque, uti ad
 statam illuc diem convenirent, invitantibus ipsum optimatibus
 ultimum se venturum esse respondit. Quare factum est, ut reli- 93
 qui se remissus agerent et coniuratio sensim solveretur. Ne id
 quidem regem latebat, sed illud sine ultionis signo pretere-
 re non poterat, quando memoria repetebat, in amico paterno, quem
 loco parentis semper habuerat, quomodo nefanda perfidia concipi
 potuisset. Itaque, ubi Budam metropolita venit, honeste in aula 94
 retineri et adhibita custodia pro dignitate asservari iussit. Ad
 Vicegradum deinde clam translatus in arce mensibus aliquot a
 custodibus regis observatur. Vicit deinde Mathiam ingentium
 memoria beneficiorum, ingenita pietas et date fidei recordatio;
 obversabatur ante oculos crudelitatis et infamie metus, quando in
 sacrosanctos pontifices se haud sine nefario scelere animadvertere
 posse reputabat. Pertesus igitur iracundie sue hunc carceribus
 emisit, in Strigoniensem arcem cum dignitate restituit. Adhi-
 buit quosdam milites custodie, ne quid in ipsum ultra moliri
 posset. Ipse tamen cum vidisset se non sine turpitudine captum 97
 neque absque ignominia dimissum et vitam, quam semper cum
 dignitate gesserat, in novissima senectute infamasse, tantus eum
 dolor incessit, ut in dies mortem exposceret, pro ea quoque vota
 nonnunquam nuncuparet. Subierat in senectute iam vite fasti- 98
 dium et ad levendam turpitudinem et infamiam morte nihil anti-
 quius reputabat. Estatem eam vix claudere potuit, nam quinto
 Idus Augusti et pridie eius diei, quo divi Laurentii sollemnia ce-
 lebrantur, diem obiit non sine maximo procerum nobiliumque de-
 siderio. Quicumque gravissimi viri probitatem sunt experti, per- 99
 petuo eius desiderio et pia commemoratione afficiuntur. Vir fuit
 archiepiscopatu vehementer accommodus, quippe qui triclinium
 in arce amplissimum erexit, prominens vero ante triclinium e
 rubro marmore ambulacrum cum duplici podio et superbissimum
 extruxit. Ad triclinii caput Sibyllarum sacellum e fornicato opere 100
 acuminatum statuit, ubi Sibyllas omnes connumerare licet. In 101
 triclinio non modo omnes ex ordine Ungarie reges, sed et pro-
 genitores Scythicos cernere erit. Item caldarias frigidariasque
 cellas et hortum duplicem, quem xystis excoluit et superiore
 ambulacro coronavit. Inter utrunque turrim rotundam penes ru- 102
 pem erexit in varia triclinia cubaculaque divisam, variis supra
 specularibus exornatam, quam neque edicula carere voluit; hanc
 ipse fere semper inhabitavit, quia Danubio prominens iucun-
 dum prospectum et hortorum amenitatem afferebat; locus qui-

dem ad philosophandum et contemplandum nimis idoneus. Divi 103
 Alberti basilicam vitriaria tegula, ne igni foret obnoxia, texit tec-
 tumque fastigiatum ad imbres nivesque reiiciendas fecit. Biblio-
 thecam quoque utriusque lingue fecundissimam dicavit. Hic igitur
 Ioannis Vitesii metropolitae finis fuit.

Ioannes Quinqueecclesiensis antistes et e sorore nepos, qui 104
 invitum avunculum in coniurationem attraxerat, audita eius cap-
 tivitatem Zagabriam versus fugam rapuit, ut, si a rege forte pete-
 retur, continuo e finibus elaberetur. At, postquam de metropolitae 105
 morte nunciatum est, paucis post mensibus supervixit, quin et eod-
 em anno geminato dolore correptus interiit eternumque sui de-
 siderium non minus Pannonie, quam Italiae reliquit. Annos sep- 106
 temdecim sub Guarini Veronensis disciplina fuerat, utranque ab
 ineunte pueritia linguam imbiberat. Preceptor eius sepe dicere
 solebat se nullum adhuc ex Italis peregrinisque discipulum ha-
 buisse, qui prestantia, docilitate fecunditateque ingenii cum
 Ioanne Pannonio conferri posset. Si Latine loquebatur, in urbe 107
 Roma, si Grece, mediis natum Athenis affirmasses. Nil barbariei
 actio et oratio redolebat. Natum ad carmen ingenium reputaveris;
 in prosa oratione non iniucundum. Quod, si publicis curis et pro-
 cellis non fluctuasset, nimirum cum priscis oratoribus et poetis
 certare potuisset. Prestantibus plerumque ingenii fortuna invidet 109
 et, ne pro viribus emergant, intercedit. Quam sacro basilice sue
 collegio charus hic fuerit, hinc conice. Cum ob regis iracundiam 110
 is quasi hostis reipublice haberetur et sollemnia viro iusta nemo
 persolvere auderet, sacerdotes clam eius corpus in sacellum
 Quinqueecclesiense retulere idque picato scrinio diu reconditum
 habuere. Cum multo post tempore Mathias forte urbem illam et 111
 basilicam inviseret, sacerdotum regi collegium supplicavit, ut
 Ioannis poete corpus, quod diu insepultum asservarant pre metu
 iracundie eius, debito sepulture honore iam honestare pateretur.
 Indoluit rex tanti viri casum, falsam eorum opinionem ac metum
 increpuit et, ne poeta insignis sepulcri honore fraudaretur, hone-
 stissimas mox exequias edixit. Pannonicus igitur hunc vates ex-
 itum sortitur. Hec anno salutis quadringentesimo septuagesimo
 secundo supra millesimum accidere.

Hoc anno Veneti adversus Turcos cum Ferdinando Neapolitano 114
 rege fedus percusserunt. Paulus pontifex Idibus Aprilis
 inter sacra sollemnia Borsium Estensem Ferrarie ducem instituit,
 aurea trabea, pomo, sceptro, torque paludamentoque donavit
 ducisque insignibus donatum ad divi Marci edem et atria a fre-
 quentissimo senatu duci iussit. In Galliis summi pontificis opera
 inter Burgundios et regem bella composita. Fridericus imperator 115
 et Franciscus Picolomineus cardinalis Senensis, legatus apostoli-
 cus, vir omni laude et commemoratione dignissimus ad Australem
 Neapolim frequentissimum Christianorum principum conventum
 habuere, ubi multa in usum et salutem Christiane reipublice
 decreta sunt et presertim in Turcos, que principum deinde dissen-

sione ac negligentia non sine grandi iactura pretermissa sunt. Paulus pontifex maximus sexto Kalendas Augusti, dum solus 116
in cubiculo requiescit, apoplexia correptus interiit, cui Sistus
rite successit. Quin et Christophorus Maurus Veneti senatus
princeps diem obiit et in defuncti locum Nicolaus Thronus suf-
fectus est. Ioanni metropolite Strigoniensi Sclavonico genere nato
Ioannes Alemanus Varadiensis antistes regi quam familiarissimus
plane successit. Quinqueecclesiensi vero nepoti Sigismundus Io-
annesi Ernesti questoris regis filius subrogatus est.

Perpetuum fortuna laborem Mathie indixisse videbatur, 118
quippe que nullam quietem obire patitur. Insequenti nanque
anno, qui septuagesimus tertius erat supra millesimum et quad-
ringentesimum, Polonicum simul et Bohemicum bellum oboritur
neque Turcicum unquam defuit, quando quotidianis incursionibus
nunc Dalmatas et Carnos, nunc Pannonos et Dacos infestabant.
Huius autem originem facile quisque coniecerit. Quis enim filii 119
dignitatem equo animo deserere poterit? Bohemi Wladislaum,
quem regem nuper elegerant, honorifice a patre missum in re-
gnum cum summo plausu ac ingenti celebritate acceperant et pau-
cis post diebus ex more coronarant. Cum regnum duabus opu- 120
lentissimis a Mathia provinciis non modo privatum offendisset,
sed ex magna Bohemie parte interceptum, vehementer indoluit
seque non modo non regem, sed ne tetrarcham quidem esse repu-
tavit. Ad patrem scripsit se non ad regnum, sed regni reliquias 121
esse evocatum. Ne id quidem pater ignorabat, quippe qui, ante-
quam se ex filii electione Bohemis reconciliasset, una cum Ma-
thia his bellum indixerat. Nunc autem, quia de filii dignitate
agitur, consilium mutat et etiam preter equum et fas Bohemo-
rum causam tueri filii iure compellitur. Quare sepe litteris, ut 123
Moraviam Silesiamque et quecunque in Bohemia ceperat, Wla-
dislao sponte redderet, Mathiam Casimirus hortatur; magna ex
parte belli sumptus repensurum et interea civitates aliquot dimis-
surum pollicetur. Contra ille mutue amicitie iure se id recepit 124
ultra facturum, si quadringenta aureum milia, que in eo bello ero-
garat, sibi redderentur; interea se parto regno potiturum. Cum 125
ingens pecuniarum summa peteretur, cui ne Bohemia quidem et
Polonia cum universa Sarmatia solvendo fuisset, utrinque bel-
lum indicitur. Polonus populorum multitudine prepollens nume- 126
rosus cogit exercitum et non solum nobiles stipendium facere
iuber, verum etiam e plebeiis et rustica turba, item e Roxanis et
Tartaris ingentem multitudinem inductoravit ratus victo Mathia non
modo provincias cum regno se recuperaturum, sed Ungaria
quoque uxoris iure potiturum. Id ipsum quoque filium facere 127
monet. Delectus utrinque magnus habetur, triginta hominum
milia uterque cogit. Qui de magnis sepe maiora loquuntur, sexa-
ginta milia fuisse iactitant. Mathias autem se tot malis obsitum 128
conspicatus haudquaquam animo consternatur; patres et optima-
tes consulit et, quamvis illi admodum formidarent, ipse tamen

veluti extrema tentaturus e desperatione vires concipit et animum adauget. Vix octo aut decem ad summum hominum milia cogit, ex quibus cataphractus et expeditus equitatus validissimus erat; domi hostem expectare non decernit, ne suis alere sumptibus adigatur; in Silesiam hostibus occurrendum esse putat, ne regni finibus appropinquare patiatur. Bratislavienses crebris eum nunciis accersunt; significant more periculum et prevenientibus competitoribus se portas patefacturos esse interminantur. Pontifices 130 igitur omnes primariosque proceres cum exercitu Bratislaviam secum ducit et preoccupaturus urbem continuatis itineribus contendit. Dux Laurentius Nicolai Bossene regis filius cum expeditissimo equitatu regem sequitur; tiro audacissimus in aula semper altus et Mathie charus eque, ac filius semper habitus. Item 131 Gabriel Brixienſis Agriensis episcopus, quem e fraterculorum divi Francisci collegio mortalis ambitio ad potentatum evexerat. Hic cum Ioanne Capistrano ex Italia in Pannonias primum venerat mortuoque illo viro optimo, cum dexteritate ingenii, consilio et gravitate polleret, correptus ambitu humanos honores affectavit et, cum regi placuisset, ad cardinalatus usque fastigium eius auctoritate evectus est. 132 133 134

Cum Bratislaviam ventum esset, quam Odra fluvius alluit munitque, prospectis hostium castris, que nimia amplitudine deterrebant, e conspectu haudquaquam metari ausus est. Nam, cum presidii oppida obfirmaret, ne facile ab hostium multitudine caperentur, exercitum extenuare cogeatur. Anceps iam diu tractus est, ane cum exercitu intra urbem se recipeet, an extra metaretur, cum hosti numero multo foret inferior. Proceres et 135 136 137 138 139 140 141 142 amicos consulebat, utrum potius videretur; nonnulli in urbe persistendum esse censebant, contra alii, qui metum potius dissimulare, quam pericula evitare viderentur, e conspectu hostium locanda castra et fossa, vallo circumseptuque carrorum munienda suadent, ne provincialibus metum auferent et sibi diffidere viderentur. Gabriel cum inter cenandum de re ista forte dissereret, Thomas scriba eius acerrimi compos ingenii et qui ab adolescentia, qualis futurus esset, ostendit, utrunque faciendum esse dixit, intus et extra ponenda castra. Quod cum episcopus fieri posse negaret, adiecit castra in suburbiis pro menibus habenda, que ab urbe propugnari possent et in suburbano loco sita intus et extra esse viderentur. Ne patri quidem displicuit iuvenile consilium. Mox per accensum accitus sui scribe adagium recitavit, quod usque adeo principi gratum fuit, ut in sequenti die castra menibus admoverit et, ne qua urbem militari molestia afficeret, aditum civitatis militibus inhibuit; suburbana castra machinis, turribus, preterea vallo fossaque munivit. Poloni propius castra admovere et ad quintum lapidem metati Pannonicas vires tentare ceperunt rati hostem se in obsidionem propediem esse redacturos et aut per inediam absumpturos aut vi omnino expugnatos. At rem longe aliter, ac opinio fuit, accidisse ferunt. Nam

rex urbem nactus loco et arte munitissimam, preterea omnium rerum ubertate completam et sui multo studiosissimam se in portu navigare reputavit, in hostem igitur animum viresque redintegrat et se vincere, si prudenter agat, et non vinci posse retur. Patitur milites e castris exilire quotidie in certamenque cum Polonis Bohemisque descendere; id ipsum illi faciunt; simulacra quotidie belli referuntur neque sine aliquorum hec cede et captivitate fiunt. Post simulacra severiore Marte dimicari ceptum. 144
 Instructa utrinque acie quotidiana pugna conseritur, sed non totis viribus dimicatur. Arrisit in preludiis Mathie semper ipsa 145
 victoria, nam, dum rem prospere succedere videt, hostem insequitur, cedit captivæ. Si hostili se multitudine obrui conspicatur, in castra urbemve continuo se recipit et instans a tergo hostis urbanis machinis inhibetur. Capiuntur e Polonis quotidie multi, 146
 quando magis e gregario humilique milite, quam edocto numerosus exercitus ille constabat, Pannonicus autem e veterano tantum et delecto.

Rex numero inferior a callido ingenio opem exposcit, incautum semper hostem aggreditur; non collatis signis, non indicto pugne die res agitur; non aeneatores signa dare iubet; modo noctu, modo interdiu, modo sereno spurcivove tempore ex improvviso manum cum hoste conserit. Multum ledere, parum ipse 148
 ledi potest. Detrectat sepe prelium et ad certamen apertum provocatus abnuat subticetive; hosti impar vires hostium, quas uno alterove die superare nequit, in dies attenuare contendit. Nullus 149
 dies actus, quin viginti tringentave ex hostibus non ceperit; quandoque ducenti in urbem captivi e castris finitimisve oppidis adducti, nam circumstantia oppida, quibus validissima presidia imposuerat, in Palantes effusosque Polonos irruere iusserat. Edixerat pabula circum incendi, coerceri undique commeatus et nullius rei copiam fieri. Multi circum incensi sunt pagi temporariaque castella; in munitiora sese omnes oppida retulere. Casimirus cum Wladislao suas vires eludi conspicatus egre fert conatus tantos fieri irritos. Crebris cum rege internunciis agit, ut litem, que inte: utrumque intercedebat, iudice Marte definiat pugnandique potestatem faciat, quam nemo rex magnanimus detrectavit. Neque non videt cibarium inopiam imminere, frumentatum pabulumque longius mittere oportere et e castris sine presidio 152
 neminem tuto vagari posse, multos quotidie a circumfuso hoste capi. Obaudit hec cuncta Mathias et divine tantum iustitie 153
 militique suo confidere se respondet, quin et ad iucunda spectacula quotidiana prelia transfert, pro menibus temporaria theatra extruit, que ab hoste prospectari queant; assiduas ibi matronarum virorumque choreas agi iubet, quo Polonos Bohemosque proceres ad saltandum sepius invitat. Celebrabantur convivia et mulierum choro excoluntur; epulum quandoque regia beneficentia populo militique datum; sparsa in orchestra missilia dataque urbis optimatibus congiaria; proposita quoque psaltriis premia non 154

parva. Milites ardore duplici fervere; Veneris et victoriae amor iuxta incendere animos et, ut magis placeant, ad preclara facinora hortari. Certatim saltationes et bella geri; ante amicarum con- 156 spectum conserta pugna pro se quisque fortissime dimicare; illi clariores haberi et per puellarum ora vagari, qui plures captivos reducerent aut pluribus insignes adverso pectore vulneribus red- 157 irent opimave spolia referrent. Contra ille quandoque his occur- rere et congratulari; collaudare quoque certatim suum queque amatorem ac demum omnia cum festivitate agi. Illud etiam ad- 158 mirati sunt omnes tantam Bratislaviensium fuisse ubertatem cum summa probitate coniunctam, ut nulla victui necessaria carius quam antea venderentur; frumentum ac vinum non pluris in fine quam a principio venierit. Contra vero hostes omnium 159 rerum egestas inceserat; spes potiunde victoriae remorabatur; variis, ut hostem in equum et apertum Martem elicerent, artibus utebantur; sepe cedebant, vertebant quandoque terga et palantes fugiebant, ut in patentem campum educerent a tergoque reductis clari alis circumvenirent. Instant illi et insequuntur, quo usque 160 se tuto redire sentiunt; admoniti ultra non progrediuntur, ne interdito reditu circumventi trucidentur. Ars arte eluditur; et illud 161 Polonis rabiem suscitabat, quod non statarie, sed tumultuarie pugne copia fieret; eorum quotidie numerus imminuitur et in urbe captivorum multitudine non modo carcer publicus, sed turres quoque menibus circumstantes complentur.

Neque interea Mathias ipse cessarat, clam in Poloniam Ste- 162 phanum Scepusiensem et Paulum Chinisium impigros quidem fortissimosque duces, qui spectate semper virtutis fideique fue- rant, cum expeditissimo vexillationum equitatu miserat manda- veratque, necubi consisterent expugnarentve, sed longe lateque Poloniam incursarent, popularentur, incenderent et ferro igni- que usquequaque sevirant. Isti pari audacia roboreque freti man- 163 data faciunt, quicquid vicorum occurrit, incendunt, pecora homi- nesque passim abigunt, in nullius oppidi expugnatione tempus terunt, sed Cracoviam usque discursant; tantum ex isto tumultu Sarmatis terroris incutiunt, ut omnia metu et trepidatione comple- rent. Regina, cum non solum regnum, sed urbana quoque Craco- 164 vie insano tumultu ex arce fluctuare despicaretur, missis obviam pretorianis cohortibus, que suburbana propugnarent, ad virum filiumque reges tabellarios extemplo mittit, populationis et in- cendii admonet, instans periculum edocet ac demum, ne ita pro alienis dimicare videantur, ut sua perdant, festinatis itineribus ad defensandum regnum redire iubet. Casimirus ex illato Polo- 165 nie detrimento, quod multo maius, quam erat, esse ferebatur, quando ea, que audiuntur, graviora quandoque videntur, quam que oculis cernuntur, non parum regno timere cepit. Civitates 166 enim et oppida fere cuncta lignea sunt et ea materia quoque constant menia, ut a paucis omnia facile concremari queant; tanta enim lapidum laborat inopia, ut universa igni Sarmatia sit ob-

noxia. Quin et castra gentium varietate referta iam annone caritate laborare ceperant; graviter hinc princeps angebatur, quod neque collatis signis dimicandi copia fieret et paternum regnum igni ferroque vastaretur. Intercessere utrinque proceres optimi, qui de colloquio et pace agitare ceperunt. Id multi Mathie regis astu et largitionibus factum esse affirmant, quibus corrupti nonnulli Casimiri principes eum ad concordiam hortarentur. Quis autem negarit Mathiam neque vite neque labori neque sumptibus neque artibus eo tempore pepercisse, ut a gravissimo se bello sine detrimento et turpitudine liberaret? Gemmatis nanque populis ex hostibus plerosque in partes suas adduxisse fertur. Procerum igitur interventu tandem factum est, ut dierum aliquot indutiae fierent. Iam menses fere quattuor tumultuaria et quotidiana pugna certaverant et Polonorum, ut aiunt, circiter fuerunt octo milia capta, quorum liberatio Casimirum admodum sollicitabat.

Initis iam indutiis de regum concordia principes utrinque impensius agunt. Facile inter eos convenire non poterat, nam Mathias nihil reddere pergit, nisi prestetur indemnitas, contra illi, quamvis debitas pro sumptibus belli pecunias ex tempore exolvere nequirent, aliquid tamen e Bohemici regni appendicibus, ut sibi redderetur, instabant. Insanos exercitus comparant et id citra commodum fecisse perquam molestum erat. Principes tandem utrinque suos reges usque adeo pro communi salute vexarunt, ut, quod ipsi conficere nequiverunt, id in colloquio illi iam adacti ingenita quadam probitate transigerent. Regia utrinque probitas plane constabat et hinc spes omnis concordie colligebatur. In universum demum eos consulere oportere noverant et ex eorum colloquio pacis aliquid omnino sperabant. Data exceptaque pariter fide publica sacrorum hinc et hinc pontificum interventu ad prestitutum diem tres reges in campestre colloquium convenere et suum exercitus quisque regem instructa acie quamvis data fide sequebatur. Cataphractorum equitum quadrata agmina micantibus armis cum sole certare videbantur; prececebant ale vexillationum, que iucundissimum spectaculum referebant. Cum in campum effusum convenissent, legiones omnes se in orbem redegere et, quamvis parvo intervallo distincte forent et prompta ad bellum arma gererent, appropinquantes tamen se mutuo consalutarunt et militarem in spem pacis plausum edidere. Reges, cum propius in orbe medio convenissent, intente circumstant, mutuo silentium indicunt, regem queque suum diligenter observant et, quamvis dicta exaudire non possunt, nutus tamen, gestus et indicia intelligere connituntur. Cum ii late a turmis obducti in trianguli speciem constitissent, non sine honorificis amicisque prefationibus praereverenter sese mutuo consalutarunt. Mox Casimirus rex ille serenissimus etate multo maior et summa gravitate conspicuus primus verba fecit:

Non ambitio imperandive libido me sumptis armis huc adigit, Mathia frater, sed filii huiusce pietas, qua nos, quanto ma-

iores sumus, tanto magis pollere debemus, nam nuperrime regnum Bohemie sortitus ad reliquias quasdam et tetrarchatum, non ad regnum se invitatum esse queritur. Paribus anno superiore 180 auspiciis, pontificio iussu Bohemiam infestabamus; nunc hic dies et hec causa aliam belli rationem postulat. Si me regnandi libido agitasset, te profecto, qui uxorium violatis comitiis regnum occupasti, non brevi, sed perpetuo bello vexassem. Sed, cum 191 Corvine glorie et Ungarice auctoritatis rationem haberem, deo rem permisi, cui creandi regis est summa potestas, te in Pannonia late imperare permisi haud inscius immortalibus tui patris beneficiis non minus de Ladislao fratre, quam Christiana republica benemeriti ne parum quidem esse tribuendum. Itaque, si regnum 182 Ungarie, quod uxoris mee iuris erat, tibi ultro dimisi, si rerum dispensationem divine providencie reliqui non ignarus divina quandoque benignate, si fata iusserint, Pannonie regnum ad liberos fortasse meos recasurum, cur nunc filium in suo regno sollicitas? cur Bohemiam ad te nulla ex parte pertinentem sic pertinaciter vexas? cur neminem e finitimis tibi parem esse pateris? Inr. odicus, Mathia, mihi crede, ambitus et imperandi libido grave 183 casum sepius, quam sublimem statum parat. Si Cesaris et Alexandri fortunam recensueris, quorum te emulatorem egregium esse non diffiteor, ex intemperata regnandi cupiditate intempestivum sibi fatum invenere. Nemo sua libenter amittit, nemo 184 sponte regno cedit, quod sui iuris est, presertim ille, qui vi non modo sua tueri, sed aliena potius invadere posset. Collige te 185 parum et ex ista ambitione, que te adeo premit, respira aliquantisper ac tecum ipse loquere et considera, quam bene tibi cum fortuna sit actum. In privatis Laribus natus es; e carcere ad 186 regnum eductus eoque potitus virtute duce et comite fortuna preclara multa gesta peregisti. Scito fortunam inconstantem esse 187 ac variam et, dum se virtuti fingit obnoxiam, mox clandestinas illi insidias moliri. Quin et perpetuam virtuti cum fortuna invidiam intercedere credito. Proinde sic habeto nos ne minus quidem officii, quam armis a te superari nolle. Redde, queso, Wladislao regi filioque nostro Bohemici regni appendices. Bratislava 188 cede ac Moravia, si beneficio nos superare perrexeris, sin minus, pro arbitrato tuo urbes aliquot tibi retineto, quo usque pro belli sumptibus te prestiterimus indemnem. Publice saluti 190 et concordie consule, ne te quidem sub pontificia auctoritate protege; quodnam regie probitatis sit officium, meditare et pensitatis bene viribus ea facito idque consilium inito, quo depositis utrinque armis in perpetua pace et charitate vivamus.

Cum hec gravissima Casimiri dicta Mathias animo accepisset, 191 ne minore quidem audacia, quam ille gravitate locutus respondisse fertur: Si quem olim laborum meorum misereri sperabam, 192 Casimire pater, hac enim in te prefatione uti fas est, quem pre vetere benevolentia cum patre meo instituta et ingenita probitate parentis loco semper habendum mihi esse duxi, te potissimum

esse credebam, nam, quanto religione, sapientia et etate maior,
 tanto beneficentior in me ac ceteros et Christiane reipublice
 commodior esse debes. Fuisti, Casimire, fuisti, inquam, superiore 193
 tempore mihi non inutilis, donec Ungarie regnum aliorum im-
 pulsu affectare cepisti. Me sensim habenas regni capessentem 194
 annos aliquot tolerasti, nullum mihi negotium palam facessere
 studuisti; at ne illud quidem mihi satis compertum est, an hoc
 proba modestia, an spe improba feceris, quo usque bellorum pro-
 cellis, quibus fueram circumventus, obruerer. Quecunque tamen 195
 ratio fuerit, probitatis ista species admodum laudari potest. De-
 inde me paternorum beneficiorum memoria e carcere ad regnum
 ab Ungaris, quibus tantum suos reges creare est integrum, ultro
 petitur, publico plausu et letitia coronatum dominatumque tot
 annos in meo regno non sine maximo populorum detrimento in-
 vasisti. Adiuvit me divina benignitas et propugnavit, que ad re- 196
 gnum olim evexerat. Poloniam ego nunquam, nisi lacessitus pe-
 tendam esse censui; nec ego nec pater ille meus Polonorum
 querquam iniuria affectit, nisi quos in regno deprehendimus anti-
 quis victum latrociniis queritantes. E finitimis lesi neminem, nisi 197
 quos ulciscendi necessitas adegit. Proceres tantum meos ac vai-
 vodas provinciarum nostrarum obsequia legitima detrectantes
 iusto bello puniendos esse duxi. Cum Turco perpetuum mihi 198
 bellum est, quem ne in ceterorum Christiane reipublice regno-
 rum exitum elabi patiamur, eternum cum eo bellum gerimus. Pon- 199
 tificiis Augustalibusque litteris diu vexati ob pestilentem he-
 reticorum labem Bohemis inviti bellum indiximus. Anne ambitio
 et ingens imperandi libido sit hec appellanda, tu ipse, pater,
 iudicato; si ex ambitione Bohemica bella suscepimus, eiusdem
 quoque tua maiestas insimulari potest. Ego non aliena diripui, 200
 non in quenquam tyrannidem exercui; fideles hereticorum iugo
 ac pestilentia liberavi, Moraviam et Silesiam, quas armis ab he-
 reticorum servitute vindicavi, perpetua libertate ac immunitate
 donavi. Non ambitio regni, Casimire, hec est, sed cupido laudis 201
 et immortalitatis, cuius me appetentissimum esse non diffiteor,
 quando id principis generosi est officium. Quod me fortune 202
 admones et humilitatem obiectas, tibi debeo plurimum, quando
 parentis optimi est officium ad quotidianam filium resipiscentiam
 et sui recognitionem exhortari. Sed, cum hinc timor sepe im- 203
 modicus oriatur, ab instituto laudis recordatio ista remoratur. Fateor
 ingenue, Casimire, me fortune fuisse ludum; quantum Corvinam
 domum imperiosa illa humanarum rerum domina vexarit, tute
 nosti. Moritur pater; nos cum fratre capimur; iniqua mox ille 204
 morte multatur; Mathias in carcere superest, qui parum abfuit,
 quin una cum fratre ad extremum supplicium educeretur. Ante- 205
 quam annus exigatur, eductus est e carcere; ad regale fastigium
 evehitur. Non fortuna, sed humanum scelus et divina benignitas
 est in causa. Alterum Corvinam domum ad extrema redegit, in- 206
 stauravit et evexit altera. Hec fortune varietas mihi animos addi-

dit. E malorum experientia didici secunda pati. Plus etiam laudis 207
 et glorie mihi vendico, quod in humili Lare ac e Christianissimo
 patre, immo Christiane reipublice assertore olim editus ad ista
 pervenerim, quam si ex infidelibus parentibus in regia natus
 aula imperarem. Quod autem ad rem pertinet, sic habete. Mathiam 208
 pacis et concordie semper fuisse amantissimum et amicitie fede-
 risque vestri studiosissimum nec ullas recusaturum condiciones,
 que turpitudine gravique damno careant, et imprimis Wladislai
 semper fuisse observantissimum, quem, ut paterna bona venia
 dixerim, longe maiore pietate, animo et integritate pollentem
 existimo. Nihil me Wladislai mei probitate magis vincet, quem 209
 fratris loco mihi semper habendum esse duxi. Ut una fraterno
 semper amore vivamus, Moraviam Silesiamque et cetera, que in
 Bohemia possideo, me redditurum esse polliceor, cum quadrin-
 genta aureum milia, ut huiusce belli me prestetis indemnem,
 rependeritis. Quin etiam, si, ut spero, gratum esse novero, cum 210
 cumlatiore quotidie beneficio prosequar. Me autem, antequam re-
 pendantur impense, scitote ne unum quidem viculum redditurum
 nec regno nec regni titulo cessurum; nemo enim tales provincias 211
 tanto sudore, sanguine sumptuque partas tam facile reddiderit nec
 regem quenquam tali liberalitate his temporibus usum acceperim.
 Quod, si etiam Mathie animus hanc pati posset et Wladislai 212
 probitas mereretur, ut vestra pace dixerim, Casimiri tamen merita,
 qui tam gravi me bello sepe petiit, a beneficentia ista repellunt.
 Neque me hec sine pensitatis viribus respondere credite neque 213
 me de dictis quicquam immutaturum existimate; nihil unquam
 temere adior, nisi meas vires prius fuerim emensus. Quare, 214
 Casimire pater, maiestatem tuam presente filio tuo adolescente
 clarissimo nunc oro et obtestor, ut nos hodierno die fraterna
 charitate et concordia obliges, perpetua benevolentia utrumque
 obstringas, otium Bohemie et Ungarie tribuas, immo Polonie,
 que, si bello vexabimur, ipsa quoque bello non carebit. Provinciis 215
 meo sanguine partis cedito, redito in Poloniam et me Wladi-
 slaumque fratrem paribus auspiciis et charitate e Polonia guber-
 nato. Vires et arma non inter nos, sed in Turcos, queso, exercea- 216
 mus: ibi perpetua regna, que nulla vi possint auferri, comparare
 studeamus. Quod ut, Casimire, facias, iterum iterumque supplico;
 sin minus, ultores humane iniquitatis deos esse scito.

Cum hec Polonus audivisset, Mathie ferociam admiratus et 217
 ira parumper concitus eius pertinaciam incusare cepit in communi
 tot gentium salute non ea pervicacia utendum nec commoda
 propria in rebus publicis semper attendenda; pro publica salute
 ac pace quicquid erogarit, maxima id usura repensurum; excitata
 hinc bella ne facilem quidem exitum inventura. Item Wladislaus 218
 rex, qui sextumdecimum etatis annum tunc agebat, cum Mathia
 mitius agere, hortari et orare, ut oblatam potius pacem, quam
 bellum optaret, sui regni appendices redderet, fraterna secum
 charitate certaret. Mox pater ac filius Mathiam nihil concedere 219

contententem acrioribus verbis competunt, bellum utrique interminuantur. Contra Mathias pertinacius obstans, Testor, inquit, 220
deum hominumque fidem et utriusque vestrum maiestatem, cum necessitas ipsa tulerit, me celesti humanaque iustitia usque adeo esse fretum, ut uno die collatis primum cum patre, deinde cum filio signis me dimicare pollicear; confido prepotentis mihi iustitie numen nunquam defuturum et me ab inique petentibus omnino defensurum. Interea, quicquid pacis gratia a me iure fieri 221
debet, spondeo polliceorque me ultro facturum; si pax ipsa negabitur, ius meum et parta tanto sanguine regna non solum meis viribus, quantecunque fuerint, sed, si forte defuerint, accitis aliorum etiam auxiliis pertinacissime asserturum. Vix hec dixerat, 222
cum terga vertere voluit. Casimirus autem princeps ille gravissimus, ne eum desperata pace dimitteret, ad alterum tertio die colloquium invitavit. Interea de iustis concordie legibus cogitare 223
iussit. Soluta colloquio se perreverenter mutuo dimisere; legiones suum queque principem in castra sequuntur.

Proceres, cum nihil in eo colloquio de pace bellove decretum esse intelligerent, utrinque postero die intercessere; certatim suadere concordiam, presentia mala ostendere, connumerare imminentia et multo salubriorem etiam cum iactura pacem, quam cum aliqua utilitate fore bellum. Hec tria regna dicere bellum omnino recusare, optare pacem, quam si non invenirent, a principibus malle deficere. Ne rex quidem interea se segnius agere, proceribus Polonis, qui Casimirum ad pacem redigerent, munera geminare, non parcere sumptibus et promissa augere. Neque deerant littere e Polonia misse, que illata quotidie nova incendia et vastationes referebant, que quidem omnia illorum quoque oratione augebantur. Aliqui inediam imminem et rerum omnium egestatem obiectabant, exprobrabant alii hostium ubertatem et captivorum multitudinem, que ab hoste facile ali non posset, in memoriam revocabant. Rem hostis in vado esse dicebant, saltationes etiam et quotidiana spectacula memorabant.

Cum igitur se his difficultatibus Casimirus circumventum esse cerneret, ad pacem omnino animum intendit, quam necessitate adactum commode recusare non posse intelligebat. Interea pontificum procerumque interventu factum est, ut ad secundum colloquium inermes principes cum legionibus convenirent, ut ad certam potius pacem, quam bellum prodire viderentur. 229
230

Tertio die, cum ad medium intervalli spatium convenissent, 231
post honestissimam consalutationem tria ibi tabernacula, que paulo ante ex composito tetenderant, subivere. Mox ad Poloni 232
tabernaculum sine arbitris trini convenerunt; tres circiter horas ibi de concordia et condicionibus eius disceptatum est. Illud tandem convenit inter eos, ut sua quisque regna tuto repeterent, nihil utrinque amplius iniuriarum fieret; Moravia Silesiaque, quo 233
usque viveret, Mathie regi cederet; post mortem repensis Mathie successoribus quadringentis milibus nummum aureum Wladislao

regi utraque recideret; Wladislaus restituitis, que capta in ea fuerant, Bohemia tota potiretur; Bohemici regni titulo uterque, 234 dum viveret, legitime frueretur; post Mathie regis excessum titulus, regnum et provincie eius appendices Wladislaeo cederent; contra, si forte Wladislaus ante ipsum excesserit, his omnibus Mathias cum posteritate integro iure potiretur. Multi adiiciunt adaucta inter eos mutua benevolentia convenisse, ut uter prius vita decesserit, alter alteri pari iure succederet; demum captivi utrinque redderentur, item malus dolus et iniurie inter se perpetuo interdicerentur. Postquam utrinque conventum est, proceres in rei testimonium acciti sunt, qui concordie iura conscriberent. Quod ubi factum est, reges apprehensis inter se dextris 236 in simulacrum inite pacis perpetuique federis sese mutuo amplexantur. Pontifices et tetrarche regulique acciti concordiam ex more transigunt fedusque percutiunt. Mox Bacchus letitie deus 237 in publice hilaritatis speciem introductus est, quo omnes admodum exhilarati insequenti die, cum nox inclinans iam digressum suaderet, antequam colloquium solverent, convivium regium ac militare epulum indixere. Promulgata pace legiones omnes utrinque 238 pre letiticia lacrimas emisere. Gaudebant universi gravissimo maximoque bello finem principes imposuisse ac longam malorum seriem intercepisse. Mathias, postquam in urbem rediit, captivos omnes, qui vivi in turribus reperirentur, ut bene pascerentur, edixit, sed ex octo milibus vix duo milia viva comperta sunt, nam multitudine nimia suffocati, partim inedia absumpti, multi in primo belli furore in Odram fluvium demersi sunt. Prefecti 240 quoque carcerum pre timore urbane famis alimenta subtraxere, obstruxere carcerem, ut seva fame conficerent; e fastidio nanque captive multitudinis et belli sevitia in feram crudelitatem incidere.

Mathias, qui non modo armis, sed gloriosissimo quoque apparatu precellere studebat, tota nocte nihil intentius curavit, quam ut pro dignitate reges exciperet, quorum se hospitem eo die futurum professus erat. Augustale tabernaculum ibidem, ubi 242 superiore die, tetendit purpura, auro gemmisque contextum, acclivem multisque gradibus consurgentem abacum in medio statuit omnium vasorum gemmatorumque poculorum genere conspicuum. Apparatus circum admirabilis instructus, ingens epularum varietas 243 ab ingenua etiam gula excogitata. Cum principes in tempore affuissent, quadrata trini mensa accubuerunt; adiecta mox histri- onum festivitas, qui longissimum missuum ordinem condirent. Nullum illa tempestate spectaculum maiore admiratione dignum 244 hoc fuisse memorant, ubi tres reges tot pontificum procerumque adstantium corona circumventos cernere erat et ex his in convivio quemque pro dignitate discumbentem. Augebant ferculorum condimenta 245 gravissima principum dicta. Nihil ibi dictum factunive, quod in volumina non recte referri posset. Hic illud Laurentii ducis Nicolai Bossenensis regis filii magnanimum facinus rite commemorant. Is, cum adhuc foret adolescens et in regali con-

vivio preter etatem architriclinus, paterno cultus balteo incedebat tot gemmis et lapidibus onerato, ut sexaginta aureum milibus censëretur. Addecebat cultum generosa indoles, nobilitas, imperiosus quoque animus cum magnitudine ac venustate coniunctus. Cuni ferculorum pompam mira celeritate studioque instrueret ac elatus, ut moris est, incederet, hinc obortum inique cuidam e Polonis proceribus stomachum fuisse ferunt, quem cum tolerare non posset, nescio, quomodo festinantem hac et illac adolescentem interturbavit. At ille succensus ira Polono alapam irreverenter incussit et, oborto aliquantisper tumultu cum, quid illud esset, a principe quereretur, cognita causa laudatum utrinque Laurentium fuisse dicunt. Exacto convivio non modo Casimirum et Wladislaum regem, sed ne proceres quidem potissimos Mathias in-donatos dimisit. Laudata utrinque principis magnificentia. Postero die captivi, quicunque vivi comperti sunt, ultro redditi; magnam eorum iacturam prefectorum carcerum sevitia factum fuisse dicunt. Transacta pace Polonus Bohemusque pariter abiere; rex quoque pacata provincia non multo post versus Ungariam castra movit.

Huic bello episcopus Barriensis Ferdinandi regis legatus affuit, qui de Beatricis Aragonie matrimonio cum Mathia tunc agebat. Contra Mathias huiusce coniugii gratia Nicolaum Banfii et Georgium archiepiscopum Colociensem Neapolim miserat. Faustum id coniugium eo tempore Bratislavię promulgatum. Cum multi e proceribus Ungaris in bello Bohemico Polonicoque sese optime gessissent, quorum nomina referre otiosum est, imprimis Stephanus Scepusiensis comes, Paulus despotes et Iasich vexillationum prefectus se strenue gessisse referuntur; omnes tamen a Mathia pro dignitate donati sunt, presertim Stephanus, qui in quoque bello regem nunquam deseruerat neque in maximo quoque periculo vite sumptibusque pepercerat, Trincinię oppido circumiacentibusque pagis et possessionibus item vectigalibus et portoriis, que Triciniensis agri iuris essent, donatus est; hanc tamen rex condicionem adiecit, ut, quotiens ceteri, qui sibi rite succederent, id redimere vellent, quindena nummum aureorum milia rependere deberent, gratuito nunquam ab invitis recuperare liceret. Hoc anno Helionora Aragonia Ferdinandi regis filia ab Hercule illustrissimo Ferrarie duce desponsata, cum ad virum singulari pompa emitteretur, ubique pro dignitate suscepta est, presertim Rome Xisti pontificis maximi iussu, quippe qui auctore Petro cardinale sancti Xisti ad divi apostoli edem eam excepit, ubi convivium sponse tam insolenti apparatu et tanto luxu spectaculorumque varietate cultum exhibuisse vidimus, ut nihil etate nostra magnificentius sit auditum. Hanc deinde tam fausta liberorum fecunditate ac sapientia peditam fuisse vidimus, ut cum felicissima quaque regali matrona sui temporis posset sane conferri. Hasson Cassan in Armenie finibus magno prelio cum Maumethe Turcorum imperatore conflixit, ubi triginta Turcorum milia desiderata sunt, deinde relictis in regnum impe-

dimentis se recepit. In Cypro Iacobus rex moritur unico infantulo 258
 et uxore Veneta superstitibus, quare Veneti reiecta cesaque Fer-
 dinandi regis classe regni gubernationem obtinere nec multo
 post extincto infante Cypri regnum usurparunt. Petrus cardinalis, 259
 cui sancti Xisti cognomen erat, qui Italiam legatus mira celeritate
 lustrarat, correptus morbo Rome non sine ingenti pontificis do-
 lore diem obiit. Hec igitur anno salutis septuagesimo tertio supra 260
 quadringentesimum et millesimum gesta esse novimus.

Insequenti anno rex inter redeundum nullo modo arma de- 261
 ponere constituit, donec Polonorum, qui in Transdanubiana regni
 parte superfluerant, provinciam latrociniis purgasset. Ii nanque in 262
 Ungarie Polonieque confinibus presidia duo statuerant, unde la-
 tius sua latrocinia exercerent; unum ad Nagmihal, ad Homonnam
 alterum fuisse dicunt. Prefecturam tunc exercitus Ciupor vaivoda
 gerebat. Cum ii pertinaciter castella, que munierant, retinerent, 263
 astu hos rex aggredi statuit. Iasich vexillationum expeditorum-
 que equitum prefectum advocat et, quecunque fieri vellet, admo-
 nuit. Hic accito collega cum equitibus quingentis intempesta 264
 nocte iter ineunt ac mira pernicitate e castris profecti ad Nag-
 mihal perveniunt ante diem, ubi potissimum Polonorum presi-
 dium inesse noverant. Duos e castello dudum egressos offendunt,
 quos continuo laqueo suspendunt, ne quid ab his exploratoribus
 indicari posset. Mox in vicina sylva insidias collocant. Illu-
 cescente die ducenti et quinquaginta equites e castello egredi-
 untur et mali nihil suspicantur; totidem in castello remanserant.
 In proximam isti sylvam descendunt et, cum per quattuor circiter
 stadia processissent, velites quosdam a tergo respiciunt. Ex hoc
 metus nonnullos incessit, numerum tamen aspernati ultra pro-
 grediuntur. Vix ad sylve medium pervenerant in cecamque con-
 vallem descenderant, cum se ab insidiis circumventos esse sen-
 serunt. Undique clamor magnus oboritur; acris ibi pugna conseri-
 tur. Poloni, ne captivitatem perniciosam subeant, in acie oppetere 268
 pergunt; contra isti obstinatissime dimicant obcluduntque, ut e
 latronibus neminem elabi patiantur. Ad postremum hostes media 269
 fere ex parte in prelio cesi sunt, ceteri capti et e regione castelli
 post regis adventum suspensi vitam laqueo turpissime finire.
 Postero die castellum oppugnari ceptum, ubi miserabilis casus 270
 non multo post intercessit. Nam, dum presidium admotis tor-
 mentis aeneis acerrime quatitur, Ciupor ab adversa parte viminea
 menia conscendit emissoque a crepitante machina lapide colli-
 ditur. Quod ubi rex ac ceteri optimates accepere, optimi ducis
 casum miserabilem deplorarunt, quippe quem plus adipiscende
 victoriae, quam tutande salutis avidum fuisse intellexerant. Per-
 petuum iste sui desiderium militibus reliquit. Castellum tandem
 expugnatur; ducenti et quinquaginta Poloni in eo capti in Bu-
 densem turrim missi, quam Mancam cognominant, et ii partim
 Danubio absumpti sunt. Castra ea hieme mox ad Homonnam
 mota sunt, quam Polonorum presidium haud invalidum tenebat.

Hec brevi obsidione demum capitur; qui in ea deprehensi sunt, partim cesi, partim capti Budamque missi. Hec ea hieme a Mathia gesta sunt. Gabriel episcopus Transylvanus bello semper affuit, quandoquidem regius erat secretarius et illi ab epistolis apposite serviebat.

Insolita hoc anno aquarum penuria fuit; siccitas perennes quoque fontes exhaustit. Turci superato Savo Pannoniam incursarunt. Christianus rex Dacie, Gotie Norvegieque Romam solvendi voti gratia ad pontificem peregre profectus magno honore excipitur. Scodram Illyrici litoris oppidum et in edito monte situm Turcorum centum milia obsedere, quod a validissimo Venetorum presidio defendebatur, sed illi post irritos conatus morbo correpti, quem ex mala subiecti fluminis aqua et aura concepere, in proximos montes abierunt. Carolus Burgundionum dux Nassiam Coloniensis agri oppidum ad Rheni ripas obsedit, sed, cum Fridericus imperator obsessis auxilio venisset, inito federe recessit in Belgas. Nicolaus Marcellus Venetorum dux diem obiit et in defuncti locum Petrus Mocenicus suffectus et. Item iubileus a Paulo institutus a Xisto pontifice maximo hoc anno declaratur. Nihil aliud memoria dignum hoc anno a Mathia gestum esse invenio.

Sed, cum salutis annus septuagesimus quintus supra millesimum et quadringentesimum insequeretur, Sciabazii expugnatio successit omni laude et commemoratione dignissima, quamvis a Savo Savatium fortasse melius diceremus. Quemadmodum enim supra dictum est, cum in bello Bohemico rex foret occupatus, ad Savi ripam Sciabazium Turcus erexerat, ut facile non modo Syrmiensem agrum, sed Pannonias ac Noricos incursaret, et, quamvis per Gabrielem metropolitam edificationem inhibere tentasset, haudquaquam tamen amovere potuit. Nunc autem compositis in Bohemia rebus et Moravia Silesiaque pacata initoque cum utroque rege federe ad expugnandam hanc munitionem, quam in exitium Christianorum Turcus erexerat, Mathias animum intendit haud incius se Pannonias crebris incursionibus omnino deserturum, nisi castellum illud aut amoliretur aut in sua potestate teneret. Quare insequente illuc hieme cum maximo exercitu concessit et eo quidem animo, ut aut ibi vitam amitteret aut oppido in invidiam exitumque suum posito potiretur. Fortissimi ac obstinati fortuna animi comes fuit, quippe que voti compotem effecit. Maumethes, cum reversum in Ungariam Mathiam audivisset, quem annos circiter septem in Bohemico Polonicoque bello versatum fuisse noverat, remuniendum ex integro Sciabazium esse duxit ratus Pannonem stante Sciabazio nunquam quieturum. E pretorianis igitur cohortibus validissimum quenque delegit et id robustissimo hoc presidio munivit, quin, ut delectam hanc suarum copiarum manum esse significantius indicaret, omnium, quosunque istuc miserat, pileis mitrisve suis ipse manibus, ut aiunt, pennas assuerat. Mathias igitur quattuor legionibus instructus ad Savum pervenit, in opposita mox ripa castra locat, spem omnem in cele-

ritate ac hiemis sevitia ponit, quando utrinque Turci opem inhibiturum esse sperat. Haud mora; Savum traicit ac novo oppido 266
 turres circum et tormenta aenea admovet, septo ligneo ac fossa
 circumvenit, ne quid inferri auferrive possit. Mox nocturnam op- 267
 pugnationem adoritur et nihil artis laborisve remittit, nullam
 oppidanis requiem impartitur; magna utrinque cedes oboritur
 et sepe in murorum ruinis et supra propugnacula dimicatum est.
 Christiani tandem reiecti. Regem ferunt sub habitu gregarii mi- 288
 tis cum accenso ac remige tantum cimbam conscendisse et, ut
 propugnacula propius exploraret, sub menibus navigasse et lu-
 strasse omnia. Quod cum ab excubiis foret intellectum, Turcos 269
 mox in cimbam tormentum aeneum intendisse, cuius ictu accensus
 obteritur, at subornatus princeps dissimulato metu ab inita lustratione non cessat. Audax id facinus existimatum.

Cum longa igitur hostem oppugnatione defatigasset necdum oppido potiretur, ab aversa parte maximum agmen in ceca convalle reliquit; ipse cum cetero exercitu a fronte illucescente die pugnam aggreditur et tota fere die haud incruento Marte certatur. Paulo ante crepusculum certamen dirimit et amotis castris desperata victoria se abire simulat. Oppidani assiduo bello defatigati se relaxant, pars corpora curat, evagantur sine timore alii; omnes hostem abiisse rati, si quid timebant, a fronte curabant, que ad proficiscentem hostem spectare videbatur; a tergo nihil mali formidabant. Ingruente iam nocte, qui in insidiis resederant, ex composito ab aversa parte oppidum adoriuntur et prius menia conscendere, quam oppidani animadvertissent. Rex, qui abierat vix ad secundum lapidem, celerum extemplo agmina remisit; ipse cum cetero subsequitur equitatu. Premissi prelium redintegrant; adduntur sociis animi, qui supra menia nutante adhuc Marte certabant. Res tanto impetu agitur et totis usque adeo viribus pugna instauratur, ut infesto mox oppido potirentur. In primo ingressu multi cesi sunt, at, ubi furor ille deferbuit, ceteri in deditioem accepti et in perpetuam asserti servitutem. Multa munitionum genera ibi deprehensa. Postero die regis edicto id non incendunt, sed remoliuntur menia perpetuoque opere communiunt et circumducto Savo in insulam redigunt, quod trigesimo obsidionis die ceperant. Clarissime victoriae postquam rumor effunditur 296
 Sciabazium machinam cervicibus Christiane reipublice insidentem a Mathia tanta celeritate fuisse captam, ut prius omnes dirutam, quam obsessam audiverint, tanta populos letitia complevit, ut nihil unquam lubentius sit auditum. Supplicationes vicatim oppidatimque per Pannonias acte et Rome iussu pontificis, Venetiis quoque ex senatus consulto apud omnes aras sollempniter supplicatum. Quin et utrinque legati missi, qui faustam salutaremque victoriam regi congratularentur et pecunias in huiusce belli sump- tus erogandas deferrent. Xistus pontifex maximus Dominicum Aleriensem episcopum Venetusque senatus Ioannem Emum, virum profecto gravissimum misere ac tria et nonaginta aureum

nummular milia tulere.

Rex, quamvis insigni victoria animos sibi adauxerat, ne mi- 300
 nores quidem ex his belli nervis plane concepit, quin ex deleto
 Sciabazio tanto profanos hostes terrore perculerat, ut Sinderoviam
 usque late popularetur et cuncta passim igni ferroque vastaret.
 Sinderovia tantum ad Danubii ripam sita supererat, quam Turcus 301
 amplissimo presidio ac omni munitionum genere obfirmarat; ex-
 pugnande demum huius libido non mediocris inceserat. Quod ut 302
 efficeret, eadem hieme tria circum castella ex lignis et egesta
 terra confecta propius erexerat, triplici quodque vallo, fossa
 militeque munierat, vimineis hec menibus obduxerat, que ex terra
 materiaque congesta nullos tormentorum ictus perhorrebant. Ex 303
 his unum, quod Sinderovie prominebat, Vites trapezan a militari
 mensa nominavit. Hec enim urbem illam usque adeo coercabant,
 ut nullus preterquam Danubii pateret aditus; que si servare po-
 tuisset, ut insequens liber ostendet, iam de Sinderovia, que no-
 stris adhuc cervicibus imminet, omnino fuisset actum.

Hoc anno Turci superato Istro Valachiam malis auspiciis in-
 cursarunt, nam ab hostibus primo defatigati, deinde circumventi
 ad interneccionem cesi sunt et, cum paulo post inferiorem Mysiam
 invasissent, insigni clade sternuntur. Mutata deinde fortuna cum 305
 maxima classe Capham adorti in Taurica Chersoneso sitam, que
 sub Genuensium ditione tenebatur, feliciter occuparunt. Nec memo- 306
 rabile quidem illud orthodoxe fidei miraculum, quod eodem
 anno Tridenti acciderat, sine piaculo preteriri potest. Iudei fur-
 tim infantem quendam, cui Simoni nomen erat, octavo Kalendas
 Aprilis, qui dies dominice passionis erat, rapuisse dicuntur et
 mox in eo omnia sacrosancti cruciatus mysteria rite operati cru-
 deliter interfecisse. Sed patefacto divinitus diro scelere variis
 illi supplicis affecti meritas deinde penas luerunt. Corpusculo
 infantis tot cruciatibus affecto ob ingentia, que quotidie, miracula,
 edebantur, dicata basilica et ipse inter divos relatus est.

LIBER IV.

Quam bene cum Turcis ceterisque hostibus superiore anno 1
 actum fuerit, ex his, que scripsimus, facile intelligi potest. In- 2
 sequenti vero, qui septuagesimus sextus ultra millesimum et
 quadringentesimum numeratur, longe secus variante fortuna res
 Ungarice successere, quod plerique regalibus nuptiis, quarum
 tempus appropinquaret, nonnulli sevis brume temporibus, que
 Turcorum cepta fortunarunt, adscripsere. Cum nuptie ad Bra- 3
 tislaviam prius in castris honorificentissime per preconem pu-
 blicate fuissent, celebritas in hunc annum, qui tertius ex eo pu-
 blicationis tempore agebatur, edicto regis translata fuerat. Ad 4
 duos ingentes apparatus hoc anno Mathias animum advertit; al-
 terum belli, celebrandarum nuptiarum alterum. Atque ne remis-
 sus quidem in hunc, quam illum intendit, dum in quaque re maxi-

mum virium animique prestantiam ostentare conatur. Magnam 5
 in Danubio classem molitur, qua cum secundo amne descendat,
 machinas varias multiplicesque parat, item commeatus, militem
 et arma non ignarus, quantum molis adoriretur et quocum sit
 hoste pugnandum. Quin et amplissimas crates abiignis trabibus 6
 instar turrium oneratas Istro demiserat, que vallo momenta-
 neisque castellis, item septis fabricisque bellicis usui esse
 solent. Ne preteribat quidem circumspectum principem extremo
 prelio in ea expeditione cum Turco pugnaturum. Sciebat enim
 Turcum pro retinenda Sinderovia, que Thracie propugnaculum
 est, nihil prorsus omissurum; delectum insuper magnum habu-
 erat et amplissima undique conciverat auxilia.

Ad nuptias vero, que insequente bruma celebrande erant, 8
 non modo universos regni proceres, sed finitimos quoque regulos
 ac principes invitarat; que ad convivia spectaculaque pertinebant,
 insano sumptu copiaque pararat. Regie apparatus, abaci pre-
 stantiam et divitiarum ostentationem supra Persicum luxum et
 plus, quam opus esset, affectate curavit. Hec autem duo, que po-
 tentissimo cuique principi gravissima fuissent, pecuniarum copia
 levarat, quas partim e regni vectigalibus, partim e statutis Ita-
 lorum stipendiis nuper acceperat. Idibus Februarii hoc anno
 Ioannes Alemanus archiepiscopus Strigoniensis aut ab impera-
 tore seductus aut regis metu, in cuius suspicionem inciderat,
 corrasa supellectili ac multo auri pondere in Austriam ad Cesa-
 rem effugit ibique Saltzburgensi archiepiscopatu a Cesare do-
 natus est, quod multum omnibus admirationis attulit. Addiderat 11
 igitur animum inter tantos conatus victoria recens, que Augustis
 Idibus intercesserat, et faustus rumor, qui cesos ad Danubii ri-
 pam in superiore Mysia Turcos ad internecionem attulerat. Rem
 ita gestam audivimus.

Cum Emericus Nifor et Ceplanus prefecturam Albe Grece, 12
 quam Belgradum nunc dicunt, forte gererent, ab exploratoribus
 acceperunt Alibegum cum quattuor milibus equitum expeditissi-
 morum traiecto Danubio ad Themeswariensem usque agrum om-
 nia late incursare, ferro ignique sevissime grassari, multum
 quoque hominum adducere et, ni prospiciatur, Transistrianam
 regionem perbrevis ad extremam solitudinem redacturum. Re 13
 cognita Lupo Mysie despoti, item Nagh Alberto et Nagh
 Ambrosio, qui Themeswarum cum validissimo presidio tene-
 bant, preterea Iachsi Demetrio, Francisco Aristio viro fortissimo
 et tribus Dociis Petro, Emerico et Ladislao generosis vexillatio-
 num prefectis continuo nunciarunt, ut cum equitatu quisque
 suo expeditissimo convenirent, quando Turci cuncta late popu-
 larentur. Admonuerunt etiam cataphractorum equitum prefectos, 14
 qui ultra Tibiscum estivabant, Michaellem Pechcy, Sebastianum
 Abree et Ianum Adee filium ac Marcum; denique cum Ladislais
 Heneyum, ut superato repente Tibisco descenderent nec rem-
 publicam Turcorum incursu periclitari paterentur. Cuncti sic 16

edocti mandata faciunt et in calamitosum hostem sine cunctatione arma capiunt. Dum iter faciunt, socia iungunt agmina et in dies Turcum inquirunt; postquam Emericus et Ceplanus inferiori; ore prefectos commonefecerunt, sine cunctatione cum equitatu ex Alba profecti Danubium transmittunt seque cum despota ceterisque coniungunt. Dies tres Turcos insequuntur; 16
 per exploratores tandem intelligunt eos adesse prope. Ad montem ingruente nocte pervenerunt, ad cuius radices, ne quem ab hoste impetum paterentur, conglomerati subsedere, immissis speculatoribus, quid hostes agant et moliantur, exquirunt. Contra illi clandestinos supra montem exploratores emiseraunt, 17
 qui e iugo montis, quid Ungari subsidentes tota nocte agerent, observarunt et paucos esse rati inter se confertos ante lucem in Turcorum castra rediere ac dixere Christianos, qui insequerentur, esse paucos et eos nulla ex parte formidandos. Quare Alibegus animatus illucescente die cum hoste congredi statuit. Ungari, qui sub monte inquietam noctem exegerant et pars in equis, ceteri stantes frenaque tenentes hostem expectarant, ubi illuxit, ne ingentem impune predam agere Turcum paterentur, mauum conserere statuunt. Paulo ante lucem quadrato agmine 18
 incunt et in solis exortu in hostium conspectu fuere. Turci in montem considerant ac prospectis hostibus se ad pugnam accingunt. Alibegus Scenderbegusque frater duas extemplo alas e monte obtendit ibique presidium collocat; a tergo in recondita valle predam condiderat. Pannonensesque idem faciunt; duo vexillationum cornua producunt et ea quidem amplissima, ne ab hostibus amplecti possent; in medio cataphractus equites statuunt; istis equites quinquaginta proponunt, qui prelium ineant. Petrus Doci in dextro cornu primum impetum Turcorum fortiter excepit, ne segnius quidem Franciscus, qui in sinistro pugnabat. Illud tamen uterque nitebatur, ut reiectos in medium hostes a lateribus amplecterentur. Atrox utrinque prelium committitur et multi in primo congressu cecidere. Sed Turci, cum se a lateribus circumventos intellexere, mox animo consternati pars in cataphractorum manus incidere, alii, ut vite consulerent, vertere terga et ad Istri ripam cursum flexere. Instant a tergo isti; 23
 alios in fuga, multos in ripa cedunt, ceteros in amnem impellunt; ii partim undis obruti, partim conscensis naviculis in alteram ripam aufugere; nonnulli navali bello exercitati Danubium tranarunt. Alibegus, qui e Sinderovia classem acciverat, illico inclinata acie ad ripam properavit brevique cimba sibi salutem invenit. Scenderbegus in fuga interceptus obtruncatur; ceteri, qui remanserant, in acie trucidati. Captivi, qui in valle reconditi fuerant, audita Turcorum cede prosiliunt et eorum castra populantur ac miserum equam sortiti sunt fortunam, quippe qui, cum paulo ante liberos, coniuges et fortunas cum libertate amisissent, nunc cumulati omnia recuperarunt, immo plerique perpetuo ditati sunt; nulla fuit mulier puerve, quin unum equum insideret,

alterum preda onustum dextera traheret. Post hec plausus liberatorum liberantiumque tantus utrinque editus et tam vehemens oborta congratulatio, ut pre gaudio lacrimarum profluvium emitterent. Turci non modo castris exuti, sed ad internecionem cesi sunt. Prelium hoc ad Pozazin oppidum gestum est in ulteriore Danubii regione, quod triginta milibus passuum sub Sinderovia situm est. Eodem etiam loco Michaellem Syllagi profligatum et cum Georgio Labathani captum esse audivimus diverso tamen utrinque fato, quando alter Turci sevitia Constantinopoli publice a lictore obruncatus est, cum prefecto ale repensus est alter, quemadmodum supra scripsimus. E captivis ducenti et quinquaginta ad regem ducti; allata quoque vexilla quinque. E Turcorum spoliis haud parum dono datum; presertim falcati gladii multo auro gemmisque culti, item fluitantes vestes Persarum more, pilea solido auro contexta et tympana cum fistulis multa, quibus equi volucres adurgentius concitantur. Hec quinque fere mensibus ante nuptias gesta sunt. Recenti victoria regis animus nimis accreverat, que late diffusa omnium Christiane reipublice principum corda mira letitia sane complevit. Amplificatur hinc viri gloria ac is ad maiora in dies facinora laudis amore suscitatur. Postquam enim trinis Sinderoviam castris, que circum erexerat, obsedit, iam de capienda civitate cogitabat. Obstabant consiliis nuptie, que imminebant et maxima cepta inhibebant. Statuerat iam coactis viribus universis eo descendere et Turcici imperii propugnaculum expugnare, sed id facilius hieme, quam estate sperabat cum ob difficile Turcorum auxilium, tum, quia ex glacie stante Danubio ea facilius capi posset. Accedit sevitia frigoris, quam pre vino et crapula multo facilius Ungarus, quam Turcus abstemius et hydropotes perpeti solet. Dum hinc rei difficultatem, hinc brevitatem temporis equo examine pensitat, ab inito consilio deterretur, nihilo tamen minus incepta prosequitur. Habito delectu copias cogit non solum, que alias meruerunt, sed eas quoque dare nomina iubet, que fortasse nunquam arma sumpsere.

Ne belli quidem sollicitudo nuptiarum curam interceptit; Dominicum enim clarissimum basilice Albensis antistitem, virum ingenti probitate et faustissimo aspectu nec parva etiam eloquentia preditum ad Cesarem ceterosque Germanie principes oratorem mittit, qui eos suo nomine ad nuptiarum celebrationem invitet. Missi quoque aliorum alii. Dum ingentem igitur molitur apparatus, a Ioanne Varadiensi antistite ceterisque legatis, qui ducente Beatricis regine gratia Neapolim in Italiam cecesserant, edocetur ipsos cum faustissima sponsa iam Neapoli movisse, honestissimum Italorum procerum equitatum cum ea venire, illorum principem et parentis et moderatoris loco sponse datum Adrie ducem esse virum maxima gravitate ac sanctitate prestantem, ad Sypontum tres longas naves conscendisse, Adriaticum se sinum lustraturos, invisuros Ferrariam Herculis illustrissimi

ducis et Leonore sororis gratia neque Venetam urbem opibus et civium gravitate citra invidiam omnibus iure terrarum civitatibus anteferendam tacite preterituros, mox per Forum Iulium, Istriam et Carnos in Pannonias descensos. Hec nuptiarum expectatio non parum ab intento belli studio regis animum remississe fertur; deferbuere conatus et affectate uxoris desiderio generosi impetus retepuere, incendebat viriles animos atque admodum mollebat constantissima frequensque Beatricis fama, quam singulari forma, venustate faustissima, incomparabili pudicitia, nobilitate rara, item extemporalitate orationis et expeditissima pronuntiatione prestantem ex omnium ore perceperat. Accedebat virtutum muliebrium copia etiam supra, quam sexus ille pateretur, quibus accensus in amorem se coniecerat. Qualis ista fuerit, quicumque noscere studet, librum, quem de virginitate ac matronali pudicitia edidimus, perlegat; totam ibi intus et in cute noscere licebit.

Ducende Beatricis gratia rex proceres decem miserat, qui singulari pompa et apparatu per Italiam iter facerent. Ex his nemo fuit, qui in urbe quaque nobilissima multiplices abacorum gradus non explicuerit gemmatis poculis et aureis argenteisque vasis oneratos. Varadiensis antistes legationis princeps, qui apud regem pre magnificentia, fide, eloquentia, consilio et ingenii dexteritate inter primos semper habitus et ab Urbinate duce honorificentissimo exceptus hospitio, in mensa salinum exposuit, quod principem etiam ditissimum in admirationem adduxit. Id monte erat impositum, a latere arbor aurea creverat salino prominens, que pomorum loco gemmis optimisque lapillis onusta pro umbra conspicuo nitore micabat; in monte latebre affabre facte, que gemmarias apothecas referebant; item aureum prochyton, cui emissorie loco fistule draco prostabat anhelans; e conchyliis huic corpus erat prominebatque arduo capite; ad pedes in spiras aureas caudam revocabat; gemmata insuper ansa tegmentum oris in fastigiate testudinis morem sesquipedale consurgebat; cetera ex auro omnia; supra editissimam basim tripodalis moles excreverat. Alii quoque college certatim suas opes ostentarunt. Omitto superbissimos habitus, excultam inventutem et honestissimum equitatum, que omnia nostri temporis spectacula superarunt. Ii eundo redeundoque non modo Neapoli, ut erat, honorificentissime excepti, sed Mathie gratia Christiane reipublice vindicis ubique pro dignitate tractati sunt. Verum in his Veneti Ferrariensesque prestitere, quippe qui quanto plus opibus antecellunt, tanto magnificentius Ungarie reginam exceperere. Cum huic in occursum senatus Venetus cum universo patriciorum ordine obnavigasset, eam congratulantibus patribus ingenuisque matronis usque adeo cunctis apposite ac eleganter respondisse et in senatu tam graviter et ornate orasse memorant, ut supra sexum sapere predicarent; hec ante eius adventum cum legati Mathie significassent, magis ac magis in dies exoptatissime

sponse ardore flagrabat animumque non parum a bellorum curis abalienabat. Preter nuptiarum etiam impedimenta Maumethes, 48 ut Mathiam ab ineunte Sinderovie obsidione revocaret, proxima hieme Dalmatiam crebrius exercitum suum incursare iusserat neque fortasse audito regine adventu se ingentem predam facturum esse sperabat nec deerat quidem seva ulciscendi libido, quando acceptam nuper ad Danubium cladem equo animo ferre non poterat. Hec igitur Dalmatie incursatio, que ingentem sociis calamitatem 49 inferre iam ceperat, et vehemens nuptiarum cura ab ingenti expugnande Sinderovie cupiditate illius animum plane diverterat. Nondum regina Venetum sinum legerat, cum Turci Croatiae finitimi 50 Maumethis imperio Dalmatiam invadunt, mira pernicitate provinciam pervagati pagos et oppidula viminea infirmaque succendunt, populantur omnia, pecora, homines fortunasque passim abigunt, reluctantes obruncant et in etatem imbecillem ac inutilem valde deseviunt, incendunt, ubique templa, deorum simulacra parietibus illidunt confringuntque, sacerdotes ante aras trucidant, sacras edes virginum stupris matronarumque raptibus incestant, quin etiam vulgo bestiarum more utrumque sexum ineunt abutunturque, divina et humana miscent veluti religionis ac rationis expertes. At, ubi satis superque sevitum esse sensere, cum multa preda se in extremum Illyricum et Macedoniam recepere.

Regina, cum Carnorum montes superare cepisset, incursum Turcorum et provincie calamitatem statim audivit. Cunctatius iter facere cepit et in re quaque gravissima legatorum consilia observare, in plerisque subsistere civitatibus neque iter quotidie ullum inibant, ni superiore die immissis exploratoribus se tuto progredi posse intellexissent, quin et instructum premisere agmen, quo Turcorum pericula declinarent. At, postquam in mediterraneam Dalmatie regionem sensim desidentem paulo post descendere, quam Turci dudum incursaverant, incendiorum populationumque vestigia crebra spectarunt, sepe in locis pernoctarunt, ubi Turci castra posuerant, quin etiam ubique iacentia cesorum corpora nondum contabefacta reppererunt. Ne mediocris 53 quidem commiseratio hinc omnes incessit et provinciam Turcorum rapinis obnoxiam admodum miserabantur. Iter etiam ad Dravum usque cum ingenti trepidatione factum, quamvis trajecto Dravo aliquanto minus trepidare cepissent. Verum superato Dravo haud 54 aliter affecti, atque omnia pericula superassent. Cum Ungariam attigissent, in dies nova pontificum procerumque agmina congratulatum occurrebant. Per altas ubique nives iter factum sevitamque hiemis hucusque commemorant. Rex cum universa principum et nobilium multitudine ad Albam Regalem venerat, ut ibi primum reginam exciperet et, ut par erat, antequam coniugium patraretur, eam rite coronaret, Bude nuptiarum celebritas et consummatio fieret. Ex composito facta omnia. Cum ad octavum lapidem uxorem appropinquasse novit, cum singulari pompa 56

et honorificentissimo procerum equitatu confestim occurrit. Ex- 57
cepit hilaris pro utriusque dignitate virginem et ad primum us-
que lapidem strata rubro panno via Beatricem in urbem admisit,
quod cum tanto populorum plausu et tympanorum tubarumque
sonitu factum est, ut aliquid supra humanas vires celebratissime
festivitatis spectatum fuisse credideris. Addebat plurimum letitie 59
Pannonice faustissimus et perquam hilaris Beatricis aspectus,
cui speciosa frons, elata supercilia, saginata tempora, item eru-
bescentes utrinque male cum oculorum hilaritate, nasi modestia
ac oris venustate tantum rare gratie comparabat, ut forma habitu-
que Venerem, Dianam pudicita et sapientia eloquentiaque Palla-
dem ex omni parte referret.

Transacta coronatione Budam Idibus Decembris anno sa- 59
lutis septuagesimo sexto supra millesimum et quadringentesimum
a rege ducitur, qui virginis pulchritudine ac ingenii dexteritate
usque adeo cepit estuare, ut nihil anhelantius appetere videretur.
Ibi nuptie dies aliquot celebrate, datum sepius epulum editaque 60
varia spectaculorum genera, assiduo tamen equestre certamen
et multa in aditu sparsa missilia, contra vero innumera a singu-
lis oppidis et civitatibus, item optimatibus ac regulis Mathie
Beatricique oblata munera, quin etiam a ceteris Christiane rei-
publice potentatibus pretiosa sunt missa dona, quibus regale
erarium completum fuisse dicunt. Publice hilaritatis gratia noxii 61
omnes in carcere deprehensi soluti sunt; criminia impunitate
donata, vadimonia a pretore dilata, relaxata ad tempus debita
et, ne creditores ullo modo sevirent, menses aliquot leges pro-
mulgate. Stantibus quoque nivibus rex sepe cum regina auri-
gavit, ne horam quidem absque ipsa esse potuit.

Tota fere Ungaria ad regalium nuptiarum celebritatem sane
convenerat, quod cum Turcus aperte sensisset, tempus consilio
suo nactus idoneum quadraginta clam hominum milia ex Europa
mira celeritate coegit et, dum regem cum tota Pannonia nuptiis
occupatum esse intelligit, extemplo tria castella, que ad Sin- 63
deroviam Mathias erexerat, rigente bruma circumvenit; cum se-
vitia frigoris non modo fosse aqua complete, sed Danubius
quoque constitisset, incenso vallo menibusque ligneis sine magno
negotio imposita Pannonum presidia oppugnavit. Illi desperata 64
salute deditionem fecere et salvis corporibus et impedimentis ab
hoste dimissi sunt; tormenta aenea cunctaque munitionum genera,
item classis et armamentaria in Turci potestatem devenere.
Castella mox diruta et incensa ac solo equata. Insuper ne occa- 65
sionem quidem tantam dirus hostis temere abire patitur. Cum
stratum adhuc glacie Danubium conspicaretur et Transylvanos
Valachosque ad nuptias quoque confluxisse per exploratores
intelligeret, cum expeditissimo triginta milium equitatu Daciam
invadit et longe lateque vagatus igni ferroque cuncta vastat,
populata incensaque provincia ex omni etate ac utroque sexu
quadraginta hominum milia hinc abegit et, antequam solveretur

Ister, in Mysiam se recepit. Nuptie Decembri mense celebrate et hec ea hieme detrimenta in Dalmatia, Mysia ac Dacia a Turco Christianis illata sunt, que regis totiusque Pannonie mentem usque adeo consternarunt, ut nihil tale posthac in Turcum audentius molitum fuisse reputetur.

Intercesserat etiam ingens cum Friderico imperatore indignatio ac verus odium, quod Mathiam a Turci bello nimium revocavit. Nam post hec ad se tuendum potius, quam invadendum Turcum similtas ista mentem eius intendit, quin et sat pro magno negotio in posterum habuit, si incursiones illorum inhibere potuisset. Quamquam vero sepe Mathias dicere solebat neminem preter se imperatoremque futurum, qui intimam belli causam noverit, quod sibi cum Cesare intercessit, nos tamen, quas alii opinantur causas et quas a gravissimis viris accepimus, eas in medium adducemus, quando non modo de dubiis, sed de falsis quoque rebus plerique scripsere. Multas belli Alemanici causas Mathiam pretextuisse constat, quarum que potissima fuerit, ipse noverit. Multi initum pro corona odium fuisse coniectant, quando Cesar, qui ambitiose regnum anhelarat, sex annos Mathie coronam abnegarat egerimeque tulerat adolescentuli gratia se in regalibus Ungarorum comitiis passum esse repulsam et, quia regium diadema sibi creditum sine magno auri pondere, sine maxima procerum obligatione et regni successione reddere recusarat atque Augustale demum negotium venale fecerat, quare perpetuam avaritie notam Augusto inustam esse censebat. Pacato regno et legatis et clandestinis crebro internunciis precabatur, ut violentam illam obligationem, qua obstrictis proceribus Pannonicis sibi regni successionem asseruerat, quandoque solveret neve tam violenter et imperiose cum Pannone ageret, commemorare pietissimi patris officium et, cum filium adoptarit, orare, ut secum indulgentius ageret, item monere, ut evitaret infamiam, ne veluti circumscribendi pupilli gratia insidiosam adoptionem obiret. Contra obaudire semper ille, asserere id iure factum. Cum obstinatissimum in relaxanda obligatione deprehendisset, rex non parum commotus illi succensuisse et non modo litteris, verum etiam vulgo plerumque dixisse dicitur se illud ius, quod vi adactus inique Cesari concesserat, equo quandoque bello vindicaturum et, quicquid aliena improbitate amiserat, in foro Martis recuperaturum. Deinde, cum ex illegitimo concubitu scitum et elegantem puerum nactus esset, multo gravius condicionem illam toleravit, ut, si forte liberis careret, haberet, qui regno succederet.

Aliud quoque causantur alii et pro sua quisque opinione loquuntur. In acceptis a Mathia beneficiis summam imperatoris ingratitude arguunt eamque Mathie stomachum adauxisse opinantur. Georgium aiunt Bohemie regem in Husitarum heresim coniectum ac idcirco summi pontificis anathemate multarum Fridericum imperatorem nihil hostile metuentem iniquo

bello lacesse, misisse Victorinum filium cum maximo exercitu, incursasse Austriam et gravia igni ferroque damna intulisse, Viennam demum urbem nobilissimam, ubi tunc Cesar agebat, obsidere ausum; Fridericum mox Ungarie regem, quem semper filium appellabat, exorasse, ut presentanea mitteret auxilia ac ipsum hereticorum obsidione liberaret; Mathiam extemplo suis etiam sumptibus exercitum et auxilia coegisse et in Viennensi agro presto affuisse; hostes quamprimum eius adventu solvisse obsidionem et se in Transdanubianam regionem recepisse; Mathiam adaucto imperatoris copiis exercitu illos in Bohemie usque fines petiisse neque unquam fuisse deserturum, donec aut imperatori satisfacerent aut collatis utrinque signis litem Marte dirimerent; Victorinum ad extrema redactum cum Cesare statim inscio Mathia pacem invisisse pollicitum non solum legitimum in omne tempus obsequium, sed indemnem quoque prestiturum; imperatorem composita pace clam ac illico suas copias e Mathie 77 castris revocasse, ut inglorius rediret in regnum et nullam imperatori opem attulisse videretur atque omnis denique labor, diligentia, cura impenseque gravissime pro irritis haberentur; superasse preterea ingratitude, quod aliorum nomine immissis 78 sepe legionibus regnum infestavit et rapinis incendiisque finitima loca vastavit.

Insuper non multo post tempore in Bohemico bello, cum non solum a catholicis rex Bohemie foret electus, verum etiam Pauli summi pontificis auctoritate pronuntiatus et approbatus esset ac regni processione rite invisisset, imperatoris obtreptione non caruit. Nam post Georgii regis excessum, cum apud 80 hereticos de futuro rege ageretur, imperatorem memorant vehementissimam dedisse operam, ut Casimiri regis filius data Mathie repulsa rex Bohemie crearetur, ac extremum intendisse studium, ut is comparati iure sibi regni titulum amitteret. Conceptus nanque livor Corvinas vires et imperium amplificari minime patiebatur atque Polonicum hinc bellum in Bratislavia, veluti supra scripsimus, exortum fuisse dicunt. Quin 81 etiam, cum menses aliquot intercessissent, nullis Mathie iniuriis provocatus Germanorum quasdam copias hostiliter Ungariam invadere permisit et, cum oraretur, ut inhiberet, partim verba dedit, partim dissimulavit et nunc inscitiam, nunc inopiam virium causabatur. Multi promissum ab eo in expeditione Bohemica 82 stipendium, quam hortante exoranteque imperatore susceperat, nedum iubente Romano pontifice, potissimum Alemanici belli causam fuisse reputarunt, cum Cesar id nunquam exolvere voluisset; sex et triginta aureum nummum milia id fuisse dicunt, sexaginta plerique supputarunt. Neque desunt, qui alia comminiscuntur in causa fuisse. Mathiam ferunt post duarum obitum uxorum imperatoris filiam pro coniuge postulasse; Cesarem quasi hominis humilitatem aspernatum non modo hunc recusasse generum, sed per contemptum, nescio, quid insolentius respon-

disse; Mathiam hanc repulsam egerrime tolerasse, alio conver-
tisse animum et Beatricem Aragoniam desponsasse. Inveni 84
quoque sunt, qui ad veteres inimicitias cum patre institutas et
auctore Celie comite diu retentas rem istam referunt. Bellum
addunt a regni initio ab imperatore cum variis sepe negotiis illa-
tum. Sed, cum diversi diversa causentur, haudquaquam absurdum 85
cuiquam videri debet, si plures uni eidemque rei cause adscri-
bantur. Quodcumque enim fieri potest et perquam verisimile est,
a veritate non potest esse alienum.

Reconditam complures demum illam causam expromere non 86
erubescunt, que in peregrinatione Cesarea sedente Paulo inter-
cessisse fertur; hanc affirmare non ausim, haud ab re tamen re-
ferendam esse duxi, ut ex pluribus coniecturis pro aliorum
iudicio rei veritas inveniatur. Cum imperator igitur revisende 87
urbis gratia in Italiam peregre profectus esset, ibi a pontifice
Paulo cum faustis honoribus exceptus menses tres moram tra-
xit. In Austria procerem quendam prefecerat magna auctoritate
et potentia virum, cui Pamkhircher nomen erat. Hunc interea, 88
dum Cesar abfuit, sicut exitus ostendit, adversus imperatoriam
maiestatem nova esse molitum et cum septem et viginti proceri-
bus Austrie haud inscio Mathia rege coniurasse ferunt, quem
defensorem in novitate delegerant. Augustalis uxor coniurationis 89
admonita crebris tabellariis Cesarem nihil Rome tale suspi-
cantem novitatis et periculi admonet oratque, ut, quam ocissime
possit, in provinciam redeat. At ille continuatis die noctuque iti- 90
neribus opinione celerius affuit. Post reditum nihil studiosius
egit, quam ut in coniuratos quereretur. Illi litteris acciti non
veniunt; varias more causas commentantur pretextuntque. Cesar
tandem sub fide publica sex e, coniurationis principibus Nea-
polim coegit, quos indicta causa et violata preter dignitatem suam
fide clam in hortis capite multavit. Rogatus ab his, antequam 92
supplicium sumeret, cur datam fidem lederet, respondit equum
et fas esse perfidis et parricidis violare fidem et scelus pari
arte punire. Mathiam omni suspicione in hac re liberandum esse 93
crediderim, quandoquidem, veluti supra dictum est, si quid ipse
in imperatorem moliri voluisset, nunquam profecto occasionem
illam pretermisisset, cum sibi adversus Draculam agenti Vien-
nenses obsessum in arce Cesarem et ad extremam redactum
inediam una cum urbe dedere voluere et instantissime, ut condi- 94
tionem et imperium acciperet, efflagitarunt. Ut autem res or-
dine referatur, non multo post sumptum de his supplicium Ce-
sar veluti officii admonens Mathiam ad visendum patrem Vien-
nam invitavit. Obtemperavit pie voluntati Mathias et cum hos- 95
nestissimo paucis post diebus equitatu Vienne affuit. Recipitur
a patre, ut par erat, honorifice et dies aliquot in equestri certa-
mine variisque spectaculis et choreis teruntur. Intempesta in- 96
terim nocte a cive Mathias admonetur, ut dicto citius imperatoris
evitet insidias sciatque se non ad officium, sed capitale iudicium

accersitum esse et, ni caverit, omnino iaciturum. Rex tristi 97
 quamprimum nuncio consternatus cum duobus intimis, quos
 habebat, amicis rem communicat; Czobor alter, alter Nicolaus
 Banffii dictus erat. Uterque fuge pernicitate querendam salutem 98
 esse censet; in non credendo multum periculi instare dicit et
 pro tutanda salute multa quoque temere credenda, ut in portu
 navigetur. Quare Vienna se extemplo subripiunt; quam primam 99
 in Danubio offendere, cymbam conscendunt; secundo clam amne
 Pisonium devenere. Nunquam tamen posthac se imperatori cre-
 didisse dicitur et hinc, ut omnium fert opinio, veterum inimi-
 citiarum cuncta ulcera recrudescere visa sunt. Neque deerant 100
 quorundam nobilium et regulorum factiones, qui in finibus oppida,
 vicos et predia possiderent atque variantem fortunam secuti, dum
 hinc et hinc se gratificari student, utrinque odia adaugerent.
 Aliqui Mathie subditi recalcitrabant Augusti viribus freti; ple- 101
 rique sub imperatoria ditione siti, si quid patiebantur, ingrati
 auxilio regis ulciscabantur. Hinc nove quotidie belli cause
 oborte sunt. Item, si quid inter hos proceres controversie nasce-
 batur, ad factiones confestim publicas referebant.

Preter ea, que diximus, accedebat ingens dissimilitudo morum
 et ingenitum eternumque Ungari et Alemani odium. Mathias
 enim suapte natura liberalis et magnificus, laudis plus equo cupi-
 dus et appetentissimus honoris, cui summa animi magnitudo et
 promptus ad pericula preclaraque facinora semper inerat animus; 104
 contra Fridericus imperator non modo parcus et frugi, sed avarus
 et plus pecuniarum, quam honoris appetens ad magna Christiane
 reipublice commoda vel sua vel aliena culpa animum nunquam extu-
 lit. Ille bellicosus et impiger, laboris et inedia tolerantissimus; hic 105
 otii et quietis amator, quin et plus equo negligens, desidiosus et
 tardus. Ille clarissimorum principum emulator semper cum anti- 106
 quorum laude certavit; hic invidus quandoque habitus nobilia
 aliorum facinora interceptit, in pace bellum, in bello pacem optare
 solitus fuit et nullam in utroque constantiam retinere. Illi liberum 107
 ingenium, Mars apertus, animus ad pacem bellumque perfacilis;
 huic arte, consilio, calliditate et pro iudicio cuncta suo gerere pla-
 cuit et nihil consiliis amicorum tribuere, demum ad utrunque
 difficilis. Illius vita lautissima, apparatus Persicus et usurpata ex 108
 vino animi relaxatio neque humanarum inimicus voluptatum;
 huius cultus modicus, continentissimus fuit animus, inimicus
 crapularum, quin et semper abstemius hydropotesque perpetuus,
 solitudinis et contemplationis amator. Illum sales, ioci et amico- 109
 rum consuetudo nimis oblectavit, hunc vita recondita, severa,
 tristis et a suorum consuetudine admodum aliena. Rex denique 110
 pre ingenii probitate facile cuncta remittere, omnia quidem ab-
 sumere, ut e regno nihil imminuat, plus honorem, quam pecu-
 niam amare, preterea letus, hilaris et iucundus ac ad omnia
 promptus; imperator pertinacia omnia perpeti et iacturam parvi 111
 facere, adversarium obstinatione defatigare, malle omnia perdere,

quam nummum ex arca promere, pecuniis potius, quam sociis parcere, sperare cunctando instaurari omnia et a rigiditate solitudineque sua non recedere. Par utrique religio, par quoque superstitio astronomorum mathematicarumque vanitatum, quibus ambo sese nimis obnoxios non diffitebantur, sed Cesar in sacris multo magis assiduus ac divine nimis deditus contemplationi. Utinam in his, que scripsimus, mentiri fas esset, quando, si hos morum similitudo conciliasset, nunquam Australe bellum grave quidem et perpetuum tot utrinque calamitates et incendia peperisset, nunquam etiam tantum sanguinis hausisset. Quis igitur reputarit inter tam diversos variosque mores veteres ingenitasque discordias et suscitata bella facile posse componi? Hec igitur omnia, quemadmodum supra scripsimus, ad indicendum Friderico bellum Mathiam impulere.

Item, si et illud addiderimus, nemini fortasse videatur absurdum. Nimis appetens glorie Mathias erat; inter duos orbis imperatores se situm esse conspicabatur. Cum Turco diu felicissime pugnarat; compararat multum hinc sibi nominis; cum eo multum proficere non posse cernebat, quando is terra marique plurimum poterat; nunc iniuriarum mole gravatus fortasse non invitus ad alterum imperatorem arma convertit, quocum se, cum iste minus virium haberet, multo plus proficere posse intelligebat neque latebat eum, quantum sibi laudis ac nominis inveniret, si cum utroque Cesare gloriose pugnasset. Augebat huiusce belli libidinein Austrie pulchritudo, opulentissimarum superbarumque frequentium civitatum, quam deliciarum domum et humanarum voluptatum officinam esse senserat. Viennenses illecebre nondum mente exciderant, a quibus se quandoque victum ferventiore iam etate esse noverat. Rusticitatem Ungarie civitatum inopia laborantis parta bello Austria facile resarciri posse intelligebat, id quod, etsi potissime bellum hoc excitasse non dixim, inhibere tamen nequivisse affirmarim.

Mathias igitur his omnibus commotus suscipiendum post exactas nuptias bellum primo tempore esse censuit, quamvis, ut declinaret, que potuit, omnia tentavit. Sepe legatis, sepiissime litteris Cesarem commonefecerat obsecratque, ut bellum et iniurias iniberet et, quando pater est, filii regnum infestare desineret, a pietissimi parentis officio non desineret; sin pristina obstinatione perrexerit, se armis iniurias omnes ulturum. Nil tandem legatis nec litteris ipse profecerat. Dabantur bona verba, que cum rebus haudquaquam consentire videbantur. Ad postremum rex de bello Alemanico retulit ad senatum. Varie in utraque partem pronunciate sunt sententie; inter primarios Stephanus Bathor vir maxime nobilitatis, auctoritatis summe et spectate virtutis sapientieque rogatus a rege sententiam dicere licet invitus tandem ita disseruit:

Silentium hodierno die, patres, mihi indixeram, ne qua re invictissimi principis nostri voluntatem fortasse lederem, cuius

animum amplificandi regni et comparande immortalitatis gratia
 belli cupidissimum esse novimus. Sed, cum dicendi libertatem 125
 pre modestia et probitate sua senatui nunquam abrogavit meque
 sententiam dicere iussit, ingenue, quod de republica sentio, dicam
 et cum regalis venie prefatione de regni utilitate disputabo. Qui 126
 cunque pacem habere potest, cur bellum grave, profanum et
 eterranum querat, haud facile dixerim, quando declinanda sunt
 bella potius, quam provocanda. Alemanorum iniurias diu passi 127
 sumus et quandoque graviter ulti; nunc amicos, nunc dissimu-
 latis hostes habuimus; inter infirmam pacem et bellum tempus
 traduximus. Quid est, cur posthac pari arte, veluti antea, perpeti
 nequeamus? Cum Turcis, cum hereticis iure bella gessimus; quia 128
 ius divinum et humanum, item ipsa necessitas adegit; ne cum
 profana impiaque gente consentire videremur, equissimum fere
 semper cum his nobis Martem habuimus, quando pro aris et
 focus, pro diis et Christiana republica pugnabamus; nunc, si cum 129
 Alemanis bellum iniverimus, qua cum gente, dicite, dicite, in-
 quam, patres conscripti, nempe cum vicinis et Christianis optimis
 dinicabimus, quos antiqua vicinitas, que cognationis esse loco
 solet et ipsa religio catholicaque fides sat nobis conciliasse debet.
 Novis, inquires, iniuriis quotidie nos afficiunt, novas in dies 130
 Ungaris insidias intendunt, novos quoque dolos excudunt; sat erit
 pro arbitrato nostro par pari referre; nunc propulsare iniu-
 rias, nunc ulcisci, beneficio quandoque hostem vincere non inutile.
 Si vicinorum errata pati non possumus, quonam pacto externorum 131
 tolerabimus? ne minus quidem laudis promeretur ille, qui pati
 sciet, quam qui ulcisci. Multa toleranda sunt, simulanda et dissi-
 mulanda quoque multa; non parum quidem fructus affert adhibita
 in loco patientia. Supputemus iniurias, connumeremus et com-
 moda. nos quoque illis quandoque fuimus iniurii; graviores for-
 tasse intercedunt regie maiestati cum imperatore cause, que cum
 nos lateant, equam proferre non possumus in suscipiendo bello
 sententiam. Illud sat nobis compertum habeamus nihil ab ea tem- 132
 mere fieri posse; in manu eius pax et bellum, nos eius ductum
 auspiciaque sectabimur. Si autem forte cum Noricis aut Australi- 133
 bus certandum est, quis animum pro Christo assidue militantem
 in Christi gregem obvertere poterit? Si fratres omnes in Christo
 sumus, quis fraterno cruore manus fedare ausit? Non Alemani-
 cum, sed fraternum erit hoc bellum. Quot proceres, quot cives, 134
 quot nobiles sunt utrinque sic mutuis affinitatibus necessitudi-
 nibusque coniuncti, ut inuito bello intestinum Martem exercere
 cogantur? que civitas nobis est, quam Alemanica natio non com-
 perit, non institutis artibusque politicis excoluerit, non domibus
 et superbis edificiiis exornarit? Nullum oppidum, nullus pagus 135
 est, quem Alemanus non incolat. Utinam potius falso, quam vero
 id possem dicere Ungariam eiectis Alemanis nihil esse futuram.
 Estõ belli causa iustissima, utilis et necessaria. Num, quibuscum
 nobis agendum sit, considerare debemus? Cum Romano impe- 136

ratore res erit, qui plus Augustali auctoritate, quam nos viribus,
 potest; cum Germania omnium gentium profecto fecundissima,
 magistra belli et diversarum artium parente, quam per tot annos
 populus Romanus etiam multo sanguine vix domitare potuit, ubi
 Cesar Augustus adhuc a Quintilio Varo gemebundus cesas ad inter-
 necionem. legiones repetit; cum Australibus, quibus immense 138
 opes, indomita superbia, ingenium varium et fallax, avidum novi-
 tatis et assiduo bello exercitatum, preterea in muniendis prote-
 gendisque oppidis usque adeo edoctum, ut nihil sine magna
 cede vi capi possit. Accedit frequentia civitatum et castellorum 139
 natura et quavis arte munitissimorum, ubi ne passus quidem sine
 cruore parari potest. Quis Hainburgum, quis Viennam, quis Nea-
 polim Augustam expugnarit? nempe nemo, nisi qui gentis sue
 intempestivum dirumque sepulcrum parare perrexerit. Esto, pro- 141
 fligemus Cesarem et Austria potiamur; quid tamen fecimus? eter-
 num Martis ludum edemus, bellum de bello seremus, decies in
 die fusus Cesar decies magnos exercitus reparabit. Hydra, mihi
 credite, Herculis est Austria; ceso uno capite septena resurgent,
 finitimos etiam nobis undique irritabit. Lupum auribus tenere
 difficile. Quin etiam, si illa nobis hodie sine negotio deditionem
 fecerit et sese in nostram dicionem asseruerit, profecto pro reti-
 nenda quotannis multo plus pecuniarum et sanguinis erogabimus,
 quam etiam quadrupla eius annua vectigalia patiantur. Si totidem 143
 sumptus, quot paranda illa postulat, in Turcos effuderimus, quod
 iustum et fas est, immo quod piētissimum, nimirum totam trien-
 nio Europam a profani hostis manibus vindicabimus. Insuper 144
 et illud mihi nunc succurrit, quod reverentiam prohibet, quamvis
 libertas animi et principis indulgentia patiat. Quid igitur fa-
 ciam? dicamne, quod futurum auguror? Dicam, inquam, rex in-
 clyte, dicam, et bona tua venia. Si Austria potieris, quando nihil 145
 virtuti fortuneque Corvine obstare potest, mihi crede, raro, heu,
 nimis raro te tua videbit Ungaria; ea tanquam vidua deseretur et
 frequentabitur Austria; hec exhaurietur et illa ditabitur; vectigalia
 nostra vorax absomet Austria. Utinam me vanum audiatis augu- 146
 rem: Nostrum dominum ac regem Australes eripient. Quas ob
 res Alemanis bellum indicendum esse non censeo cum propter
 ea, que diximus, tum, ne apud Christianos potentatus Ungari
 catholice fidei eterni vindices infames habeantur. Nolite, queso, 147
 calamitosum et eternale bellum nunc inire ac intempestivum iu-
 ventuti vestre parare sepulcrum. Ego de me hoc habeo polliceri
 nunquam adversus optimos Christianos arma sumpturum. Ani- 148
 mam creatori deo debeo, Mathie corpus; si in Alemanos castra
 moveritis, ad Turcos me convertam et meorum exemplo ibi pro
 deo, pro Mathia, pro me denique ipso haud incommode animam
 effundam.

Cum Bathor ista dixisset, omnes pontificum animos in se 149
 convertit et ex his nemo fuit, qui pedibus in eius sententiam non
 ierit. Contra proceres belli cupidissimi et laudis ac glorie secta-

tores magna ex parte aliter sentiebant; illos otium publica-
 charitas, hos bellum et Martis emolumenta trahebant. Excitaban-
 tur etiam regis appetitu, quem indice vultu ad hoc bellum, veluti
 quodam fato tractum esse intelligebant. Cum de Stephani senten-
 tia per subsellia mussitaretur, Paulus Chinisius a rege iussus di-
 cere sententiam hec verba fecit:

Supervacaneum est, patres conscripti, non solum de susci-
 piendo bello, verum etiam de quaque re gravissima ante maiesta-
 tem regiam proferre sententiam; latent enim nos multe cause,
 quas illa tantum novit, et explorata satis eius sapientia altitudo-
 que consilii nobis potius silentium, quam orationem indicit; divam
 eius prudentiam, probitatem et fortunam diu experti novimus.
 Clementia principis libere nos loqui iubet, sed ista libertas nihil
 eius consilio adiicit; supra humani vires ipse sapit ingenii. Ego
 tamen, quando parendum est, dicam, quod sentio, et hanc senten-
 tiam militari libertate communiam. Cum, proceres, nunc veteres
 Cesaris iniurias, sacre corone redemptionem, obligationem illam
 infaustam, immo iugum, preterea abnegata regi stipendia quoti-
 dianasque insidias et incursus mecum reputo, equidem nullo modo
 ab ineundo bello mentem revocare possum. Si, uti Bathor appo-
 site diserteque locutus est, hoc honeste bellum declinare posse-
 mus, otium potius, quam formidolosum hoc negotium optarem.
 Sed usque adeo necessitate trahimur, ut, nostros fortasse nisi no-
 stri dissimiles fieri patiamur, nullo id iure evitare possimus. Divina
 Cesar insignia nostrorum regum preter equum et fas venalia fecit,
 quin etiam, si tanti apud alios censerentur, iam diu in auctione,
 in foro Christiane reipublice posuisset. Utinam hoc Cesaree sat
 fuisset avaritie. Nos et posteritatem nostram per iniquam violen-
 tamque obligationem in servitutem asseruit, ius alieni regni sibi
 vindicare non puduit, nomen dicionis Ungarie usurpavit, qua non
 alio modo quam umbratili Romanorum imperio potitur. Quin-
 etiam, si in sua potestate iaceremus, sub hasta, mihi credite, ve-
 niremus. Omittantur ista, quando tolerari queunt. Quis ab assidu-
 is ultra insidiis se tueri poterit? malo quotidie dolo petimur. Nunc
 hunc, nunc illum in nos hostem irritat. Sedula sub alieno nomine
 nobis infert incommoda et quandoque impudentius regni fines in-
 vadit et vastat assidue; nunc subornatas copias immittit; queren-
 tibus legatis bona tantum verba dantur. Quare non ecligmate, sed
 gladio recidendus iste morbus nec amplius in nostram nostrorum-
 que perniciem alendus. Ioannis archiepiscopi Strigoniensis fugam
 non advertitis? quid in nos quotidie Cesar molitur, non attendi-
 tis? illum sociis carere putatis? O nos cecos et imprudentes! In
 medio senatu hostem habebamus, immo principem senatus ac
 regni primatem et non intelleximus? Patiamur igitur hec omnia,
 quo usque ad unum omnes Cesarea arte ruamus. Proinde, post-
 quam aliquantisper a bellorum multitudine respiravimus nullum-
 que bellum superest, nisi quod nobis cum Turco hereditarium
 est, a quo non solum indutie, sed pax quoque quotidie postulat,

suscipiendam forti animo cum Friderico hanc expeditionem esse puto. Excutite, queso, proceres, iugum e cervicibus et obligationem illam inique olim initam equo Marte rescindite; vos posterosque vestros vobis vindicate, donec iniuriarum finem ille non fecerit et ius illud non remiserit, quo nos obstrinxit; ne a bello unquam supersedete. Non obstabunt, mihi credite, munita oppida, Germane acies et obstrepitantes aeneis fabricis cohortes. Hostem longe maiorem etiam cum magna gloria passi sumus et quotidie patimur; novimus Australia olim robora et fortunam nostri principis invictissimi non ignoramus. Pannonicas vires quotidie periclitamur; non belli difficultas, non longitudo deterret. Mihi certum est domi forisque, sive fas sive nefas rex auspicetur, imperium suum ubique gentium forti animo sequi. Quanquam igitur me iniuriarum memoria ad hoc bellum hortatur, tamen omnia principis nostri sententiae potestatique committenda esse iudico; sive pacem sive bellum maiestas illa divinitus auspicetur, eius, queso, ardentem ductum auspiciaque sectemur.

Pauli sententia maxima ex parte ab his laudata, qui belli studia plane sequuntur, sed, quatenus rem ipsam iudicio regis committendam esse censuit, id omnes approbarunt. Archiepiscopi Ioannis facta mentio, qui cum universis facultatibus aufugerat et principatum apud regem obtinebat, in Cesarem nimis animos omnium irritavit. A senatu demum regi supplicatum, sententiam diceret, reipublice sibi commisse consulere provideretque, uti semper antea fecerat, ut nihil detrimenti pateretur, sed potius accessio fieret.

At ille, Testor, inquit, deum hominumque fidem vestramque imprimis, antistites commilitonesque mei, Mathiam vestrum a regni principio, quod beneficio vestro acceperam, nihil intentius diligentiusque curasse, quam imperatorem vestrum imperium anhelantem, quocumque possem, officio conciliare. Legationum frequentiam novistis, intellectam principis avaritiam, uti sacram recuperare coronam, quam tot annos vobis abnegarat, multo sane auro complevi. Ne sat quidem illud erat. Me ad breve tempus interiturum ratus vi regni successionem sibi vindicare voluit ac inanem regni titulum usurpavit; ne corona sacrosancta careremus, iniquam illam condicionem accipere imperiosa necessitas adiecit. Dimitto vetera aliaque permulta. Utinam etiam cum misera condicione quiete vivere licuisset. Me, ut nostis, adoptavit, frequentavi quandoque patris curiam invitatus et, quacumque potui, pietate reverentiaque parentis maiestatem ipse fovi, quid in me officia queque prestantem moliri ceperit, ipse novit. Ad Bohemicum cum summo pontifice me bellum impulit; auxilia ampla et unius anni Australis provincie vectigalia in belli adminiculum pollicitus nihil expendit; in regis Bohemici electione et in re quaque, ubi de dignitate nostra actum sit, quantum profuerit filioque faverit, utrique scimus. Quotidianas iniurias ac iniquas regni vastationes vos ipsi spectatis. Nec legationes assidue nec

littere nec verba prosunt nec adhibita Christianorum principum patrocina, que ab hac ipsum impietate revocarent, quicquam proficere potuere. Neque tam graves iniurias, ne dicam, vite periculum tam diu tolerassem, nisi impii notam filii reformidassem et hec in vestra detrimenta verterentur. Quanquam invitus ad arma trahor, hoc tamen bellum, mihi credite, declinare non possum. Vos autem estote bono animo ac imprimis iustitie vestre, deinde fidei, diligentie fortuneque nostre bene confidite. Quid archiepiscopi fuga portendat, quem tot honoribus exornavi ac loco fratris habui, considerate. Me conscientia rerum bene gestarum et prestita ubique patri pietatis officia bene sperare iubent. Proinde bellum equis mecum numinibus audacter accipite, commilitones; hic spectatam fidem et virtutem ostendite. Id hodie vobis Mathias obstinate pollicetur et affirmat se non modo ulturum iniurias et damna repensurum, sed iniquam quoque condicionem illam obligationis equissimo Marte rescissurum aut, si id non dabitur, vectigales vobis Cesaris provincias omnino facturum.

Invicti principis oratione confirmati omnium animi; ad belli sese studia penitus intendunt. Indicitur delectus et e proceribus quisque primo tempore cum suis copiis expeditus esse iubetur; si quos belli gravitas fortasse deterruit, regis tamen virtus fortunaque confirmavit; in opulentam pulchramque Austriam arma omnes parant. Verum, priusquam Austriam adoriamur, de situ eius haud ab re aliquid reserendum esse duximus.

Cum Rethi, Vindelici ac Pannonnes intra Danubium olim continerentur, nunc istorum loco Bavari, Australes et Ungari succedere; sed non citeriorem solum, verum etiam ulteriorem Danubii oram occupavere. Defluente nanque Danubio septentrionalis plage partem Bavari Vindelicorum loco ultra citraque fluvium accolunt, mox Australes et Ungari, deinde Mysiorum loco Rasciani Bulgarique; Austria inter ceteras provincias multo formosissima a Noricis hinc montibus consurgit et alte progrediens Danubio prominet, mox in Pannoniam paulatim ipsa desidit; ultra Danubium preter paucos montes in undantia plana diffunditur; ab occasu Bavariam, ab exortu solis Ungariam habet. Citerior Stiria, ulterior Moravia clauditur amenis utrinque fluviiis et vicorum oppidorumque frequentia plus hominum opinione conspicua. Hinc Neapolis et Vienna, illinc Egenburgum, Rhetia et Lava. Danubium Cremesum, Claustrumburgum, Cornuburgum, Vienna Ainburgumque accolunt et tot utrinque pagi comitantur, ut cunctis facile regionibus anteferas. Hic edificiorum plus equo superbia, copia pomorum et frumenti et tanta boni vini exuberantia, ut superiorum inferiorumque partium sitim expleat. Hinc rusticitas omnis est exacta, quando pagani quoque urbanam vitam et luxum servant. Artes hic omnes florentissimas spectare licet imprimisque negotiatoriam, quam mulieres multo frequentius viris exercent. Ingenia utriusque sexus domi forisque mirabilia et usque adeo industria,

ut victum facile parent, partis quoque cum voluptate fruuntur. Urbane mulieres plus equo negotiose, sine rubore fora pileate frequentant, superbe incedunt et tacitam a viris reverentiam exposcunt, domestica forensiaque negotia curant, nihil preter crapulam et luxum ac reipublice curam viris relinquunt; reliqua virilitatis officia obeunt; voluptatibus non parum indulgent; rebus ceteris dominari, preterquam libidini, gaudent; in ceteris decorum servant. Laboriosa plebis vita est et, quicquid profestis partum est diebus, id festo totum absumitur; gule nimis indulget vinoque plus equo est obnoxia, arti tamen cuique usque adeo intenta, ut nullum artis opus exoptes, quod non facile invenias. Hic etiam opulentorum multitudo civium et presertim mercatorum frequentia, magna nobilitatis, item procerum regulorumque copia, qui Australes comites creati oppidis et civitatibus potiuntur. Fastus horum ingens, quibus gravis et togatus est habitus, vita lautissima et ingenitis voluptatibus intenta. Multi ex his belli studiis dediti haud parum valent; cum volunt, domi militieque prepollent. Ceterum ingenium his varium et inconstans, at usu belli usque adeo exercitatum, ut ad munienda protegendaque oppida nullum genus hominum edoctius inveniatur.

LIBER V.

Mathias primo tempore comparatis exercitibus ceterisque rebus, que bello usui esse solent, anno salutis septuagesimo septimo supra millesimum et quadringentesimum, priusquam castra moveat, astra consulit ac expeditionis captat auspicia; nihil inconsultis unquam sideribus egisse visus est; divinam hinc voluntatem faustamque horam elicere nitebatur. Ut cepta queque gravissima bene succederent, nihil unquam, nisi consultis patribus legibusve et astronomis, adoriri placuit, ne vi ac temere quicquam auderet; quin apud aras omnes rem divinam fecit, ut numinum equanimitate potiretur. Postquam omnia sibi tuta fore sensit, adaucto iam vere comite Beatrice ex Buda castra movit. Duplex tum ardor eum inceserat; alter legitime Veneris ac Martis alter. Ne Mithridati quidem Hysicrateam, que nunquam eum in bello deseruit, neque Pompeio in civili perturbatione Corneliam tam gratam fuisse legimus, quam hanc Mathie vidimus. Primis enim annis nullam noctem sine Beatrice transegit, at id ne ab re quidem; venustas nanque forme, dexteritas ingenii cum apposita elocutione coniuncta ipsum, mihi crede, Socratem in amoris estum coniecisset. Sed, ne laboriose hec militie incommoda pateretur, in proxima quaque castris civitate castelloque quiescere solebat.

Antequam Iaurinum pervenisset, imperatori premissis nuncio bellum in dixit. Incendi belli formula hec fuit: Cuius, Cesar, preter equum et fas initam totiens nobiscum pacem solveris et icta sepe federa violaveris nullaque promissa prestiteris, quin et malo sepiissime dolo lesa concordia nostrum agrum, pagos et

oppida hostiliter invaseris, nos Mathias rex Ungarie ceterique proceres, pontifices, reguli optimatesque tibi bellum indicimus et Iesum Christum optimum maximum, divam genitricem peculiare Ungarie numen ceterosque deos patrios violate iustitie ac lese pacis et inexplebilis avaritie vindices precamur, ut propitii victricia nostra arma respiciant, vires legionum obfirmant et ultoribus iniuriarum ac violate quietis et fidei assertoribus debitam insignemque victoriam tribuant, proinde aut Cesaream mentem ad respiscentiam revocent aut suscepta nobis iuste vota auspiciamque fortunent.

Neque Cesar bellum sibi propediem indictum iri nesciebat. 9 Ipse quoque delectum magnum in Noricis et Vindelicis habuerat, civitates et oppida cuncta validissimis presidiiis ac omni munitio- 10 num genere obfirmarat, copias quoque disposuerat. Regem multi proceres sequebantur; imprimis vero Stephanus Scepusiensis comes vir spectatissime semper fidei et virtutis, qui ex cataphractis equitibus mille, ex velitibus quingentos secum adduxerat; item 11 Paulus Chinisius cum expeditissimo equitatu, Nicolaus Banffii, Zelena, Iasich, Petrus Emericusque Dochii vexillationum pre- 12 fecti; Lupus quoque despotes indomiti quidem roboris et constantie, quem regi semper fidelissimum fuisse memorant; preterea Drach Bertoldus mire fortitudinis et audacie, qui a regis latere nunquam discedebat; nec Laurentius dux impiger et a paterna virtute nequaquam degenerans cum honestissimo inferioris ore comitatu aberat, a rege filii loco semper habitus ne passum quidem ab eo recedebat; preterea cetera nobilium ac procerum multi- 14 tudo, quorum referre nomina foret otiosum. Castra ubique triplicia posita hic Bohemi, illic Ungari, isthic Rasciani metabantur. Bohemi equites cataphracti omnes aut hippobaliste; Ungari in gravem et expeditum equitatum eque divisi; Rasciani vexillationibus tantum utebantur; peditum quoque non mediocris ex omni gente numerus; gravis et levis armature vix decem milia hominum fuisse creduntur.

Per lauriensem igitur agrum in Austriam contendit. Cum 16 eius finibus appropinquasset, primo insultu Trauterstorphum oppidum, cui validissimum a Cesare presidium fuerat impositum, ac suapte natura munitissimum adoritur. Primo impetu, cum immissi 17 a rege milites intra propugnacula prosiliissent, magnam ab oppidanis stragem accepere; multi in ea pugna fortissimi viri cecidere; oppidum tandem non minus vi quam astu expugnatum in dicionem primum regis pervenit. Haud procul hinc ad Peterstorphum 18 castra movit, quod ad secundum Vienne lapidem appropinquat. Hoc sine negotio in dicionem accepit, nam, cum oppidani se tueri 19 diffiderent, deditionem in tanta trepidatione continuo fecere. Cum 20 hic XVI. Kalendas Augusti castra posuissent, Rasciani cum expeditis perniciousque equis mox citeriorem Austriam facta potestate incursarunt; cum licentiam plus quam hostilem usurpassent, cuncta diripiunt, incendunt pagos, in omnem etatem ac

utrumque sexum eque deseuiunt, cedunt, quicumque occurrunt, et
 cruore magis quam captiuitate gestiunt; eo plus se lucri facere 22
 arbitrantur, quo maiore cede grassantur; ferro et igni cuncta
 vastant, templa diripiunt et humanitatis expertes diuina et hu-
 mana iuxta miscent. Tantus hic longe lateque terror provinciales 23
 incescit, ut circumstantia queque oppida deditioem ulro offer-
 rent. Cum ad Peterstorphum castra forent, quis obsessam Vien-
 nam negare potuisset? Agrum velites usque adeo infestum cedi-
 bus plane reddiderant, ut ex urbe nemo prodiret; quin et subur-
 bana ita sollicita fuere, ut assiduas excubias haberent. Cum ingens 25
 omnes pavor inuasisset, uno die quattuordecim oppida, que in
 Viennensi agro sita urbem in corone speciem circumstant, ulro
 sese regi dedidere. Quicquid Neapolim Viennamque interiacet
 in amenissimam planitiem effusum et in pomarii similitudinem
 virenti vicorum oppidorumque frequentia consitum derivatisque
 passim fluminibus irriguum, id omne uno die in Mathie potestatem
 pervenit. Et hec facta deditio ita Viennensibus commeatu inhi-
 buit, ut ad extremam famem perbreui redactura videretur; item
 imperatoris animum usque adeo consternavit, ut ne mediocris qui-
 dem non declinati belli penitentia subiret; Viennam tamen et Nea-
 polim vi arteque omni retinere conatur.

Vienna inter pulcherrimas barbarorum urbes, licet complures
 magnitudine prestant, iure numerari potest; Danubium accolit,
 in cuius ripa, diffunditur in orbis speciem. Ut urbi magis blandi-
 diatur amnis, insulam e conspectu facit in hortorum usum, qui
 fructiferis consiti arboribus gravissimorum civium animos relaxant
 et lascivientem ad cenas et choreas iuventutem excipiunt. Menia
 duc passuum milia complectuntur intus et extra aggere obfirmata,
 ne crepantium tormentorum obtutui sint obnoxia; perpetuo coronantur
 ambulacro et in corone speciem superbarum turrium frequentia excoluntur,
 quarum aliquae e quadrato lapide et quadrangulares, nonnullae latericio
 rotunde consurgunt, quibus e crate facte insunt fenestre ferreeque
 atque ferrea quoque ostia fovea obducuntur pedum altitudine trigentorum,
 latitudine vero ea, qua sagitte ictus eluderetur. Ad caput in ima fossa
 tantum 32
 aque scaturit, ut, cum libuerit et usus tulerit, hac muro ad emis-
 sarium retenta perbreui tota fossa compleatur. Supra portas urbis
 quadrate turres consurgunt, ut impetum quenque maximum facile
 excipiant. Suburbia circum maxima et ambitiosa effunduntur, ur-
 bem hauc aliter ac arcem regiamve complectuntur et cum urbana
 pulchritudine certant. Urbs autem intus, cum adiveris, non urbs, 34
 sed regia videtur ob elaboratissimam structuram tota conspicua;
 hospitibus tota blanditur et certatim queque domus edificiorum
 superbia spectatoribus magis placere contendit, remoratur eos
 neque pulchritudine sua progredi patitur; procerum cuncta dixeris
 esse palatia. Queque domus anticum habet et posticum; laxa
 intus subdivalia, cum finitimum prominentia montium nimis
 algeat. Triclinia latissima habent abiegna contabulatione vestita

structaque in angulo fornace pro estiviariis utuntur. Fenestre omnes
 vitree et ad inhibenda furta ferreis cratibus munitae; cetera
 domus in caldarias cellas et cubacula divisa, quae inquilinis et hospiti-
 bus locantur; sub divo aliae apothecae negotiatoriae circumstant. Cum
 urbs tota sit pensilis, infra soli planitiem subterranei fornices vinarie-
 que celle magna laxitate conspicuae. In fenestris ac specularibus
 tantus cultus et luxuria, ut antiquorum sumptus adaequare
 videatur; has avibus complent oscinibus garrulisque, ut, cum urbem
 inambulaveris, per sonoras amenasque sylvas spatium videre;
 fora, vici, compita cuncta placent. Templum spectare licet
 insanum sumptu factum, imprimis divi Stephani basilicam ac dive
 genitricis edem, ubi nihil est artis, quin spectatorem admiratione
 conficiat. Turris est, unde non modo totam urbem, sed universum
 agrum et citeriorem Austriam prospectare licet. Octogona est et
 ex pyramidali specie desinit in pomum, ubi tot deorum imagines,
 tot excisos summa arte lapides cernere est, ut nihil dixeris in orbe
 spectabilius. Sacerdotum collegia, gymnasia philosophantium,
 sanctimonialium claustra praestantiam urbis adaugent. Si Scotorum
 collegium cum ede lustraveris, si quedam principum palatia in-
 viseris, Romanam ad peregrinos superbiam traiecissem reputaveris.
 Hic Scaligerorum Carrariorumque domos, gentilicia insignia re-
 cognoscere poteris, qui Paduae, Verone Vicentiaeque ac in Cis-
 alpina Gallia late regnarunt. Hic multorum quoque nobilium monu-
 menta comperimus, quorum posteritas Friderici Aenobarbi cetero-
 rumque imperatorum ductu et auspiciis in Italia militavit ibique
 oppidis ac pagis magnifice donata remansit. Cum ante bellum
 census haberetur, quinquaginta hominum milia numerata sunt
 praeter pueros et infantes, in ludis litterariis septem milia sepe
 studiosorum recensita. Praeter consulatum ex decem et octo viro-
 rum numero constantem duo sunt magistratus; praetor urbanus,
 qui ius populo dicit et magister civium nominatur, atque questor,
 qui criminibus praestitit inquirendis et iudex appellatur. Praeter hos
 nulli sunt, nisi qui venalis vini vectigalia exigunt. Cauponam domi
 facere nulli vitio datur; quin et ille praepotens et patricius habetur,
 qui eam domi semper retinere potest, quando ager est in bibula
 et frequenti gente vini feracissimus. Quare tanta diebus festis
 hic ebriorum sit copia, ut nulla sine rixa homicidioque celebritas
 agatur, item diebus festis non solum noctu, sed interdum tuto iter
 facere Bacchus inhibet. Quicquid negotiosis diebus plebs ipsa
 parat, Bacchanales absumunt feriae. Cum vino incalescunt, nunc
 inter Academicos et plebeios, nunc inter rusticos et urbanos Mars
 oboritur et, cum atrox et caeca pugna conseratur, sepe plus equo
 temulentus ille deservit; non est magistratus potentia, quae rixas
 inhibeat. Voluptates hic vigent praesertim venereae. Nemo tam du-
 rus et asper est, quem feminae voluptates non emolliant. Plures
 puellae intercedente stupro inscioque parente maritus sibi concilia-
 runt. Nobiles, cum ad cives venerint, secretum ab eorum uxoribus
 exposcunt; viri allato vino secedunt. Tanta est in urbe gentium

varietas, ut pauci vel in vicinia se norint. Rara familiarum anti- 53
 quitas; mercatorum hic magna copia, quorum divites senio con-
 fecti puellas sibi coniungunt; he perbrevis facte iam vidue famili-
 ares mox eos sibi despondent, quos adulterii consuetudo coniun-
 xerat aut iuventa pellexerat. Raro patri filius succedit. Apud 54
 Viennenses lex est coniugii, que alteri superstiti semissem asserit.
 Maxima testamentorum hic licentia. Viris ius est legandi uxori-
 bus, uxores etiam viris pro arbitrato dotem caducaque bona le- 55
 gant. Neque desunt captatores divitum et que veneno infensos sibi 56
 viros adulteri iussu auferunt ac ex adulteriis coniugia subinde
 contrahunt. Scripta lege carent; consuetudine ducuntur. Venale
 ius habent et decreta quedam consularia pro libidine interpretan-
 tur. Accommodata pignora, si quid lucri faciunt, non recusant ne-
 que usure loco reputant. Furta apud furem deprehensa questori
 cedunt capitalium. Immania hic supplicia expenduntur. Quicun- 58
 que igni multandi sunt, vivi pyre imponuntur ac sensim suburun-
 tur. Quicquid paratur, aut gule aut edificiis aut vestituti indulge-
 tur; mulieres eque ac viri negotiantur et citra pudorem fora fre-
 quentant. Viennensis ager vinetis et pomariis totus est consitus.
 Ville circum amenissime; ubi elaboratissima spectantur edificia, 60
 neque aviaria, piscine ceteraque vivaria desunt; montium appen-
 dices, vicorum castellorumque frequentia viatores omnes admo-
 dum oblectant. Cum Viennensem Neapolitanumque agrum attige- 61
 ris, in planitiem longe lateque diffusum hunc omnibus letis et
 amenis regionibus tractum sine controversia facile anteferas; si
 qua hic quies et tutum otium inveniri posset, potius Austriam
 quam Italiam optares, verum tempestate nostra semper nunc Bohe-
 mico, nunc Pannonico bello fluctuavit.

Post, ubi rex Podom, Peterstorphum, Trautostorphum, Liec- 62
 testan, Medlingum, S. Margaritam, Schuandorphum ceteraque
 finitima castella cepit, urbem artius obsessurus nihil sine religio-
 nis observantia aggredi voluit imprimisque Viennensium numina
 placanda esse censuit. D. Stephano ac Leopoldo ceterisque diis 63
 patriis maiorem cultum et magnificentiora his templa, si forte ob-
 stinate urbis exitium intercideret, quod deus avertat, ipse vovet;
 si deditioem illa fecerit, magnos diis hominibusque adauctus
 pollicetur. Mox cum quinque milibus equitum castris egressus 64
 intempesta nocte Claustrumburgum adoritur expugnatque. Oppi- 65
 dum est ad secundum lapidem supra Viennam, quod Danubio
 prominet et divi Leopoldi basilica sepulcroque clarum est, ubi
 sacrum regularium monachorum est collegium edificiorum ampli-
 tudine et tricliniorum cubiculorumque prestantia spectabile; ibi 66
 subdivale est insano sumptu factum et specularia sacris historiis
 inscripta, item fecundissima scientiarum omnium bibliotheca, ubi
 multa ex Italicis urbibus erepta volumina spectantur, que antiqui- 67
 tatis auctoritate permagni estimantur. Ad magnam aram tabula
 est aenea; a tergo candelabrum Salomonis; utrunque arte maxima
 elaboratum; aenei sunt templi postes et basilica e quadrato lapide

constructa. Subiacent horti letis arboribus consiti oblongaque 68
 piscina, ubi lupos carposque saginant ac cetera tale genus. Subur-
 bium per montis dorsum effunditur et Danubio dominatur.

Huius anticipatio non ab re facta, quando fluvium hic clau- 69
 dere decernit, ne commeatus ab imperatore Viennensibus deveh-
 i possint. Clandestino deinde itinere cum equitatu relicto ibi pre- 70
 sidio Viennam rediit et traiecto mox ante pontem urbis adoritur
 occupatque, ne quid ex ulteriore Austria cibariorum haberent.
 Ad pontem ligneum utrinque castellum erexit impositoque presi- 71
 dio tormentis aeneis ac omni munitione complevit. Duos ponti 72
 Tetauros prefecit bellice artis sane peritissimos, qui fratres erant
 et Bohemicis parentibus geniti, ne alter facile alterum hostili im-
 petu perire pateretur; ii commeatus omnes inhibebant, observa-
 bant noctu Danubium ac, ne quid brevi esus cymba inferretur,
 dispositis utrinque vigiliis attendebant, quin et socios quandoque
 lucri cupiditate aliquid inferre ausos gravissime multabant.

Cum obstructos sibi aditus cives esse sensissent, animo con-
 sternati futuram famem reformidare, sibi liberisque timere, ne
 vitam inedia finiant; ad imperatorem clandestinos mittere nuncios 75
 et imminentium periculorum admonere, demum orare, ut obsessis
 continuo subveniatur; urbem, si fame prematur, in officio retinere
 non posse; quin et plerosque de deditione cogitare. Imperator, 76
 qui copias per civitates et oppida diviserat, ut longo bello Panno-
 nicas vires enervaret, exercitum mittere non poterat, qui obsidio-
 nem solveret collatisque signis cum rege congrediretur. Spes 77
 bona dabatur; promittebantur auxilia, que in dies affutura dice-
 bantur; interim aut nulla aut exigua submittebantur. Nonnulli
 ferebant id ex dedita industria a Friderico fieri nec Viennenses
 in angustias redigi egre pati, ut eam illi famem paterentur, quam
 obsessum olim in arce Cesarem pati coegere. Suspicebantur et
 aliqui ex composito bellum Australe geri, ut rebellantium civium
 procerumque superbia haud iniussu patris a Mathia filio reprime-
 retur. Verum id non facile recte sentientibus persuaderi potest.

Cum in tanto victorie successu rex cunctandum esse minime 80
 iudicaret, ad Cornuburgum castra mota in ulteriore Danubii ripa
 situm, quod e conspectu Clastrumburgum intuetur; oppidum est
 in plano locatum elegantibus predictum edificiis, optimis menibus
 et alta fossa valloque munitum. Id decimo obsidionis die capitur,
 cum tormentorum impetum tolerare non posset. Rex opulentis-
 simo potitus oppido presidium imponit. Quarto deinde die ad 82
 Tulnam castra posita; civitas est Danubii accola quinque ac vi-
 ginti milibus passuum a Vienna remota. Rex in Cornuburgo re- 83
 mansit, regina ad Pisonium non sine magna aulicorum turba sub-
 sederat. Militem ergo gravi eam impetu vexare iubet, que magno 84
 terrore percussa aliarum exemplo septimo, quo ventum est, die
 in regis potestatem pervenit. Tulne deditio finitimis quoque ani-
 mos ademit. Arridente adhuc fortuna Stephanus Bator, qui invi- 85
 tus ad hoc bellum accesserat, Paulus Kinisius et Zelena prefecit

equitum: nihil ultra cunctandum esse rati Chremesum et Stainum obsident, que in ulteriore Danubii ripa sunt vix unius intervallo stadii seiuncta. Quod non temere ab his bellice artis auctoribus ⁸⁶ factum est, ne superiori parte Chremesum commeatus et auxilia posset accipere; urbs enim est non parvi quidem momenti, quando opibus ac pulchris edibus illa floret. Paulus ac ceteri vexillationum prefecti expeditos equites finitimos late infestare iubet; at illi longe discurrentes tumultu et terrore omnia complent, obvios aut obtruncant aut captivos ducunt, incendunt pagos et circumfusam regionem diripiunt vastantque. Diri belli rumor per Germaniam repente diffunditur. Cesaris omnes avaritiam, morositatem et pertinaciam incusant, execrantur negligentiam et plerique id haud invito ipso fieri criminantur. Germanici potentatus imperii nihil ⁸⁹ prospiciunt, partim quia imperatoris iniussu nihil audebant, partim quia a rege prius edocti bellum id iure geri noverant. Indolebant igitur et sociorum damna commiserabantur.

Interim imperator a Lintzio oppido hostiles incursus et incendia prospectabat, Chremesiensium tandem periculo et commiseratione victus, quos nimis amabat, Viennensiumque obsidione commotus, quos ad Pannonem deficere equo animo pati non poterat, non ingentem comparavit exercitum, non principium Germanorum accivit auxilia, sed legatos quamprimum in regia castra misit, qui cum hoste de pace agerent. Si a principio pecuniis non ⁹¹ pepercisset, si tantum parasset exercitum, qui obsidionem urbium inhibere potuisset, ne tantam quidem is imperii iacturam neque tot calamitates et incendia florentissima illa provincia subiisset. Cum legati Cesaris in regia castra venissent, a prefectis pro ⁹² dignitate sunt excepti. Insequenti die, cum colloquium postulassent, ex officio datum. De pace mox agere cepere; detestari bella ⁹³ et inter patrem et filium perquam iniquum ac summum esse nefas hec intercessisse.

A Batore ac Paulo repente responsum ad bellum se, non ad pacem esse missos; nullam esse sibi componendi belli potestatem; regem ad Cornuburgum resedissee, eo esse concedendum; ac, ne quid a militari insolentia detrimenti ex inconsideratione patiantur, se satis honestum equitatum daturus esse pollicentur. Dirempto colloquio et accepto comitatu ad Mathiam properant. Rex iam a suis de legatorum adventu clam superiore nocte fuerat ⁹⁷ admonitus. Cum civitati appropinquare per exploratores accepisset, universum fere pontificum procerumque ordinem, ut honorifice eos exciperet, obviam misit; ipse quoque e solio advenientibus occurrit ac, ut legationem Cesaris omni officio honestaret, ex ordine omnes amplexatus est. Ast, ubi omnes condesere, oratorum princeps ita profatur:

Legati equidem et Cesaris et tui patris indulgentissimi sumus, rex inclyte, quos non tam ad mitigandam iracundiam, quam recognoscendam pietatem ad te misit illiusque rei nos imprimis ⁹⁹ admonuit, ut, utrum uti hostis, an uti parentis oratores admitte-

remur, diligentissime observaremus. Nunc autem, cum ex hoc 99
aditu ingenitam tibi pietatem et clementiam nulla arte dissimulari
posse intelligamus, nos ut Augustalem filium, non ut hostem
imperii Romani nunc alloquemur. Conqueritur, Mathia, pater ille 100
tuus, cur tam hostiliter secum agas; hostiliter, dixi? immo, ut sic
bona tua venia loquar, immaniter; vicorum incendia, vastationes
agrorum, captivorum ac pecorum abactiones nequaquam ista de-
miratur. Patitur hec ipsa furiosi Martis licentia. Sed templa diri- 101
pere, rapere virgines, tot cedibus et incendiis seuire, pueros illi-
dere parietibus ac nihil divini humanique iuris retinere, hanc
facinorum insolentiam pater attonitus execratur. Quod etsi a te 102
mandari non credit, tamen hec omnia te nesciente ac nobis vix
credentibus sua rusticorum multitudo, gens tibi vicina, accom-
moda, Christiana et officiosa patitur. Quid illa meruit infelix? 103
quid commisit? quid misera ausit? Nobiscum haud secus, ac cum
Turcis agitur, Mathia vindex Christiani nominis et fidei pro-
pugnator. Non equidem Turci sumus, non inhumani, non immanes.
Politiciis artibus ac negotiatoriis studiis cuncta lustramus, inculta 104
excolimus atque, si Alemanis careret Ungaria, ut vestra pace di-
xerim, aut deserta aut inculta inhospitabilisque foret. Apud 105
principem loquimur, cui nunquam veritas et dicendi libertas in-
fensa fuit. Cesar deorum hominumque fidem plane testatur, quo
bellum iure sit indictum, adhuc se ignorare. Multas utrinque 106
iniurias inter subditos intercessisse novit, sed nullarum se aucto-
rem affirmare; si quid suorum audacia patratum est, id se in-
scio factum esse; se quoque ingenue fateri suorum quandoque
recalcitrantium audaciam coercere haudquaquam potuisse; mul-
tos contra iniuriarum postulari, qui ultores potius, quam contu-
meliosi re vera dici possent. Suis plus quisque quam alienis cre- 107
dit et suorum quandoque charitas equitatem invertit; si mutua-
rum commemoratio iniuriarum fieret, iam equum utrinque con-
staret examen. Satis superque ab utrisque lusum esset; ne tantum
quidem penarum errata nostra postulassent. Esto, vastationis et 108
incendii rei sumus, nos tamen plus penarum expendimus, quam
fortasse debemus, nisi capitalium more pro definito sepe scelere
eternum exitium subire cogamur. Verum quis inter finitimos, qui
mutua consuetudine fruuntur, quotidianas lites admiretur? longis- 109
simo tantum intervallo seiuncti non litigant. Inter vicinos modo
de incertis finibus, modo de vectigalibus et promiscua iuris dic-
tione certatur. Ille plus sapit et probitate prepollet, qui officio
indulgentique tolerantia vicinum sibi conciliat; excelsioris quidem
animi esse duco magis proximum quenque beneficiis, quam ar-
mis vincere; alterum consummate probitatis, temerarie fortune
alterum est officium. Romani, Corvine, e quorum gente te oriun- 110
dum omnes uno ore fatemur, magis hac arte, quam armis impe-
rium propagarunt, quia potius, quid se deceret, quam quid ex-
ternorum iniurie mererentur, animum advertabant. Non minus 111
pietate, quam viribus utranque Pannoniam Messala Corvinus

olim tuus atavus, mihi crede, superavit. Patiatur tua maiestas, rex invictissime, non tam Martis aliquando, quam pietatis a paternis oratoribus admoneri, quando ne plus ille quidem, quam hec affert, cui tantopere studes, immortalitatis. Recentia et gravissima, que nuper accepimus, damna nos iniurias referre coegerunt. Sed, quis inter patrem et filium grave quid interciderere posse dixerit, nisi ab humanitate uterque pre diro quodam furore fuerit destitutus? Quicquid pater in filium fecerit, haud ab re fecisse reputatur; quicquid filius deliquerit, ex nimia indulgentia confidentiave facit; que inter utrunque temere quandoque intercedunt iniurie, nimie charitatis deliramenta vocantur. Quanquam imperator te hostem et audiverit et senserit, tu tamen eum an hostem a patrem pietissimum appellare debeas, hinc intellige. In tanto belli furore ac vesania captis tot urbibus et castellis, incensis tot vicis, tot etiam hominibus in captivitatem abductis, occupata denique magna patrimonii sui parte non sociorum is auxilia convocavit, non fecundam bellicosamque Germaniam in te concitavit, non Suevorum cohortes auxiliaresque imperii Romani copias, quas gratuito habere potest, educi iussit, non suas etiam vires effudit; vix tumultuariam brevemque peditum manum coegit, quam per oppidorum presidia distribueret, ut aliquantisper filii sevitiam coereret; non hostis, non Cesaris sunt apparatus isti. Proinde indulgentissimi parentis patientiam, Mathia, nunc tecum recognosce. Si quam in Cesarem et in Australem gentem iram concepisti, iam iam compesce, rex invictissime; ac, veluti ceteros armis et virtute, ita nunc clementia et probitate vince. Cesaream mansuetudinem et benignitatem emulare nec fortitudinis magis, quam misericordie laudem assequare. Quantum glorie iacturam ex isto bello feceris, facilius conici, quam dici potest. Quid summum pontificem, quid senatum apostolicum, quid totam Italiam, quid universas Christiane reipublice civitates de te locuturas existimas, cum a te Romanorum imperatorem et, cum duo sint gladii, alterum inmani bello premi noverint? Filii quoque adoptati nomen multo plus gravitatem facinoris exaggerabit. En iste Christiane fidei propugnator et vindex, qui Christianorum principem et humanarum rerum moderatorem furore plus quam humano persequitur. Proinde, rex inclyte, resipisce, hac te infanzia exue, qui perpetue studes immortalitati. Quid equum et fas sit, recognosce, Mathia, qui plus, quam ceteri principes, iam sapere soles. Pro illatis iniuriis sat erat unam alteramve civitatem in tuam dicionem asserere, non omnia miscere, non tibi animam inducere pro modicis erroribus licere tibi omnia occupare, divina et humana confundere. Delicto non debet esse gravior pena. Memento te mortalem ac principem non ad exitium, sed gentium salutem esse natum et non ad tyrannidem futilemque gloriam, sed ad salutarem gubernationem veramque felicitatem esse genitum. Neque communium incommodorum ratio pretermittenda est. Maiora — quis ignorat? — nos

detrimenta patimur neque vos tamen multum hic lucri fa-
 cere arbitramur. Hinc Ungaria exhauritur, hinc incenditur Au-
 stria. Demum, quid feceris et quid regno utilitatis attuleris, exitus 124
 ipse docebit. Invitis nemo diu imperavit; nil violentum nature
 iure perdurabit unquam; sic sumptus eluduntur et opere; sic
 cruor hinc et hinc effunditur; sic penitentia mordax in animos
 frustra desevit. Reputa quandoque tecum fortune varietatem, cui 125
 nemo sapiens nimis credendum esse censuit, et, quis eius insidias
 et pericula te melius considerare possit, invenio neminem. Medi- 126
 tare, quemadmodum ante regnum et post tecum quandoque illa
 fecerit, et aliorum quoque vires pensita. Paterna tibi animum
 tolerantis augere non debet nec, quod pietati et patientie adscri-
 bendum est, id imbecillitati, negligentie ac animi exiguitati tri-
 buendum. Passus est huc usque Cesar finitimos vobis iniurios et
 sibi parum obtemperantes a te haud secus, ac a filio castigari;
 tu quoque patere, Mathia benignissime, ne ceterorum innocentiam
 offendas, ab hoc bello paterna voce revocari. Cesar huc usque 128
 veri patris vel indulgentissimi complevit officium; tu probi filii
 decorum observa. Ille ut Cesar, ut pater, ut tutor adhuc tuus de
 te optime meritus deponere arma iubet; ceterum hortatur, orat et
 obtestatur, quando satis superque sevitum est, tui gratia, ut fi-
 lius paterna iussa capesse ac exoratus precibus ultro cede. Nullam 129
 tibi gloriam id bellum affert, quando facile est vincere non repugnantem;
 paternus id amor pietasque inhibet neque ullo modo
 patitur cum gnato certare; mavult pati, quam paternum nomen
 exuere; mavult ex pietate, quam viribus predicari. In externos, 130
 non in filium Romani imperii vires asservat, quod, quanti mo-
 menti sit, tu quoque, Mathia prudentissime, non ignoras; non
 armis, sed paterna patientia tuam iracundiam Cesar vincendam
 esse duxit. Quin etiam et in hanc Germania suspicionem incidit,
 cum ipse tibi non repugnet, id ex composito bellum geri. Quare 131
 Cesareo paternoque nomine te monemus, hortamur precamurque,
 ut arma deponas, iniurias omnes hostiles inhibeas, ad salutarem
 pacem animum intendas, de concordia perpetuaque quiete nobis-
 cum agas et, quando repense sunt utrinque iam iniurie, secretiore
 colloquio de componenda pace disceptemus.

Cum hec dixisset, ne parum quidem Ungarorum animi a 132
 belli studiis alienari ocepere. College quoque adiecere multa et,
 ut partis utriusque salutem consuleretur, regem obsecrarunt. Rex
 tandem ab Australibus legatis exoratus breviter ista respondit:

Testor deum hominumque fidem, faustissimi oratores, me 133
 nunquam sponte in vos arma sumpsisse. A gravissimarum multi-
 tudine iniuriarum circumventus vobis bellum indixi. Quantum 134
 in me fuit, expeditionem istam prorogavi, ne in parentem impii
 more filii severe reputarer et hanc demum infamiam declinarem.
 Invitus demum, mihi credite et vestram in hac re conscientiam 135
 testor, pre assiduarum magnitudine contumeliarum et non pre-
 stita promissorum obligatione me in arma conieci, ne ex tolerantia

nimia intolerabilem perniciosumque contemptum subirem. Remedia cuncta tentavi; nulla profuere; postremo recidendum gladio morbum esse censui. Belli causas iniuriasque omnes hic rite referendas esse non existimo, ne infausta commemoratione dextera pacis auspicia interturbentur. Absurdum est, cum de pace agitur, de belli causis accuratissime disputare; refricantur per iniuriarum memoriam sepe vulnera et remolliti dudum animi redurescunt. De belli crudelitate, quod dicitis, nihil patratum est. In cibaria, res et pecora vivendi causa per vicos aliquantisper sevitum. Iustum bellum indiximus atque gessimus multo modestius; immo, ne par pari referrent, inhibuimus, ut paternam ubique maiestatem observare videremur. Illesam honestatem et pudicitiam ubique esse iussimus. Verum, que audiuntur, quam ea, que cernuntur, multo maiora plerunque reputantur. Cum nunc pacem a vobis postulari videam; et me ad concordiam pater animum intendere iubeat, quantum in me est, dabo operam, ut vestre inserviam voluntati et paterno paream imperio; potius armis, quam officio nunc a vobis patiar superari. Inhumanus merito reputari possem, si postulata pacem utrisque salutarem nunc abnegarem et Cesaree paterneque maiestati, ut iustum et fas est, non obtemperarem. Illud unum adicio, si sine malo dolo petatur. Proinde, viri optimi, si equis pacem condicionibus postulatis, eam per brevi vos habituros esse confidite; sin iniquis et mala fraude, spem omnem adimite. Si inita deinde violabitur, deum ultorem et vindicem equitatis expectare. Illud scitote me propter pacem bellum gerere et non bellum, quod calamitosum est, ex bello serere. Sed rem ipsam in secretiora colloquia transferemus.

Cum hec dixisset, senatum dimisit, oratores secum accumbere iussit. Insequenti die de pacis condicionibus agi ceptum. Rex bellum iure indixisse affirmabat, insanos in eo sumptus effudisse; haud iniquum esse, si non ex omni, saltem ex aliqua parte se prestari indemnem; proinde repetere belli sumptus et trecenta aureum nummum milia postulare. Contra illi de belli equitate non disserere, predas dicere sumptus omnes rependisse, nulla utrinque damna resarciri oportere. Ad hec ille presentia detrimenta, que Alemanis intulerit, adhuc Ungarorum calamitates, rapinas vastationesque agrorum ab Australibus acceptas equare non posse. Oratores tandem a rege convicti eum indemnem prestari oportere infitari non audent; crebris tamen cursoribus imperatorem consulunt haud procul absentem. Angebat ad hec Cesarem vehementer Chremesi Vienneque obsidio. Vienna deditionem interminabatur, nisi aut commeatus aut auxilia mitterentur; magnam annone caritatem populosam urbem incessisse dudum rumor erat; responsa differri non poterant neque pro more verba dari; nihil more sine maximo periculo interiici posse videbatur. Insuper Beatrix regina Cesari affinitate coniuncta crebris eum internunciis orabat, a calamitosa pertinacia sua deficeret, cum viro equis pacem legibus optaret; contra virum pro virili sua quotidianis litteris horta-

batur et rogabat, ne tantopere seivret et ad pacem salutemque populorum animum suum revocaret.

Post longam igitur disceptationem hec regi cum legatis Cesaris convenere, ut imperator ob bellum iuste indictum Mathiam regem prestaret indemnem; centum et quinquaginta aureum milia pro belli sumptu ad prestitutum anni tempus rependeret; Mathias obsidionem statim solveret, captas omnes urbes et castella, ubi satisfactum fuerit, continuo redderet; pia filii patrisque nomina et antique pactiones rate firmeque manerent. Si ad statutum diem Mathie haudquaquam satisfactum fuerit, suo iure universam Austriam occupare occupatamque legitime possidere et in regni Pannonici provinciam redigere liceret neque ullo impietatis et iniustitie crimine alicubi gentium notari posset. Cum his conditionibus inter eos conventum foret, adiecto sollempni iureiurando pontifex Agriensis pro patre patrato in medium accitus, Iubes me, inquit, Mathia rex Ungarie, pacis tabulas promulgare? — Iubeo. — Iubetisne vos, Cesaris Augusti oratores, quibus ineundi federis data est summa potestas? — Iubemus. — Ac ille consensu pulpito promulgavit, mox utrosque in tabulas iurare adegit. Domine Iesu Christe, inquit, optimus maximus, servator humani generis tuque diva genitrix, sempiterna virgo, unica Pannonie patrona vosque celites omnes patriique dii tuque, dive Stephane et Leopolde sanctissime, his, quesumus, propitii pacis auspiciis adeste, mutuam inter principes et utranque gentem concordiam dudum initam et perpetuam amicitiam confirmate. Uter prius inita sancte federa violarit, non, ut antiqui, fedam porcam, sed iactis fulminibus ferite.

Percusso federe legatos omnes rex ceterique Pannonie proceres rite amplexati; in transacte pacis et concordie speciem lacrimis utrinque fuse. Tunc rex post mutuas pacis congratulationes, ne plus armis, quam beneficentia vincere videretur, preter omnium opinionem exclamans, Vos, inquit, sacrosancti oratores, pontifices proceresque mei, nunc mihi testes adesse iubeo, dicta hec attendite et, quantum imperatori Romano patri pientissimo confidam, hinc, queso, considerate. Quanquam pactionum iure capta reddere non debeo, Cesarea tamen et paterna maiestate adactus cuncta, que cepimus, ei sponte reddo, cedo Austria, ut obtemperantis patriique filii animus quandoque noscatur et me plus otii, quam belli amatorem omnes intelligant. Mox vulgo accitis cursoribus cunctis presidiorum prefectis, qui capta oppida retinebant, imperavit, ut presidia repente deponerent, oppida legatis Australibus resignarent, sine mora captis cederent. At illi Corvinam magnanimitatem admirati conversique in lacrimas immortales gratias agere, deosculari dexteram et nullum grate mentis officium preterire. Cesari igitur extemplo Mathie liberalitatem et transactam pacem significarunt. Obstupuit rebus cognitis imperator et ingentes litteris Mathie gratias egit. Castra ad Chremesum et Stanum posita regis edicto mox revocantur; restituuntur omnia et

insperata letitia Austria tota completur; ne minori quidem gaudio iam exultat Ungaria, cuius ubertas non sine magno lucro ab Alemanno digeritur.

Hoc tempore prepotentes duo duces Christiane reipublice sinistro fato cesi sunt; alter Galeatius Maria Mediolanensis fuit a Ioanne Andrea Pamproniano in divi Stephani ede obtruncatus, Carolus Burgundionum princeps alter, qui, dum Lingones Treverosque debellat, ad Venacoum oppidum in Treverorum finibus profligatus occiditur.

Revocatis rex in Pannoniam exercitibus et percusso cum imperatore ea hieme iam federe insequenti anno, qui septuagesimus octavus supra millesimum et quadringentesimum est, Pisonium venit et quadragesimale ibi ieiunium peregit. Deinde cum maxima aulicorum manu et una cum Beatrice sua, ut a curis aliquantisper bellicis animum relaxaret, per regnum vagatur, urbes locaque prestantiora lustrat uxoriq̄ue ostendit, Cassioviam, Cremniciam, Novosolium et montana ambo loca revisunt; auri argenticque fodine spectantur; educendi ex terra auri, preterea molendi, dividendi conflandique modum admirantur, que nunquam antea viderant. Utcunque potest, rex Beatrici studet. Ubique ex oppidis provinciales occurrunt ac eximios utriq̄ue honores acclamationesque exhibent ac magnifice, ut par est, excipiuntur.

Interea compositam cum Romano imperatore pacem rumores ubiq̄ue gentium distulerunt, ad cuius nuncium omnes principes admodum exhilarati sunt; videbant enim ex hoc bello tantum animorum Turcis accedere, ut Christiane multum reipublice timerent. Ex hoc tempore prestita Mathie regi a Romano pontifice Venetoque senatu stipendia abrogata sunt, que centies mille nummum aureum sane com̄lebant. Id haud ab re factum, ne adversus Cesarem Mathie opem afferre viderentur Christiane reipublice principem. Post, ubi reconciliatos esse sensere, optatam certatim pacem congratulantur. Andreas Vendramus Venetorum dux, ut ex archetypis accepimus litteris, ita scripsit: Distulimus aliquantisper gratulationis officium, serenissime princeps, quoniam varius et incertus inite pacis nuncius inter tuam regiam Augustalemque maiestatem adhuc esse videbatur, sed in dies certiores facti has breviter scribendas esse censuimus, quibus etsi non abunde gaudium et letitiam promere, perbrevis tamen indicare videremur itemque ingenti devotionis affectui aliqua ex parte satisfaceremus, ut, sicut bello graviter angebamur, ita percusso nuper salutari federe mirifice letaremur. Gratulamur igitur maiestati vestre, immo communi gentium saluti, quarum tutela ex vestra concordia pendet. Gratulamur amicis, quibuscunque uteris, in quorum ordine nos sumus haud cum postremis numerandi. Gratulamur denique reipublice Christiane, cui posthac a maiestate vestra hoc finitimo et intestino bello liberata id auxilii sperare licet, quod vestram amplitudinem, pietatem, religionem ac ardentissimum in Christianam rempublicam studium plane

addebet. Ne ingrato quidem animo Mathias ista perlegit atque 170
 pari fere brevitate usus ita rescripsit: Mathias rex Ungarie Andree
 Vendramo Veneti senatus principi salutem. Quod ob initam cum
 serenissimo imperatore pacem nobis ex animo gratulamini, quod
 amicitie officium iure prosequimini eidemque tam diligenter
 attenditis, recte agitis. Nos hunc gratulationis affectum at gra- 171
 tissimum habemus et gratias agimus ingentes, quando ex fido ac
 benevolenti corde profluxisse cognoscimus nec minus quidem
 vos nostris, quam propriis commodis letari credimus, quando
 nobis nihil gratius accidere potest, quam cum optimum florenti-
 ssime amplissimeque reipublice vestre successum audimus. Hec 172
 vetus amicitia, fida societas et explorata diu utrinque fides utros-
 que facere iubet. Quod in calce subiicitis litterarum vos Chri-
 stiane reipublice gratulari, quod a nobis vicino et intestino bello
 liberatis id auxilii sperare possit, quod amplitudini et pietati
 nostre conveniat, vos scire velimus, quemadmodum etiam per
 oratores sepe vestros superiori tempore significavimus, nobis
 ardentissimum defensande reipublice Christiane studium nun-
 quam defuisse neque in posterum esse defuturum, si tantam tur-
 bulentissimi hostis molem, cuius vires soli tolerare nequimus,
 humeris nostris sine adminiculo aliorum subire possimus. Inter- 173
 cepta igitur Mathie regi stipendia a Venetorum societate bene-
 volentiaque animum abalienarunt. Accedebat occupate olim Dal-
 maticæ ore memoria, que non sine molestia succurrebat, item,
 quod in bello Australi Cesareas potius, quam Pannonicas par-
 tes fovere rumor erat.

His quoque temporibus cum Ioannes Bieligus superioris Si-
 lesie prefectus regem edocuisset in his finibus Polonos quos-
 dam nova moliri, vicos infestare, abigere pecora, ictum olim cum
 Casimiro rege fedus ledere, rex ira aliquantisper infensus Polonie
 regem admonuit rogavitque, ne initum fedus lederet, ne iura so-
 cietatis violaret; quod si facere perrexerit, eadem se quoque
 facturum interminatus est. At ille prefecto imprimis querenti, 174
 deinde regi se litteris diligentissime purgavit id a quibusdam,
 qui proprii essent iuris, se inscio invitoque fuisse factum; varia
 quoque causari, que violata pacis ipsum excusarent. Contra rex 175
 ad eum rescribere se quoque posse multos ex regno subornare,
 qui Polonos hostilibus iniuriis afficerent, ac dicere illos sui iuris
 esse; demum ad servandum fedus hortari, ne ars arte primum
 eluderetur et e minima deinde scintilla suscitaretur incendium.
 Casimirus sic admonitus illorum, qui in superioribus Silesie fi-
 nibus novam moliri ceperant, audaciam repressit.

Venetorum porro memoria animum Mathie in dies infestio-
 rem reddebat; sciebat enim Venetos Pannonice societatis aucto-
 ritate hanc infeliciter cum Turcis egisse. Multos a Veneto quon- 176
 dam senatu legatos acceperat, quibus presentibus cum Maumethe
 prospere pugnavit, et, quotiens in Illyrico et Epiro Turci in Ve-
 netos aliquid moliebantur, instaurato repente in Mysia bello ob-

sidionem solvere coacti sunt, quod et Croie Scodreque oppugnatio sepe testatur. Franciscus Venerius ab initio ad eum missus, 179
 deinde Ioannes Emus, post hunc Franciscus Diedus et Franciscus Iustinianus, novissime vero Scodrensi obsidione Sebastianus Bado- 180
 varius legationis quoque munere functus est. Antonius de-
 mum Victorinus cum Atriensi antistite venerat et ex annuo, ut
 aiunt, stipendio centies fere mille aureum nummum ambo Ro-
 mani pontificis Venetique senatus nomine in Ungariam attulere.

Intermissa igitur Cesareo bello fuere stipendia, que Christi- 181
 ane admodum reipublice obfuere. Ignorabant plerique Turcorum
 vires et somnia potius figmenta que esse, quam rem veram existi-
 mabant. Passus est ergo, qui non credebant, illorum feritatem ex- 182
 periri, ut, quantus in dirum hostem apparatus fieri oporteret, ce-
 teri sentirent. Itaque ex Illyrici finibus, quos dispositis oppidatim
 staticibus tuebatur, legiones ob impensarum gravitatem et Ita-
 lorum ignaviam avaritiamque revocavit, suas tantum provincias
 curavit. Ferus hostis, ubi remissas Dalmatie custodias esse Pan-
 nonisque animum deferbuisse novit, diffusas per Illyricum, My-
 sian Macedoniamque turmas ad Dalmatie fines convenire iubet.
 At, ubi quindecim equitum milia haud procul Scodra convenisse
 scivit, Dalmaticos Carnosque montes superare ac Forum Iulii in-
 cursare agrumque late populari precipit. Turci Alibecho duce
 Dalmatiam traiciunt, nullum, dum iter faciunt, provincie detri-
 mentum inferunt, equorum pernecitate longa itinera metiuntur.
 Dalmatiam et Carnos demum emensi Foroiulianum agrum inva-
 dunt, fluvios preter hominum opiniones tranant, montes superant
 editissimos et nihil usque adeo arduum ac difficile reputatur,
 quod illorum audacia non adoriatur. Cum in Venetorum provin-
 ciam descendissent, tot homines cum uxoribus et liberis abdu-
 xere, ut supra, quam viginti hominum milia in servitutem vindi-
 casse dicerentur. Tantum hinc tristitie Venetorum animos incessit
 et tanta universam Italiam trepidatio invasit, ut plerique de fa-
 cienda emigratione cogitarent. Ii pontificem Romanum ac ceteros
 Italie principes orant et obtestantur, ut communi consilio ac ope
 commune periculum deprecantur. Intestina tamen Italarum odia
 factionesque perniciose usque adeo a communi eos salute dis-
 trahebant, ut nihil antiquius inimici calamitate reputarent. Al-
 phonsus Calabrie dux et Federicus Urbinas cum Hieronymo comite
 Xysti pontificis nomine Florentinum agrum, villas insano
 sumptu edificatas amenissimosque pagos et oppida diripit atque
 expugnat. Veneti iure societatis ad Florentinos auxilia miserant 190
 et, cum socios gravissimo bello laborare cernerent, magnopere
 angebantur. Etrurie enim bello impliciti in Macedonia et Foro
 Iulii a Turcis acerrime vexati gravissimaque damna perpassi sunt.
 Dum Xystum pontificem, ut Christiane salutem consuleret, ab 191
 Etrusco bello revocare coantur, cum tempus hic frustra trivis-
 sent, ad Ludovicum Gallorum regem oratorem misere precantes,
 ut Italie tumultus discordiasque comprimeret. Hac Ludovicus le- 192

gatione commotus Xysto diem dicit seque Renatum Lotharingie ducem regis Renati Andegavensis ex filia nepotem missurum interminatus est, ut praeceptum avi regnum recuperet. Quin etiam, ut rebus Italicis impensius incumberet, indutias cum Maximiliano Burgundie duce composuit. Veneti, Florentini Mediolanensesque tempestate illa inita societate Herculem Estensem ducem huic bello prefecere.

Preter hec Veneti Turcorum successu admodum consternati 194 post primam eorum in Italiam irruptionem preter Sontium amnem, quicquid vadi fuit inter Goricianum pontem et Aqueleie paludes, perpetuo aggere obstruxerant, stationes militum et munitiones imposuerant. Hoc itaque opere in muri speciem barbarum 195 Italia prohiberi credebant, nullum hinc periculum ultra imminere putabant. Ecce ex insperato ferus hostis advenit ac preter omnium opinionem in ulteriore Sontii ripa consedit, cuius exercitum decem milia equitum plerique reputarunt. Marbechus Turcorum prefectus circumacta equitum ala castellum, quod ponti imminabat, parvo negotio expugnat, precipitato in amnem presidio pontem occupat; id a castris sentiri non potuit, cum quattuor milibus passuum abessent. Mox equites mille expeditissimos flumen transire iubet seque cum cetero equitatu secuturum ostendit, imperat Venetorum castra adoriri, irritare ad certamen, deinde sensim retro cedere hostesque temere a tergo prementes in insidias locatas trahere. Faciuntque mandata. Cum in insidias Venetos allexissent, ceteri a fronte coorti primam eorum turmam ad unum obtruncant, nemini parcunt preterquam paucissimis quibusdam illustribus, quorum captivitatem sibi commodissimam fore sperabant. Proxima turma precedentium morte perterrita in fugam effunditur. Instat a tergo Marbechus cum reliquo equitatu et equorum pernicitate palantes assecutus passim sternit capitque. Ad Massam usque continuata clades. Hieronymus, qui exercitus 200 gerebat imperium, cum filio, item Iacobus Badoarius, Anastasius Flaminius et plerique illustres in ea pugna desiderati; Marbechus quoque graviter vulneratus. Postero die, quicquid pagorum inter Sontium Taliaventumque fluvios effunditur, igni ferroque vastatur et ad Utinum fumus apparuit, ut finitimis hostem adesse id foret indicio. Adauxit calamitatem astus plus, quam barbarus. Simulatur ab his reditus motisque castris amnes retro superant. Traiecto Taliavento unius diei iter iam remensi mox proxima nocte redeunt et liberatos dudum metu provinciales ac incautos iterum adoriantur et longe maiore, quam paulo ante, sevitia predaque grassantur; innumeram virorum mulierumque multitudinem abducunt. Quid plura? Veronam usque trepidatum et a Venetis ex editissima divi Marci turri, veluti e specula sociorum feracissimique agri prospecta sunt incendia. Andreas Vendramus Venetorum dux hoc anno mortuus est, cui Ioannes Mocenicus successit.

Alia quoque detrimenta ex intercepta Mathie societate abnegato stipendio Venetis accessere. Croiam Maumethes munitissi- 204

mum Macedonie oppidum repente obsidet fameque adacta undecimo mense deditione potitur; oppidani, priusquam sese dederent, omnia tentasse feruntur sedande inedia remedia, ut etiam boum coria et equorum avidè devorarint. Nondum malorum finis aderat, cum Alibeclus capta Croia Scodram obsidet. Subsequitur paulo post Maumethes et, ut munitissimam presidio locique natura civitatem expugnet, universas, quascunque potuit, copias ex Asia et Europa coegit, veluti extrema iam sibi tentanda essent. Mox, dum incerta spe Scodram obsidet, ingentem Turcorum equitatum per Dalmatiam in Fori Iulii agrum immittit Sonticasque iterum munitiones aggredi iubet. Carolum presidiorum prefectum, qui castella ad perpetuum aggerem instaurata tuebatur, in pugnam educere conatur. At ille superioris quidem cladis haud immemor intra vallum instructa acie Turcorum impetum expectare, dimicabundus longa hostem expectatione defatigare. Elusus demum longa mora Turcus a Gradiscanis castris retrocessit et hinc ad quattuor milia passuum inter Medee montem et Cremonam proxima nocte subsedit. Proxima nocte prope Mansanum per patentes valles ad radices montium castra posuit. Superatis deinde abruptis confragosisque Carnorum montibus in Scodrensia castra se recepit. Triginta Turcorum milia in hac novissima eruptione fuisse perhibent. Dum bellicis Scodra machinis assidue ac miserabiliter oppugnatur, Maumethes, ne frustra cum tam numerosa legionum multitudine tempus terere videretur, Ioannem Cernoi Sabiaco civitate privat. Asiaticè ore prefectus ad expugnandum Drivastum mittitur et perbrevis tormentorum adminiculo potitur; quingenti ex oppidanis capti in castraque perducti in Scodrensi conspectu omnes trucidati sunt. Maumethes obsidionis fastidio ac desperatione correptus relicto ad continuandam obsidionem Marbecho cum octo milibus hominum ipse cum ceteris legionibus abiit. Eodem, quo profectus est, die Lyssum ad Drimonis ripam cum duabus Venetorum longis navibus in suam potestatem redegit. Ducentos ad Marbechum remiges ibi captos misit, quos ante conspectum Scodrensi trucidaret; mandata pro libidine feritatis facta sunt.

Itaque universa, que brevibus enumeravimus, mala e destituta bellicosi regis Mathie societate promanarunt, quem cum sibi haud inique succensuisse intelligerent nec facile tamen reconciliari posse existimarent, donec societatem cum Pannone iuste sancteque servarent, forti animo ac citra detrimentum Turcorum omnes impetus exceperè.

Contra rex in dies exacerbatus vel proprio vel aliorum instinctu nunquam amplius eorum amicitiam requisivit neque contempsit; suis tantum rebus consuluit. Ad postremum Veneti, cum se Turco impares esse cognoscerent seque in hoc bello universis Italie potentatibus destitutos esse conspicerentur, desperata Mathie reconciliatione de ineunda cum Turco pace cogitarunt. In causa ista fuere complura: Venetorum superbia, invidia

potentatum, Italorum discordia et in partiendis, quecunque bello recuperarentur, rebus avaritia cum summa iniquitate coniuncta, que quidem omnia pro libidine iudicioque suo cuique definienda relinquo. Insequenti anno senatus iussu Ioannes Darius scriba exacta iam hieme de pace agere occipit, ne hoc sensim bello respublica labefactaretur. Parum equis tamen et honestis conditionibus eam sane composuit, nempe ut deductis ex urbe presidariis militibus et oppidanis, quicumque vellent, Scodra Turco cederet; Veneti quoque Tenarum Laconie promontorium et Lemnum insulam insuper adiicerent atque octo demum aureorum milia quotannis eo nomine Maumethi penderent, ut pontica Venetis negotiatoribus navigatio tuto pateret. His igitur legibus pax composita haud parum Venete libertati derogavit, quando stipendiariam vectigalemque Turco civitatem fecisse videbantur, sed ad omnibus destituta auxiliis non temere, quando ita res tulit, publice utilitati salutique consuluit. Quin et Cephalemiam insulam, que ante Etoliam exposita est et a dive Marie cognomento nominatur, vi in Turci dicionem pervenire Veneti passi sunt, ne inita dudum federa in discrimen suum violarent. Sed de his hactenus; ad mathiam revocetur oratio.

Nihil ei postero anno fuit antiquius, quam initam olim cum Wladislao Bohemie rege pacem confirmare. Iam intelligebat illum esse maturum, preterea magnanimum et prudentem ac bellicosissimis denique populis prepollentem. Undique sibi imminere augurabatur; cum Turco perpetuum erat et hereditarium, quamvis ad crebras id indutias haud invito Maumethe redegerat, quoniam adempta sibi Italorum adminicula noverat. Ne latebat quidem preter hec principem Cesarea mens pertinax et quandoque inconstans variaque; illinc quoque Casimirum Polonie regem admodum timebat, ne Prutenorum causa federa solveret. Pruteni sinus Oceani Sarmatici sunt accole; Vistule amnis ostia, qui Cracovia n preterfluit Oceanoque demergitur, accolunt et preter litus effusi ad Venedicos usque montes accedunt. Apud hos potens ac sacrum dive Marie collegium imperat; provincia quidem ob negotiatorum frequentiam civilis est admodum et opulenta, in cuius imperium iam animum Casimirus intenderat, videbat enim domita Prussia ad Oceanum usque Sarmaticum Polonie regnum propagatum iri. Pruteni, qui a Polonie tergo sunt, aliquem sibi defensorem parare studebant, qui a fronte Polonum infestaret, si quid in eos ab aversa parte moliretur; societatem cum Mathia ineunt. Rex cum Casimiro deinde agit, ut ad tempus usque proximi conventus, quam dietam appellant, nullum Prutenis bellum inferatur; si que in eos copie misse forent, continuo revocentur, quo ad dietam tuto veniendi libertas fieret. Casimirus hec omnia et chirographo et data fide se facturum esse promisit. Quare inite cum Prutenis sunt indutie. Sed, quemadmodum paulo post ex Mathie accepimus litteris, Casimirus promissa non prestitit, ut epistola rex longa conqueritur. Missum in Prutenos exercitum

non revocavit, conveniendi potestatem Prutenis non fecit, quare haud parum indignitas ista Pannonis animum incendit. Hiereslaum Boscoviscum rex in Poloniam misit, qui suo nomine Casimirum, ut promissis staret, hortaretur moneretque, ut icta olim federa, uti fas est, servaret, demum certiozem redderet a Pannone Prutenos nunquam societatis iure desertum iri. 231

Itaque, cum huiusce belli periculum vereretur, confirmandam cum rege Bohemie pacem Mathias esse censebat, ne uno tempore cum tot hostibus certare cogeretur. Prius autem per legatos dedit operam, ut conventus ille haberetur, quo demum utrique reges in colloquio coirent. Ipse Georgium Colocensem metropolitam et Prothasium Olmuncensem episcopum, item Stephanum comitem Scepusiensem, Venceslaum Boscoviscum et Nicolaum Zeecensem oratores pronuntiavit. Stephanus enim ea tempestate Silesie prefecturam cum imperio gerebat. Wladislaus vero illustres profecto viros ad hanc legationem destinavit imprimis Ioannem Tymbutem et Boleslaum summum Bohemici regni iudicem, quibus collega optimi fuerant adiecti Benessius Vaitmiller burgravius, Carisius monete magister et Ioannes curie prefectus, cui de Riupo cognomen erat. Utrunque igitur prestantes viri ad Olmucium convenere, quibus cum liberum foret utriusque regis negotia componere, sic omnia inter se citra discordiam disposuere, ut omni ex parte cuncta congruerent. Id unum supererat, ut principes convenirent et ab legatis acta sua auctoritate ac fausta presentia confirmarent. Quare utriusque regis edicto ad Olmucium conventus indicitur atque non solum reges, verum etiam antistites omnes ac reguli proceresque maximi cum universa nobilitate ad prestitutam diem convenire iubentur. Insolentes utrinque fiunt apparatus et a Mathia presertim, qui plus equo ambitiosus est habitus et nec vindicta nec beneficio magnificentiaque a quoquam hoste amiceve superari se passus est. Wladislaus ad statum tempus cum ornatis- simo procerum ordine aliquot diebus prior affuit secumque florentissimum duxit exercitum, item preter Bohemos duces duos illustrissimos et affines, quorum alter Bavarie, Saxonie alter princeps erat. Pre ceteris autem terrarum gentibus proceritate stature roboreque corporum ac pulchritudine, prestantia crinium et suavitate consuetudinis Bohemi sane precellunt; corpora comasque plus iusto colunt, in habitu vestituque nitidissimi et perquam molles, ad bellum et voluptates tantum nati; populares omnis sunt et affabiles; ad conciliandas quoque amicitias nimis idonei. Contra severiores Ungari ac magis agrestes, bello durissimi, austere consuetudinis et quam maxime peregrine, externos parum amant, plerunque abominantur, elatum his est ingenium ac immodicus equorum vestiumque luxus; armorum habitus ac mense potissimum est studium; ceterum minima cura sollicitudoque; pericula contemnunt, bella serunt, otium formidant; honorem laudemque appetunt, quam armis parere nituntur. 232

Mathias ob ingentem apparatus cunctatius accessit crebris a 241

Bohemo litteris vexatus; reginam cum Francisco Aragonio fratre
 eius, item pontifices proceresque omnis secum duxit. Cum Olmu-
 cium venisset Bohemus, qui aliquandiu et plus equo in finibus ex-
 pectarat, ad quintum mox lapidem castra posuit; postero die ta-
 bernaculum in medio intervalli spatio tenditur, ubi reges una collo-
 qui possent. Ex composito deinde instructis utrinque aciebus ²⁴³
 prodeunt. Cum ad tabernaculum ambo ad sagitte lapidisve ictum
 iam iam congressuri essent, substiterunt utrinque agmina. Reges ²⁴⁴
 in medium coivere; primo congressu dextras mutuo apprensarunt
 et dedere pacis oscula, mox equis desiliunt tabernaculumque
 sine arbitro subeunt. Inito colloquio tris circiter horas de com-
 muni concordia, de redintegrando federe verba fecere. Demum ²⁴⁵
 fedus artius revincendum esse rati inter se iterum sanctissime
 percussere fraternoque obstrinxere vinculo, ne facile violari pos-
 set, et accitis deinde utrinque pontificibus proceribusque ar-
 bitris sacrosanctum id esse iusserunt. Soluta deinde colloquio alter
 in castra, in urbem alter se recepit. Tertio vero die rex inermis
 cum universis principum ordinibus ex urbe progreditur atque
 versus Bohemi castra agmen intendit. Et occurrit e castris ille ²⁴⁷
 comprehensusque ad congressum dextris socia utrique agmina
 iunxere in urbemque pervenere. Hic regis edicto lautissima
 cunctis Bohemorum principibus parata erant hospitia; prope
 forum duo palatia inter se opposita Persicoque luxu apparatus ²⁴⁸
 reges excipiunt. Bavarie Saxonieque duces pro dignitate recepti
 sunt. Incredibiles in urbe apparatus Mathias instituerat. Wla-
 dislaus armatus ac instructa acie civitatem ingressus est alterum-
 que Martem referre videbatur, magis arma, quam toga magni-
 tudinem corporis addecebant. Edes huic rex mirifico luxu appa-
 raverat; triclinia, cubacula, subdivalia et universum denique
 atrium sericis pictisque auleis curiose vestiverat. Excoluerat
 etiam regia suppellectili, ne quid ad honestandum fratrem preter-
 misisse videretur. Apparatus ubique magnificus etiam supra ²⁵⁰
 quam excogitari potest. Culta quoque pro cuiusque dignitate
 ceterorum hospitia. Dies quindécim ob fraterne societatis leti-
 tiam, quam dudum iniverant, convivia assidue celebrata. Tem-
 porarium in foro theatrum in scena orchestraque sumptu magno ²⁵¹
 paratum, ubi ludi scenici saltationesque accitis eximiis matronis
 cum summa festivitate edite; ante scenam hippodromi circique
 vicem tunc forum prestitit, ubi quotidie equestri certamine pu-
 gnatum magnaque ac varia victoribus premia proposita proque
 magnificentia multa in spectaculo sparsa missilia; epulum visce-
 ratorumque populo, item Pannonio Bohemicoque militi quoti-
 die date; celebratum in foro convivium est principum. In medio
 fori tetragonus stabat abacus gradatim more pyramidis ab omni
 parte consurgens, per cuius subsellia aurea, gemmata argentea-
 que vasa rite disposerant. Prostabant abaco rhinocerotes duo,
 unus a dextra, a leva alter, mire uterque magnitudinis infesto-
 que cornu spectatores intuebantur; ad basim hydrie capacissime,

enophora, diote e pustulato argento affabre facte; supra vero chrysendeta, calices, scyphi, cupe, phialeque lapillis ac unionibus onuste. Consurgebat igitur gemmatus ex omni parte conspicuus in medio foro abacus in montis aurei speciem, ubi misere spectatorum lumina fatigabantur. Reges cum proceribus in scena accubuere, decem quoque mense ex ordine ibidem strate. Inter prandendum nunquam in scena et hippodromo cessatum, aliqua semper edita spectacula; hinc mimi, histriones, citharedi, hinc equorum certamina infestis hastis congregientium. Deinde remotis mensis principes cum matronis illustribus duxere tripudia. Regina cum Wladislauro rege et Franciscus Aragonicus cum formosissima nobileque puella Germanicam pyrrhichiam non sine magnis populi acclamationibus plausuque saltarunt. Rex quotidie Wladislauro e regione manentem officii gratia traiecta via familiariter adibat, educebat in regiam admissumque in cubiculum Beatrice teste domestice ac iocose alloquebatur; quandoque latrunculis cum regina ludere iubebat, quod futuri vani coniugii fuit auspiciū. Tantum fraterne charitatis semper ostendit et honoris exhibuit, ut nihil ultra addi et optari posset, veluti divus ille princeps Wladislauro successorem suum arioiaretur. Quin et in adversa formidolosaque valetudine rogatus a suis, quem sibi successorem optaret regnoque eligendum consuleret, Wladislauro, inquit, si optimum regem appetitis.

Compositis rebus, cum iam solvendus esset conventus, ne indonatur quidem Bohemie regem, quem fratrem adoptaverat, dimittendum esse censuit. Imprimis quidem universum hospitii apparatus, ubi eum exceperat (aureis cubacula auleis texerat, stragulis etiam aureis lectos straverat, pretiosissimum quoque abacum explicaverat), illi dono dedit. Item id parum ratus redditus duabus, ut aiunt, civitatibus munificentiam auxit. Beatrix trabeam auro contextam, regales vestes, lectos lautissimos et cetera tale genus, que celibem principem addecerent, adiecit. Ne indonatos quidem ambos duces et ceteros principes dimisere; nemo dimissus immunis. Verum illud potissime commemorant et admirantur omnes cuncta Bohemorum hospitia a regali gazophylacio apparatus accepisse, denas in scena mensas fuisse stratas, que multum auri argentique ad propinandum et ad fercula postulabant, nihil tamen e regali abaco, quem in foro construxerant, in convivii usum accepisse. Quare, quanti census Corvina supellex fuerit, ne facile quidem conici potuit.

Sed quis mortalium vitam aliquid solide felicitatis habere arbitretur? Dum conventum frequentissimum ad Olmucium haberi Turcus accipit, preter omnium opinionem ingentem expeditissimumque exercitum in Ungariam excursare iubet, ut eam a rege diete gratia, que Augusto mense est habita, destitutam furtim invaderet, diriperet et, quod nunquam ausus est, igni ferroque vastaret. Fortuna Turci audaciam sequitur fovetque, nam tanta siccitate is annus exaruerat, ut ad VII. Kalendas usque

Aprilis nunquam tantum pluerit, quantum sitibundum terre dorsum parumper aspergere potuisset. Utraque Pannonia Savo hinc et Dravo illinc circumventa Istro munitur et Turcorum incursum amnes inhihent, pre insolenti vero siccitate Savus in plerisque locis vado transiri poterat. Dravus semper ac ubique navigabilis eo anno pedibus traici passus est; in causa fuit insolentissima siccitas, cum fluvii tres ubique navigentur. Turcus vadi exploratorem invenit ad Dravum, quem multa mercede conduxerat. Transmisso iam Savo triginta Turcorum milia in Dravi repente ripa consedere ac ii tutum vadum edocti superato anne Pannonias invadunt, in pagos, in homines ac pecora iuxta deseviunt, ferro ignique usquequaque debacchantur, ad Castrum usque Ferreum et ad Styriam Rachospurgumque decursant. Triginta hominum milia cum ingenti preda incensa vastataque non parva ex parte provincia secum abducunt iterque remensi in Bossenam se recipiunt. Quod ubi regi soluta dieta nunciatum est, omnes proceres alarumque prefectos tumultuario Turcos exercitu insequi iubet; ipse per sevam pestilentiam, que eo anno per universam Ungariam late debacchata fuerat, per sylvas et amena loca valetudinis tuende gratia vagabuntur. Reginam Cassioviam versus a se dimiserat, ne qua hominum frequentia ac contagione inficeretur.

In tanto tumultu et calamitate rex nequaquam consternatus est animo, immo tunc, cum nihil a Turco timeret, de Australi bello cogitabat; quare cum Wladislao rege fedus repercusserat societatemque redintegrarat. Romanum enim imperatorem crebris litteris ac multis legationibus oraverat, ut pacta prestaret, promissa persolveret, centum et quinquaginta aureum milia iam diu exacto tempore penderet. Viennenses audiverat centum milia Cesari collata stipe dedisse, illum avaritia pervicaciaque correptum nihil esse soluturum. Quare, veluti cum eo sibi conventum fuerat, pactionum iure abnegatas bello pecunias repetere omnino censebat oportere. Contra, cum, Cesar, se obstinatissime recusaturum intelligeret bellumque hinc iam futurum prospiceret, iam copias clam paraverat et in superiori Pannonia Styriaque aliquid paulo ante tumultum Turcorum moliri ceperat. Mathias igitur in tanta rerum omnium perturbatione non excidit animo; utrunque bellum audacter adoritur neque uno eodemque tempore cum duobus rerum humanarum imperatoribus neque cum ambobus Cesaribus et Augustis dimicare veretur; vana hec nomina contemnit, animum ac vires ab iracundia ac lesa equitate ac polluta religione sumit; deum sibi vindicem et propugnatorem nunquam defuturum esse confidit, quem Pannonicis rebus affuisse semper ex ipso periculo noverat.

Comparato itaque magno exercitu secundum eos, quos premiserat, Turcum insequitur et non modo abactam predam recuperare, verum etiam iniurias barbarorum sperat ulcisci; nam, cum paulo ante Turcorum ingressum pactam ab imperatore pecuniam exigere non posset, Gereb Petrum Stephanumque comitem Scepu-

siensem in Styriam miserat eosque Rachospurgum, Petoviam et
 Fierstenfeld obsidere preceperat. Ob Turcorum vero incursum 272
 initis cum imperatore indutiis Stephanum et Gereb Petrum cum
 exercitu revocarat, ut Turcos una peterent. Hostium mox sequitur
 vestigia, quos, cum in Pannoniis assequi non posset, extra regni
 fines eo usque persequitur, donec ab his penas cumulas exigere-
 ret. Ultra laiczam demum castra mota; dies tres iter factum et in 279
 campo, quem Greben appellant, locata castra. Hinc expeditissima
 sexdecim hominum milia sunt emissa, que Turcos cum preda perse-
 sequerentur proximamque illorum regionem, quam Burbosigniam
 vocant, pari sevitia popularentur et vastarent. Ad aplissimum 280
 tandem Illyrici oppidum, quod Verbos nominant, pervenire ibi-
 que hostes ac predam adinvenerunt. Basseum hic obsident, qui
 Pannonias dudum invaserat, et in circumventam fluvio civitatem
 clam noctu penetrant. Maxima hic cedes oboritur; miserrime cum 281
 oppidanis Turci nil tale opinantes trucidantur; edes pueris, homi-
 nibus, mulieribus et fortunis ubique completas incendunt; diri-
 piuntur omnia et Mars cruentissimus plane grassatur. Basseus 282
 clandestinam nocte fugam capit circumfusasque per finitima op-
 pida vicosque sociorum copias cogit; mox cum celeri equitatu
 Pannones, qui triduo ibi moram traxerant cunctaque diripuerant,
 ingenti preda onustos et laiczam castraque sine metu repetentes
 a tergo adoritur. Atrox hinc pugna redintegratur, nam, dum ii
 predam magnam auferre ac illi recuperare obnituntur, truculen-
 tissimum sane prelium conseritur. Ungari non modo equos, ve- 284
 rum etiam se ipsi spoliis onerant predaque gravatis expedite di-
 micare non licebat; multi malle mori, quam pretiosa, que ferebant,
 onera dimittere; contra illi ditandi gratia contempta morte acer-
 rine certare; pars magna depositis impedimentis pugnare. Iam 285
 que non calamitose solum, verum etiam turpissime Ungari rediis-
 sent, ni forte trecenti Corvatorum equites intercessissent, qui a
 latere redintegrata pugna Turcorum impetum repressere. At illi 286
 multo plures esse rati et mox exanimati terga vertunt. Ungari
 iam in fugam versi fuerant; Corvatii dimissis magna ex parte
 impediementis et preda potiti cum ceteris paulo post Ungaris in
 regia castra rediere. In Illyrico, quecunque dicionis Turcorum
 castris per triginta milia passuum finitima fuere, passim igni ferro-
 que vastarunt. Hac tempestate, si Romanus imperator indutias 287
 et vetera pacta servasset neque violatis indutiis Iauriensem agrum
 instaurato bello invasisset, Mathias ad asserendum e Turcorum
 manibus Illyricum tempus profecto nactus erat nimis idoneum.
 Sed pertinacia Cesaris irritatus revocatis copiis in Australe bel- 288
 lum se ad mortem usque convertit et eo quidem animo, ut aut Un-
 gariam amitteret aut universo imperatoris patrimonio potiretur.
 Itaque Cesaris inconstantiam secum reputans compositis in Bos- 289
 sena rebus cum exercitu ea hieme Zagrabiam venit, ut, quid in
 Styria vel Austria sibi cum imperatore agendum esset, ibi cum
 proceribus rite decerneret. Hec igitur omnia hoc anno gesta sunt, 290

quem septuagesimum nonum supra millesimum et quadringentesimum rite numeramus. Paulo ante Georgius archiepiscopus Colociensis diem obierat vir gravissimus et summa laude dignus semper habitus. In cuius locum Petrus a rege suffectus vir libero acrique ingenio et animo pro asserenda sepe veritate et utilitate publica usque adeo vehementi ac intrepido, ut formidolosam regis iracundiam quandoque non expaverit; accedebant litterarum studia, quibus in Italia diu operam dederat; hic enim ab ineunte pueritia Ioanni Vitesio Varadiensi tunc episcopo usque adeo placuit p̄ ingenii dexteritate optimaque indole, ut diligenter inter pueros suos educarit, ad Strigoniensem hic archiepiscopatum evectus canonicatu haudquaquam inhonesto donarit, propria quoque impensa Bononie optimarum artium studiis excolendum curarit, contra hic patronum nactus indulgentissimum a tanti viri educatione non degeneravit. Mox, cum excogitata et extemporali polleret eloquentia atque ne parva quidem animi magnitudine prestaret, inter scribas regios insinuatus, cum Mathie serviret ab epistolis, usque adeo placuit, ut hunc potissimum Georgio successorem dandum censuerit. Metropolita nanque Colociensis suo iure scriba regius et secretarius, ut aiunt, esse debet. Perbrevis sua virtute, diligentia et integritate id effecit, ut inter familiares consiliariosque regis principatum obtineret.

Iisdem fere temporibus, cum post Ioannis Hernesti questoris obitum Georgius, antequam metropolita foret, questuram gesserit, secundum eius excessum, cum de creando questore decerneretur, apud principem variis aliquandiu sententiis disceptatum est. Questure duo competitores erant, unus Urbanus, qui proquestor fuerat, Dominicus prepositus Albensis alter. Patrocinia magna uterque pro virili sua sibi comparabat, ut, que in regno maxima est, dignitate fungeretur. Prudentes ambo habiti et ad gerendum hoc munus accommodati. Dominicus ambitiosius, cautius et modestius Urbanus honorem sibi postulabat; plura ille suffragia prepositure amplitudine habuit, pauciora iste, qui mitiori videbatur ingenio et sacro munere longe inferiore, notam item ambitus apud principem formidabat. Placuit tandem regi plus ambitione modestia et, cum illum rerum gnarissimum et in exigendis vectigalibus, quia diu proquestor fuerat, expertissimum esse sciret, quamvis adhuc diversus et anceps, per dies tamen aliquot muneri prefecit. Hic in eo magistratu cum dexteritate ingenii, laborum tolerantia, experientia rerum, patientia molestiarum, incredibili humanitate ac fidei et integritatis magnitudine regiam opinionem superasset; perpetuum rex questorem pronunciavit. Hunc enim pre ceteris omnibus suis moribus accumulatissimum, ad maxima queque negotia promptum, preterea ab omni superbia et ostentatione alienum, item vires ingenii probe dissimulantem et voluntati denique sue duntaxat intentissimum esse noverat. Succedentibus deinde annis sic regi virtute, diligentia et fide charus fuit, ut hunc ceteris pretulerit amicis et cunctis honoribus maximisque opibus

ornatissimum spectatissimumque reddiderit, contra hic, quanto auctoritate potentiaque apud principem maior erat, tanto submissiorem animum preferebat. He igitur artes ipsum, uti nunc Ungari thesaurarium, Greci apochrysiarium et Romani questorem vocant, effecere. Basilice Dominicus Albensis antistes aliis honoribus, ad alia quoque aulicorum munia gravissimasque legationes reservatus est. Cum enim non modo prudentia et integritate, verum etiam venusta facie ac fausto proceri corporis aspectu nimium prestaret, magnifice sepe munus regio iussu legationis obivit et cum magno decore laudeque peregit.

Hoc eodem anno Hercules Ferrariensis dux Florentinorum ac Senensium agrum populabundus ingressus pleraque illorum oppida cepit. Ludovicus rex Gallorum peractis iam indutiis magna manu Maximiliani Burgundie ducis fines ingressus est et parum prospere pugnans militum circiter viginti milia tunc amisit. Ludovicus Galeatii Marie Mediolanensis ducis frater cum Roberto Severinate in exilium actus, qui a Genuensibus exauctoratus suo ductu auspiciisque exercitum ductabat, Dertonam Mediolanensium civitatem cepit, finitima oppida supra viginti una cum Alexandrinis in dicionem suam redegit, que postea compositis rebus Mediolanensibus plane restituit. Florentini pluribus calamitatibus acti amissis oppidis cum Fernando Neapolitano rege non sine maximo suorum detrimento turpe fedus insciis Venetis percussere, quibus auditis Ludovicus rex Gallorum contemptis ceteris Italie sociis cum Veneto tantum senatu ictum fedus retinuit. Pyrametus Carmanus Maumethis copias Baiazeto filio duce fudit fugavitque. Maumethes imperator ingenti classe numeroaque exercitu Rhodum petens urbem obsedit acerrimeque menses tres oppugnavit; demum amissa parte maxima copiarum irritis conatibus abiit; urbem divino potius, quam humano presidio servatam affirmant, quando in summo belli periculo Iesu Christi ministri e celo propugnantes visi sunt atque nostris auxilio miraculoque, Turcis e contra terrori maximo fuere. Ad huius anni exitum Decembri mense Ioannes Aragonius cardinalis ac legatus apostolicus ac Beatricis regine frater a Mathia rege Bude tertia hora noctis excipitur et tanto quidem apparatu et honore, ut summo pontifici Augustove imperatori nihil amplius fieri potuisset. Cum tanto enim plausu pompaque procerum et sacerdotum cumque tot denique funalibus cereis in urbem admissus, ut noctem in diem versam esse diceres. Faustis ubique honoribus semper excultus vel supra, quam optari posset; sexto tamen mense, ex quo venerat, amplissime donatus a rege dimittitur, quin ex illius aulicis nemo fuit, quem regis liberalitas non attigerit. Verum de his hactenus; nunc ad institutum gestorum ordinem redeamus.

LIBER VI.

Cum Zagrabiam e Bossena se Mathias plane recepisset, regina non multis ante diebus e Cassiovia profecta viro congratulabunda statim occurrit. Zagrabie regale iudicium proceres postularunt, quod breve quidem et formidolosum est. Quicumque hoc tribunal accedunt, hastam subire coguntur; perorata utrinque causa, in cuius caput hasta demittitur, is capitis reus habetur presentaneoque supplicio multatur. Id propterea factum, quia ex optimatibus et nobilitate multi homicidii, latrocinii et rapinarum plerique, nonnulli peculatus, repetundarum alii postulati. Tuziano quoque dicta dies; quod ubi regi nunciatum est, mox illum in iudicium non venturum esse predixit. Hic enim genere opibusque prestans inter potentissimos diu proceres est habitus multumque apud regem consilio, auctoritate, prudentia valuit; annos aliquot questuram, item varia munera cum laude gessit. Incidit autem suspicionem invidiamve principis; causa nemini satis explorata; multa huic oppida castellaque in Sclavonia Pannoniaque fuere. Detrectato demum iudicio ad declinandam inimicorum invidiam cum liberis et fortunis Venetias aufugit; sexaginta aureum milia secum asportasse fertur; ibi cognita viri dignitate in patriciorum ordinem a Venetis admissus est vitaeque tranquilla fruitur et beata. In eo iudicio in plerosque graviter animadversum. Hec ab anni principio agi cepta, qui octuagesimus supra millesimum est et quadringentesimum.

Dum Zagrabie rex moratur, continuo rumor affertur haud incertus imperatorem Romanum nova molientem quingentos per Prucchensem agrum equites in superiorem Pannoniam dimisisse, qui provinciam contemptis indutiis longe lateque vastarent et laurinum usque cuncta ferro ignique miscerent. Rex non mediocriter ira inflammatus Zagrabia castra movet ad Rachospurgumque pervenit. Hinc ultra profectus ad Marienpurgum concessit, quod in eadem valle situm est; oppidum arte potius, quam natura munitissimum unius fere diei itinere a Rachospurgo remotum. Id ubi tumultuario bello non posse capi videt, machinas admovet aeneas meniaque quatit, oppidani presidio validissimo pediti, quacunque vi possunt et arte, obnituntur; urbana tamen hostili manu succensa; murus ab una parte nimis obteritur et iam hosti non perdifficilis patet aditus, quamvis oppidani intus diligentissime murorum damna resarcirent. Dum oppidum ad extrema pericula redactum fama differt, ecce Prosper Capharellus legatus apostolicus et episcopus Asculanus, vir genere, doctrina, probitate et eloquentia prestans cum Caesaris oratoribus occurrit, imperatoris crimen excusat, hortatur ad pacem, quam propediem, si rex dictis audierit, se compositurum esse pollicetur; regulatorum quorundam iniquitate, non Caesarem voluntate, si quid novi interessit, factum esse; pacem, quam bellum Caesarem malle; demum adiciere mandata, monitus precesque pontificis, qui hoc execrabili bello tan-

topere angeretur, unde Christiane reipublice et catholice fidei iam instet exitium; ad hec regem respondere se invitum a legato pontificio Cesarisque oratoribus ad pacis consilia revocari, quando se cum legatis omnibus ab imperatore falsum iri prorsus intelligat; sed, ne pontificie auctoritati adversari videatur, quam, ut fas est, semper antehac studiosissime observarit, indutias esse cum Cesare facturum, quamvis eas irritas omnino futuras arbitretur. Accessere suasionem oratorum, quibus parum ipse movebatur; plus Romano pontifici, quam imperatori morem gerendum esse censuit. Auctore igitur Prospero Asculano antistite componuntur indutiae; cessat oppugnationis omnis. Rex cum cetero exercitu ad Rachospurgum redit, unam tantum legionem in obsidione demisit, cuius Stephanus comes et Tetaurus prefectus erat; obsidio non omnino soluta, quando mores Cesaris principem non latebant; sciebat indutias non spe pacis, sed comparandi exercitus gratia postulari.

Oratores cum legato pontificio ad Cesarem redire, ut ante indutiarum exitum pacem cum imperatore transigerent. Cum rem persequi coepissent, extemplo cognovere sibi verba dari; regem Ungarie vera predixisse. Prospero colloquium crebro postulanti prorogatur. Interdicebatur quandoque aditus et varia causantem adire non poterat.angebatur se sua culpa regem imminenti certaue victoria defraudasse, interceptisse belli successum irritosque eius apparatus reddidisse. Ne se quidem fugiebat maximum officiosissimo principi detrimentum intulisse, dum apostolico ab imperatore legato verba dantur. Interim unam is legionem cum duobus milibus equitum ad Marienburgum mittit imperatque, ut comitem Stephanum et Tetaurum obsidionem solvere iubeant, agrum Marienburgensium expeditum liberumque dimittant; si reluctantur, manum cum hoste conferant oppidumque fidelissimum liberent. At illi mandata faciunt. Cum prope castra metarentur, Pannonios continuo per preconem admonent, ut dimissa obsidione recedant, quod nisi postero die fecerint, vim et prelium interminantur. Cum Stephanus et Tetaurus se numero impares esse cognoscerent, re iubente cessere, quamvis haud inscio id rege fecerunt. Mathias igitur, postquam se deceptum ab imperatore esse cognovit, Budam versus iter inquit et ad Soclos divertit, cum oppidi dominum diem obivisse sensisset. Michael enim Gara genere ac viribus ceterorum sine controversia procerum prestantissimus semper habitus sine liberis vita decesserat; oppida, ville ceteraque bona ad fiscum sane reciderant. In hoc itinere cuncta per legatos Garsensium castella recipit. Postquam igitur ipse Budam venit, nil duxit antiquius, quam violatas totiens ab imperatore indutias ulcisci et non artem arte eludere, sed aperto Marte hostem superare. Verum, cum uno tempore cum duobus orbis imperatoribus sibi bellum instaret, non id tam cito prestare potuit, quoniam otio ac tempore opus erat; quare menses circiter septemdecim Bude quievit. Interea multa molitur; regni fines, qui ad Turcum spectant, omnes militum stationibus circumvallat, qui excursiones hostium

inhiberent et socios tuerentur; deinde validissimum adversus imperatorem parat exercitum.

Dum hec rex in otio molitur, nonnulla preclara gesta per legatos legionum provinciarumque prefectos curasse visus est. Comes Ioannes e nobilissima Frangepanum familia natus et Coricte insule tyrannus, quam Veglam nunc dicunt, cum insulanis dissentire cepit. Hinc orta seditione illi Venetos libertatis vindices, hic Mathiam regem licet infensus, sub cuius dicione ac tutela semper Frangepanes fuerant, opem orabant. Maior Blasius cum quinque cohortibus tribusque turmis equitum in Dalmatiam a rege missus in insulam traiecit Fulciniumque imprimis oppidum, quod nunc Muselum vocant, vi capit, mox ad urbem castra movet, ut ea capta tota demum insula potiatur. Hoc breve bellum non iniuria a rege susceptum, quando Martinus Ioannis frater Corictam a suis diu maioribus possessam et cetera, que in continente tenebat, oppidula Mathie liberis orbatus plane legarat. Ioannes, qui fratris bona invito rege occuparat, inconstantia laborabat, nam nunc Venetorum, nunc Pannonum auxilia sollicitabat. Veneti audito Corictanorum bello, ne in manus Pannonum reciderent, intercessere. Iacobus enim Venerius ab Antonio Lauretano classis prefecto e Corcyra presto cum nonnullis triremibus affuit, secutus inde Antonius Vinciguerra a Veneto senatu cum quattuor longis navibus. Hi, ubi illuc appulere, Ungaros monuere, ne insulanos bello lederent, se ab iniuriis abstinerent; quod si pergerent, ipsi reditum interciperent. Interea ad defectionem Corictanos hortabantur; optimas pollicebantur condiciones, si Veneto senatui sese dederent. Hinc Ioannem monitis promissisque sollicitant, ut, cum a Venetis non solum amicus, verum etiam concivis a senatorio ordine habeatur ibique liberos uxoremque paulo ante missos teneat, ne barbaros Venetis anteponat. Demum vir ille inconstantissimus populi seditione motus ac istorum precibus pollicitationibusque victus ius, quod in insula retinebat, Veneto remisit, arcis deditionem fecit, cessit insula Venetiasque navigavit. Perpetuum a senatu stipendium huic constitutum; quattuor aureorum milia pro filie dote senatus auctoritate decreta. Paulo post male rerum gestarum penitentia correptus in Germaniam cum liberis abiit miserrimeque vixit. Maior Blasius, cum triremes quattuor supervenissent, veritus, ut, cum redire vellet, sibi foret integrum, accepta publica fide in continentem se recepit. Multi insulam Mathie tarditate negligentiaque amissam predicant. Dicunt Ioannem ad principem sepe venisse, orasse regem, insulam reciperet, muniret presidio et tantundem in continente sibi redderet; regem hominis inconstantiam et pusillanimitatem aspernatum non, ut par est, aures adhibuisse. Hanc olim Veneti insulam iure belli suam fecere; deinde Rainerio Zeno principe, ut aiunt, Schinellis, que illustris ea tempestate in Corictanis familia fuerat, tota vectigalis est concessa. Illi cum posteris ducentos circiter annos in fide mansere, postea vero pro motuum Dalmaticorum varietate nunc Venetorum,

nunc Bele, Ladislai, Ludovici ceterorumque regum illa fuit. Verum, si temporum seriem recte servaverimus, hec, ut alia Dalmatie oppida, vi malove dolo a Venetis est occupata.

Hoc etiam octuagesimo anno ductu auspiciisve Corvini ubique prospere pugnatum est. Nam in Styria Februario mense Petovia, Regede et pleraque oppida Cesaris expugnata; Petovia Iacobi Zekel astu et copiis, qui civitatem acerrime oppugnat, in regis dicionem venit. Ne minore quidem calliditate comes Stephanus vir indomite fortitudinis magnique consilii Rakospurgum occupavit. Cum exercitum suburbanis admovisset, ad insequendos Turcos transitum ab oppidanis exposcit; nam subiecto amne id alluitur ac longo ponte pro muro transitur. Oppidani nihil tale opinantes, sed iustissima esse postulata rati concedunt. Stephanus vere pontem paulo ante crepusculum milites transire et in ulteriore parte subsidere iubet, que ad Iudeorum vicum pertinet, ubi menia parum obfirmata senserat. Ingruente nocte pontem concessum occupat presidioque utrinque munit, mox secunda vigilia noctis aenea menibus tormenta admovet, ante lucem assiduo crepitantium machinarum obtritu muros late pandit, item eadem nocte arcem in edito monte sitam extra menia subactis etiam machinis expugnat. At oppidani nocturna oppugnatione vexati et capta arce consternati, uti patrie saluti consulant, deditionem Pannoniis fecere. Hoc exemplo multa, que circumstabant, oppidula in dicionem Ungaricam pervenere. Ne minore quidem felicitate in Transylvania dimicatum.

Ad Sinderoviam turmatim in dies ingentem Turcorum exercitum convenire rumor erat; quonam locorum profecturi essent, nemo satis exploratum habebat. Ad primum increbrescente fama nuncium Mathias inferioris Ungarie fines obfirmat, ut Turcorum audacter incursum excipiat. Stephanum Batorem, qui provinciam Transylvaniam cum imperio tenebat et vaivoda olim creatus erat, item Paulum Kinisium Themesvari comitem perfectumque regionis, acerrimum utrunque reipublice propugnatorem cursoribus admonet, fines diligenter custodiant, quando Turci propediem excursuri nunciantur. Quin et speculatores ubique haberi iubet, ut, antequam Sinderovia moveant, eorum iter prospiciant et alter demum alteri in loco subveniant; at illi mandata miro studio prestant. Stephanus ingentem sibi parat exercitum; id ipsum facit Paulus. Mox a speculatoribus nunciatur Alibechum Danubium traicere ocepisse, intendere iter in Transylvanos et sexaginta circiter hominum milia secum ducere; hoc ambo novere duces. Stephanus, undecunque potest, auxilia educit et e Siculis, Ungaris, Valachis et Saxonibus cogit exercitum varioque hominum genere ad excipiendum hostem castra complet obfirmatque. Interea nunciatur populabundum cum numeroso exercitu Alibechum provincie finibus appropinquare. Forti vaivoda Bator animo obviam proficiscitur. Interim crebris Paulum collegam commonefacit internunciis iter Turcos in Transylvaniam vertisse, se obviam in dies castra

movere, cum a tergo hostem subsequi oportere et diligenter observare, ut in conserenda manu alter a fronte, a tergo alter instet; quod si fecerit, se certo sperare insignem diro hosti cladem utrumque daturum neque victoriam e piis manibus elapsurum. Ille, quod fieri opus erat, admonitus ac nihil tale opinantem observat hostem. Nihil obstat, sed quadrato a longe agmine sequitur. Quin et a tergo Turcus nihil reformidat. Post, ubi Transylvanie fines attigere Turci, cum nullam a fronte aciem conspicerentur adversam, in rapinas, predam et incendia se convertunt, vicos populantur, inflammant oppidula et per effusam planitiem, quam Marus amnis interlabitur, intrepidi progrediuntur. Planum montes ab utraque parte claudebant, quos extorres Valachorum populi vicatim incolunt; ab uno latere mons altissimus se extollit. Cum illi in provinciam penetrassent, ultra Albam Giulam effusi cuncta diripiunt; incredibili demum coacta preda obstante nemine retro pedem ferunt. Sequitur a tergo cum exercitu vaivoda, ut captato loco Turcos adoriatur; collegam etiam expectat; quare illi ad villam usque perveniunt, quam Kinyr mezou a pane Ungarica lingua vocant, viginti quinque milibus passuum ab Alba distantem. Hic per speculatores intelligunt vaivodam cum exercitu in proxima esse civitate, quam Saxones incolunt Saxabanyamque vocant. Substitere igitur aliquantisper neque temere abeundum esse censuere, nisi prius fuso fugatoque hoste id facere tuto liceret; idem ab exploratibus dudum Stephanus intellexerat. Quare neutro Martem detrectante, ubi illuxit, in campum utriusque prodire. Consedere tres circiter horas octo stadiorum intervallo, ut alter alterius vires emensus victorie sue consuleret et in alas et cornua copias disponeret. Stephanus turmatim rem imprimis divinam fieri edicit, mox omnibus mysticam cenam eucharistie loco impartiri ambulatorioque ientaculo quotumquenque militem corpora aliquantulum reficere et data inter se fide mutuisque osculis affirmare iubet, alterum ab altero in acie nunquam desertam iri neque iniussu ducis loco cessurum neque prelium detrectaturum, sed ad mortem usque fortissime pugnaturum. Advocata deinde contione verba facit:

Damnabunt fortasse alii, commilitones, militiam nostram immmaniumque Turcorum vicinitatem et pericula deprecabuntur, contra ego nihil vobis antiquius feliciusque dari aut contingere arbitror potuisse. Alii perniciosam, vana plerique stipendia faciunt, quando pro impotenti ac imbecillo imperatore, item pro rebus fluxis momentaneisque meruisse visi sunt, nos contra saluberrimam sanctissimamque militiam militamus, quando pro Iesu Christo optimo maximo, pro Christiane reipublice salute, pro patria, pro aris et focus, pro liberis et coniugibus, pro fortunis, pro corporum et animorum denique salute dimicamus. Pars pro alienis commodis et imperio bella suscipiunt, nos pro nostra utilitate, regno et immortalitate arma gerimus. Multi totam inedia, abstinentia religioneque durissima vitam absument, nos plus uno momento lucri, quam per totam illi etatem, facimus et lucrum quidem stabile ac

perpetuum. Pluris profecto momenti est gutta sanguinis, que pro Christi charitate funditur, quam cetera, que in toga et reliqua vite securitate meremur. A comitibus discipulisque servatoris nostri accipite coniecturam. Cur ille neminem in apostolorum numerum et beatorum ordines adoptavit, nisi quos suo calice impartivit? cur martyres potissimum animarum prodigos inter divos et coheredes retulit? Nempe, quia sapientissimi preceptoris exemplo documentoque didicere pro asserenda catholica fide iacturam corporis pro nihilo esse ducendam, immo nihil pro divino beneficio magis reputandum esse iudicabant, quam cum in professione orthodoxe fidei ad ultima supplicia novissimosque cruciatus educerentur, quos non modo sponte, sed avidè subibant. Sanguinem enim nostrum ubinam commodius erogare poterimus, quam in vindicando nomine veritatis, in proterendis gentibus, que pseudoprophetarum errores perniciosos sectantur et asserunt et Iesum dei filium unigenitum, principem veritatis et celi terreque auctorem abregant? Multi sunt, socii, quos parum ista movent, partim, quia his parum numen et natura indulsit, partim, quia humanis affectibus obruti non multum ista considerant. Tales igitur homines cum provincie calamitates et pericula, tum patria domesticaque damna, damna, dixi? immo solitudinem et exitium considerare velini. Utinam id foret exitium, quando finis cuiusque miserie non potest esse, nisi optimus, sed eternarum est initium erumnarum. Non provinciales solum cum fortunis et pecoribus abducuntur, proceres. verum etiam filii, quos ingenue educastis, quos vobis charissimos habetis, pro quibus tot labores et pericula subiistis; et uxores suavissime, que alterum animorum dimidium possident; ingerueque matrone, que pudicitiam et religionem tantopere coluerunt; fortune, quas tanto sudore domi peregreque comparastis; honores, quos tot virtutum usu obivistis; dii denique patrii et cetera divina et humana auferuntur, sine quibus ultra vivere non licet. Nor ad mortem et malorum finem ista omnia, sed in perpetuam servitutem et miseriam auferunt ipsa morte longe deterio-rem. Pudet pigetque referre, commilitones, quot piacula, incestus et sacrilegia castas virginès pudicasque matronas proxima nocte maneant, nisi virtute vestra vindicaveritis. Longe maiorem, mihi crecitate, miseriarum cumulum turpitude ipsa, quam cetera damna prestabit. Num ululatus mulierum et vagitus infantium exauditis? num vociferationes captivorum accipitis? qui manibus post terga revinctis longo fune trahuntur, quibus etiam omnibus elatis ad celum manibus neque supplicare neque vota suscipere neque ex more numina exorare licet, quando in vincula coniecti deos exorare nequeunt et, nisi virtute vestra redimantur, nihil morte magis anhelant. Proinde expergiscimini, commilitones; hodie non solum pro deo, regno et provincia, sed pro vestra salute vobis din.icanandum est, ne, quodcunque prede superfuert, iterum a Turcis abducatur. Pugnate, cum signum dabitur, si fieri potest, quando res ita postulat, maioribus, quam unquam antea, viribus

et animo multo maiori. Hostium multitudinem ne plus equo time-
mete, quia pauci contra multos iam diu pugnare didicistis, nun-
quam cum Turcis pari numero dimicastis, nunquam etiam terga
vertistis. Animus est, qui numerum auget, legionibus supple-
menta suggerit, pectora nuda munit et strictos in iugulum gladios
corporaque contemnit. Quin etiam et in horam, ut dudum mihi
nunciatum est, affuturus est ille fortissimus collega noster Paulus,
quem in tempore opitulaturum esse speramus. Pro Iesu Christi,
queso, nomine fortissimo animo dimicete, quem nunquam vobis
in huiusmodi bello defuisse novimus. Sin vero, quod dii prohi-
beant, barbarico furori fortasse cesseritis, que et quot vos mala
iam maneant, considerate. Preter mortem, que inter cetera plus
boni, quam mali afferet, inauditi cruciatus, eterna servitus, turpi-
tudo intolerabilis et miseriarum denique omnium incredibilis
cumulus accedet. Hec autem omnia, si viri esse volueritis, dextra
vestra declinare poteritis. Quare invocato pietissimo Iesu Christi
nomine, agite, socii, manum conserite, fedam audacter gentem
proterite, quam diu vincere didicistis, gemitibus captive multi-
tudinis per deum hominumque fidem et per vestrorum denique
liberorum charitatem, queso, subvenite. Hac igitur hodie mente
pugnate, ut aut ad internecionem dirum hostem cedatis aut, si
qua fati cogat iniquitas, ne ea, que diximus, mala et longe maiora
patiamini, pulcherrime moriamini; ubique Bator vobis aderit inter
confertissimos pugnaturus et, ne paterne glorie cedat, hodie aut
victorem aut deorum convivam forte sentietis.

Vix Bator ista dixerat, cum quotusquisque miles nimis incen-
sus signum pugne dari postulabat ac imperatori monita facturum
omnino pollicebatur. In tanto virorum ardore vaivoda haudqua-
quam cessandum esse ratus instructas in cornua statim acies dis-
ponit, se cum cataphracto equitatu in medium collocat, presidium
a tergo munitum relinquit, pro utroque cornu duas equitum alas
obten dit. Dextrum cornu preter amnis ripam producit, obtendit
ad editissimi montis appendices alterum. Cum Saxonibus, Vala-
chis et Ungaris constaret exercitus, quia Carolum Magnum do-
mita Ungaria Saxonibus, quibuscum totiens dimicarat, hec loca
in relegationis speciem complevisse perhibent, Saxones, qui civi-
liter vivunt ac urbes incolunt, primas pugne partes sibi dari postu-
larunt, proximas Valachi, ultime Ungaris et Scythulis superfuere.
Dux laudata animi magnitudine concessit. Contra Turci suas alas
explicaverant recondiderantque a tergo predam et collatis utrin-
que signis cum magna ferocia congregiuntur; unum Turcorum ag-
men in cornu dextrum fertur et forti a Saxonibus animo excipi-
tur; in ripa fluminis tanta vi pugnatum, ut perbrevis multi utrin-
que caderent. Pari adhuc spe certabatur, cum alterum Turcorum ⁸⁰
agmen immissum est, cuius impetum Saxones numero multo pau-
ciores sustinere nequiverunt. Quare inclinati preter fluvium ce-
duntur, alii vulneribus confossi, cum retro pedem dare nequirent, ⁸¹
in aquas aguntur demergunturque; ceteri dato tergo intra Valacho-

rum subsidia se recipiunt. Contra illi consurgunt obversanturque et instaurata pugna multos ex hostibus obruncant, nonnullos precipites in aquam impellunt. Dum hic acerrime pugnatur, Scythuli, qui levum cornu tenebant, ne minori quidem periculo laborabant; ale non sine cruenta pugna utrinque retuse, quando inundanti hostium multitudini obstare non poterant, intra cataphractorum aciem se receperant. Valachi cum Saxonibus in dextro cornu misere cesi, quamvis multo plus hostium ibi oppetiisset; Marus amnis totus cruore infectus est. Dum vehementer in utroque cornu labrabatur, vaivoda, antequam res ad triarios redigatur, quadratum cataphractorum, quod in medio stabat, ultra promovet. Cum primus in acie staret, primo gradu citato equo cum eo una concidit; socii tunc ostenti iniquitate consternati ad Saxabanam quinque milibus passuum ab Iula distantem vel proximum montem redeundum esse censebant. At ille, Quicumque, inquit, pro deo optimo maximo divaque genitrice pugnat, quonam pacto malis prelium auspiciis inire potest? Proinde timori parcite et me forti animo sequimini, commilitones; futura vulnera abominatur equus, sine quibus bella non geruntur; sed iste, mihi credite, hodie victorem me vobiscum referet. Mox dicto celerius in Turcos irruit, laborantium animos instaurat; cum tanto impetu fertur in hostes, ut primum illorum agmen sine mora prostraverit. Quod cum Alibechus accepisset, quattuor simul agmina iungit, ut equitum multitudine circumglomerata vaivode aciem obruat. Remittitur interim in utroque cornu furor et ad pretorianas acies Mars totus vertitur ibique sic conserto prelio dimicatur, ut dux cum duce, veterani cum veteranis comminus acerrime certarent. Vaivoda sex vulneribus una cum equo confossus ad extrema cum sociis redactus erat, quamvis cesorum corporibus obductus esset; quo plures tamen ex hostibus cadebant, eo frequentior undique turba confluebat.

Cum ita laboraretur et iam ad presidarios se recipere non liceret, ecce a tergo Turcorum a montis vertice cum quadrato cataphractorum agmine vexillationumque alis collega Paulus apparet, consertamque cum hoste manum cum extemplo prospectasset, citato gradu edito ingenti clamore una cum tubarum clangore coniuncto in Turcos irruit tantoque impetu hos a tergo premit, ut primo congressu multi ceciderint. Illi, cum numero dudum superiores victoresque fore viderentur, a tergo petiti non modo spem victoriae, sed multitudinis quoque speciem simul amiserunt. Paulus duplici accinctus gladio veluti leo rugiens multo cruore usquequaque grassatur; indomitus, quacunq̄ue ruit, cuncta obvia profert, latam et insignem stragem agit nunc ultimam hostibus interuocionem obclamitans, nunc suorum ferociam inflammans, quandoque usque adeo intonans, ut a laborantibus et cedentibus exaudiretur. Postquam pietissimo se Iesu Christi nomine foveri victoriae successum continuari intellexit, geminatis viribus animisque intonuit, per infesta latum iter agmina faciens, Ubi, ubi, Ba-

tor, es, inquit, ubi caste castitatis specimen, fidei propugnaculum et severe integritatis exemplum? Sicubi locorum es, si vivis adhuc, responde, Bator; sum Paulus pro te, pro patrie salute ad utranque fortunam expeditissimus. Senserat vaivoda potius ex desidente hostium ferocia, quam ex intenta voce collegam in tempore adfuisse et, quamvis multiplici vulnere iam exhaustus, tamen, quia plus alieno sanguine, quam suo cruore fedatus erat, inter congesta utrinque cadavera, Adsum, inquit, mi Paule, adsum, adhuc vivitur. Dum defecta ruinam nostra corpora minantur et nutant, tu catholicam fidem, regnum patriamque tuetor. Cum hec vix inter cedes mutuosque ictus Paulus exaudivisset, Si vivis adhuc, confide ergo, inquit, et cuncta pro nobis numina dudum arma sumpsisse puta. Mox circumactum laboranti vaivode agmen proterit; college turmam, que iam iam Turcorum, qui circumvenierant, vi casura videbatur, presenti morte liberat; additis subinde animis agmen in ceteros late ciet. Turci, cum fronte tergoque se obclusos intellexere, in montem, quem diximus, editissimum proximamque iuga diffugiunt, exuuntur castris et opulenta preda; nihilo segnus, ac illi fugiunt, insequuntur isti et per difficillima queque loca disquirunt; potissima in plano strages acta et per omnes citra invidiam insignis. Verum non paulo minor in montibus patrata cedes, nam, dum per avia feruntur illi, provinciales locorum; non ignari preoccupant exitus aut, si nequeunt, ne minore quidem isti cedis et vindicte, quam illi salutis et fuge cupiditate correpti per anfractus ac prurupta loca petunt; palantes illi fugam in iuga surripiunt; ii pari celeritate subsequuntur; multi per arcta et ardua surrepentes correpti pedibus et ad ima tracti immaniter dissecantur; pars per accessa vagantur palantes et a rustica turba eodem posteroque die ceduntur; nonnulli saucii et exhausto cruore defecti partim inedia, partim letali languore absumpti sunt. Quicumque per montium appendices adhiberi potuere, continuo cesi; pauci capti, nisi quorum liberalis aspectus magnum captivitatis lucrum pollicetur. Alibechus habitum linguamque iuxta mentitus pastoris ductu in montem aufugit in parvaque casula ea nocte delituit. At, ubi illuxit, consenso equo, Abi, pastor, inquit, ad vaivodam et te Alibechi hospitem fuisse nunciato. Mox dicto celerius averso equo cucurrit. Fuis fugatisque Turcis in eorum castra factus est impetus, que ingenti preda completi diripiunt, captivos quoque cuiusque etatis et sexus in libertatem vindicant, congratulatur pileata turba, pedes manusque assertrices certatim osculantur et gratias agunt. Deinde ceso fere ad interneccionem hoste, cum receptui signa cecinissent, in agonem locumque certaminis omnes convenere.

Paulus victoria quamvis haud incruenta letatus cum collega legionibusque victricibus et pientissimis inter cadavera cenare decrevit, quia ingruente nocte in castra redire non poterant atque multum commeatus et vini potiti castris hostium hinc abstulerant. Super cadavera strate mense, quippe que usque adeo fre-

quentia densaque iacebant, ut per universum campum quoquo ver-
 sus in stadia pene sedecim in cadaver prosilire potuisses. Apposi- 104
 tis ergo dapibus accubuere milites, refecta satis superque corpora
 et animi letitia vinoque plus equo exhilaritati; captivi, qui pro-
 specta dudum victoria hostilia castra populari ceperant, ibi quo-
 que opulentissime discubuere. Cena non sine militari cantu trans-
 acta; incomposito extemporalique carmine ducum procerumque
 laudes concinuerunt; mox incalcescente Baccho militarem pyrrhichiam
 saltarunt. Cum adhuc armati Martiales choreas agerent, elatis 105
 innumerum clamoribus cuncta complebant, item, cum in publice
 hilaritatis monumentum quotusquisque miles gestu motuque cor-
 poris aliquid ageret, quo risum a ceteris exigeret, Paulus saltare
 iussus in media corona ita subsiliit, medium sublimemque cesum
 hostem humo porrectum dentibus sine ullo manuum adminiculo
 plane corripuit, mox in orbem admirantibus potius, quam riden-
 tibus spectatoribus numerose saltavit, choream se et Herculeo
 quoque viro dignam edidit. Ea nox pre letitia gestiente insomnia 107
 acta. Postero die ambo duces cum exercitu in Albam Giulam
 ovantes rediere; dimisere multos, qui sociorum corpora legerent
 simulque congesta sepelirent. Paucos post tempore ad sepulturam 108
 Batoris edicto impensaque sacellum constitutum, ubi quotannis
 parentaretur inferieque fierent; hostium cadavera in acervos red-
 acta quam plurimos, quos in hodiernum usque diem cuique cer-
 nere erit. Ex Ungaris octo milia desiderata, ex Turcis triginta 109
 circiter milia cesa, quin et per acclivia montium loca passim ces-
 sorum ossa spectantur; duoque fere Saxonum Valachorumque mi-
 lia in profluentem acta, que singillatim deinde reperta fuere. Rex 110
 cum a Transylvanorum rebus admodum sollicitaretur, insignis
 ecce victoriae nuncius affuit, qui cesum ad interuicium Turcum
 retulit. Presenti gaudio refocillatus ingentes deo gratias agit,
 quod semper res Pannonicas propitius ipse respiciat. Aras omnes
 cum regina supplex circuit, supplicationes populis omnibus intulit
 et ipse quoque multos dies ad omnia templa rem sacram facit,
 quare in Styria XII. Kalendas Martias et Transylvania ea hieme
 bene pugnatum.

Eodem anno Ioannes cardinalis Aragonius, qui cum summa 112
 pontificis potestate paulo ante venerat in Ungariam, Strigonium
 quinto Idus Maias intravit et archiepiscopatum accepit a Mathia
 datum. Sed, cum Ioannes Alemanus, cuius ipse successor erat,
 adhuc in Cesaris aula viveret seque in Romano foro iure privari
 non posse contenderet, cardinalis proventus omnes apud Strigo-
 niense collegium deponi iussit, donec verus diiudicata lite pos-
 sessor extaret. Rogatus Ioannes, cur archiepiscopatu regnoque 114
 temere cesserit, caudati monachi pulveres longum ante syrma
 trahentis ultra se tolerare non potuisse respondit. Gabrielem car-
 dinalem cavillatus, quem sibi apud regem preferri equo animo
 pati non poterat. Quarto post anno archiepiscopatus Aragonio 115
 sententia iudicum addictus est. Hic etiam annus Apulis et Salen-

tinis perpetuo memorandus.

Turcorum nanque classis delecto milite onerata et ex Aulone 116
 profecta, quod antiquum quondam navale fuerat, Hydruntum traiecit, viginti hominum milia in litus exposuit, qui urbem incautam et ex antiquo otio inermem olim factam adorti decimoseptimo die vi capiunt ac oppidanos ad unum usque omnes obruncant; nec sexui nec etati pepercere; in templis ante aras cesi sacerdotes; pontifex cute exutus; nihil immanitatis inexplabilisque audacie pretermissum. Mox agrum et finitima queque oppida igni 117
 ferroque vastant; in servitutem asserunt, quoscumque capiunt. Bestas vetustissimum ad Garganum oppidum amoliuntur, ad quinqua- 118
 ginta passuum usque milia in predam omnia redegere. Quare Alphonsus Calabrie dux dimisso Etrurie bello copias in Apuliam revocavit et contractis ex tota Italia auxiliis ad recipiendam Hydruntum terra marique proficiscitur. Italia magno tunc metu per- 119
 cussa; multi emigrare decreverant, quin et summus pontifex Italie factionibus consternatus de deserenda quandoque urbe Roma cogitavit et se in Galliam Narbonensem profecturum esse minabatur. Novus bellandi usus ita milites Italos exterruerat, ut con- 120
 gredi non auderent; sua nanque robora a barbaris eludi senserant. Ad generi sui opem Ferdinandus rex confugit; validissimus duorum milium equitatus a Mathia missus, cui Maior Blasius et Nagy lanos preerant. Ii, cum in Apuliam traiecissent et mari et terra Hydruntum obsessam esse accepissent, ut Pannonicas Italibus vires ostentarent, ea, qua Itala castra ingressi sunt, hora cum Turcis congregari voluere. Turrim magno presidio munitam expugnarunt, quam pro porta ad fontem proximum Turci constituerant potentique presidio et munitione obfirmarant; multi utrinque cesi. Ungari tandem ea potiti sic hostium audaciam sane represserant, ut amplius ~~eg~~redi non auderent. Civitas demum insequenti anno paulo post Ungarorum appulsum non sine multa suorum cede decimo octavo Kalendas Septembris ab Alphonso duce recepta.

Hoc etiam anno Ludovicus rex Gallorum exactis cum Maximiliano indutiis ad expugnandam Doblam triginta hominum milia in Burgundiam misit, qui a Doblensibus non modo profligati, verum ad interneconem cesi. Quare Ludovicus non iniuria succensus reparato validiore exercitu urbem infestam vi cepit, solo equavit. Item Stephanus Frangepanis, comitum Segniensium 124
 virtute, probitate ac religione non immerito princeps semper habitus superstite Bernardino filio viro indomite fortitudinis et audacie pulchraque nepotum prole Modrusie diem obiit. Franciscuin quoque Philelphum Picentem nostrum Greca Latinaque lingua eruditissimum post edita multa sui monumenta octogenarium Florentie mors tempestiva corripuit. Insuper Cleda Coriandrulus 125
 stratiotarum prefectus, cum in Peloponneso ageret, Magnas Rupes, que ad Tenarum promontorium sunt, invasit ac cesis fugatisque Turcis Mainam eius loci oppidum in suam potestatem red- 126
 egit. Hoc etiam anno ingens pestilentia per Ungariam debacchatur. 127

Quin et Mathias, cum hoc tempore Bude semper fuerit, cum 128
 Friderico imperatore, ut in Turcos aliquid moliretur, indutias fe-
 cit. Sepe etiam antea misso antistite Agriensi de solida pace trac- 129
 tavit, nunquam tamen eam ad ratam firmamque concordiam red-
 igere potuit, verum ille ad cardinalatus fastigium regia ope et
 auctoritate evectus voti compos fastidita Ungaria Romam conces-
 serat, in bello Hydruntino Italieque tumultu legatus apostolicus
 cum summa potestate creatus in Apuliam contenderat. Sed, ante- 130
 quam e Pannonia recederet, haud inconsulto principe regalia si-
 gilla, quibus littere obsignantur, Petro Colocensi metropolitae con-
 cessit. Neque he neque alie unquam regi, quas cum imperatore 131
 finierat, indutiae profuere, nam, quotiens parato exercitu iter in
 Bossenam adversus Otthomanum sumeret, extemplo prefecti Ce-
 saris violatis indutiis Ungariam infestabant.

Insequenti vero anno, qui octogesimus primus erat supra mil- 132
 lesimum et quadringentesimum, Hainburgum regis oppidum,
 quod Pisonio est proximum, Caesaris copie obsedere. Id haud
 parum regis animum commovit. Quare prefectum quendam equi-
 tum, cui Pandobles nomen erat, Hieraslai Bohemici reguli fratrem
 ad solvendam obsidionem repente misit gnarum rei bellice et
 spectate fidei virum. Is clam ad hostes iter facit nil tale adhuc 134
 metuentes. Cum castris appropinquavit, iam nox ingruebat; stra-
 tis passim mensis hostes accubuerant vinoque dudum incaluerant.
 Incautos a tergo Pandobles cum expeditissimo adoritur equitatu; 135
 maximus primo insultu tumultus in castris oboritur, mira confu-
 sio cum terrore cunctos incessit, accubantes multi trucidantur,
 fedantur passim cruore tori et, qui aliquid audebant, his nec
 promptum nec liberum erat arma capere, instruere aciem et impe-
 tum excipere. Quare fuga his potius, quam pugna succurrit; qui-
 buscunque fuit integrum, omnes terga dedere; insequuntur Pan-
 nones aliquantulum, mox ceca nocte remorati ac fuis fugatis-
 que hostibus potiti castris liberatum obsidione oppidum subivere.
 Regina quoque Beatrix affinitatis fiducia litteris et legatis im-
 peratorem ad ineundum cum viro pacem sepiissime hortatur; preter
 bona verba nil aliud accepit. Quantum calamitatis non modo sibi 136
 hostisque, verum Christiane reipublice hec obstinata Caesaris per-
 tinacia attulerit, haud difficulter hinc intelligi potest.

Maumethes enim Orientis expeditionem adortus post ingen- 139
 tia terra marique patrata facinora hoc anno non sine veneni suspi-
 cione quinto Nonas Maias in castris septimo et vigesimo Constan-
 tinopolitani imperii anno, item mense undecimo et die quinto
 preter omnium opinionem emoritur. Duo huic superfuere liberi,
 maior natu Baiazetes, minor Zaliabus. Audita imperatoris morte 140
 ingens in urbe tumultus oboritur. In duas, uti duo filii erant,
 factiones vulgus dividitur; vicerunt tandem Baiazetes partes et,
 cum is abesset, quippe qui in Carmaniam ductarat exercitum, fi-
 lius pro patre absente ad imperium postulatur. Baiazetes sexto 141
 decimo Kalendas Iunii Constantinopolim reversus imperator a po-

pulo salutatur. Zaliabus cognitis his, que Constantinopoli gesta sunt, imperium Asie anhelavit, ut alter Europe, Asie alter imperaret. Sed longe aliter, quam speraverat, res ipsa obtigit. Ex Assyrie finibus revocatus Prusam in Bithynia occupat, contra frater, quando imperium non patitur corrivalem, comparato exercitu in Asiam traiecit et fuso fugatoque fratre Asie quoque imperium in dicionem redegit. Mathias ad hec nactus tempus, quale nunquam antea magis idoneum, cogit exercitum delectumque habet. Undecunque potest, auxilia evocat, ut utranque Mysiam, Illyricum Daciamque recipiat. Dum id unum intendit et ingentes in Turcum molitur apparatus, nanque eo versus castra moverat, ecce tristis nuncius advenit, qui a Friderici imperatoris prefecto superiorem Pannoniam igni ferroque vastari retulit. Indoluit admodum Corvinus et graviter angebatur, quod tam idonea e manibus occasio per Cesaris inconstantiam elaberetur. Pretoriane Ottomanorum cohortes ad Hydruntum erant obsesse, in quibus potissimum Turcorum vires continebantur. Byzantium gravissimis factionibus et fratres intestino bello flagrabant. Nicolaus Gingi dux Macedoniam ingressus amissam olim dicionem patrata magna strage Turcorum plane recuperat. Id ipsum a Ioanne Cerno factum est, qui tandem compositis cum Baiazete rebus, cum sua preter Sabiacum vi recepisset, in pristino regno remansit, annua tantum stata Turco tributa rependit. Hoc anno audito Maumethis obitu Alphonsus cum Italicis Pannonicisque copiis Hydruntum, ut paulo supra diximus, facta deditione recipit, dediticias barbarorum cohortes ad servitia navalia redigit. Desperata igitur expeditionis huiusce fortuna Corvinus non mediocriter commotus ad ulciscendam Cesaris pertinaciam universas animi vires intendit; omnibus Ungarie finibus ante prospicit, qui Turcos attingunt, ne illorum incursu ab incepto revocari possit. Cum Stephano vaivoda Valachie principe, quam inferiorem quondam Mysiam appellabant, fedus iniit, qua quidem societate nonnulla in superiore Mysia vi Turcis ablata. Hinc Ioannem Schanderbeci filium aliosque regulos Illyrico ab Ottomano olim eiectos, ut paterna bona reciperent, hinc Ferdinandum socerum, qui Aulonis spe frustratus Chimiram dolo ceperat, in Baiazetem hortatur et irritat. Verum eodem anno Baiazetes imperator e manibus Pannonie regis Risanum astu oppidum eripuit. Hec igitur eo anno memoratu digna gesta sunt.

Proinde insequenti rex Hainburgum in Ungarie Austrieque finibus situm obsidere decernit; oppidum est decem milibus passuum super Pisonium citeriore Danubii ripa et in altissimi montis clivo resupinatum; in vertice arx est inaccessibilis, universe Austrie Pannonieque conspicua; hanc optimo presidio Cesar confirmarat. A tergo Prucchum subiacet duodenis pene stadiis remotum. Ne Mathiam quidem bellice discipline sane auctorem latebat nihil in Austria tuto moliri posse, nisi Hainburgum prius expugnaret; a tergo nanque relictum amploque presidio munitum multum obesse posse videbatur. A difficillimo igitur loco bellum

instaurat. Pisonium primo venit. Quarto Kalendas Iulias cohortes
 quasdam cum nonnullis equitum turmis eo submittit, que oppi-
 dum obsideant; ipse ad decimum lapidem castra posuit. Impera- 155
 tor audita obsidione, cum id provincie sue unicum propugnaculum
 foret, ne rem tanti momenti per socordiam et ignaviam amitteret,
 tria equitum milia obviam mittit, qui obsidionem inhibeant, plura
 in dies, uti usus ipse postulaverit, subinde missurus. Hostes 156
 prope adesse rumor erat et tumultus oboritur. Stephanus Sce-
 pusiensis comes Tetaurusque prefecti equitum a rege missi sine
 curribus et impedimentis his occurrunt. Cum in Pruchensem 157
 agrum pervenisset, Alemanni quadrato ex urbe agmine contra prod-
 eunt; vehementissimo utrinque impetu pugna conseritur; a prin-
 cipio in acie cadere nonnulli, sed Ungari numero impares, qui
 exploratum potius, quam pugnatum venerant, ab hostium ferocia
 inclinanti palantes fugiunt; instant a tergo illi, fusos insequun-
 tur. Stephanus dux ubique gentium fortissimus semper habitus 158
 et impatiens turpitudinis inclinatam aciem sistere conatur, fugien-
 tes aliquot obclamitans in ordinem revocat, subvenit laborantibus
 et, qua potest, vi arteque aciem instaurare contendit. Inter con- 159
 natus tandem irritos ab hostibus circumventus capitur, captivus
 nondum domitus abducitur. Duo custodes inermi dantur, qui eum
 asservent. Dum ceteros socios turba petit, a duobus, qui latera
 clauderent, Pruchum versus agitur. Captata loci et temporis occa- 160
 sione a custodis latere, quem ad levam habebat, ense ex inopi-
 nato rapit, transfodit utrunque atque horum manibus elapsus per
 avia loca in regia demum castra refugit. Fusi quoque dudum 161
 equites eodem paulo ante rediere; gratulantur prefecti fortissimi
 salutem omnes, quem tam prospere nunquam reducem videre cre-
 debant. Plerique, qui in castris cum rege remanserant, audita 162
 dudum suorum fuga longe maiora rati in proximam Pisonii ur-
 bem, ubi tutius agerent, se cum principe recepere. Post, ubi pau- 163
 cos fuisse captos ac ceteros cum duce Stephano in castra rex incol-
 lumes rediisse cognovit, Hainburgum longe maiore, quam antea,
 obsidione circumvenit. Machinas belli aeneas atque unam impri- 164
 mis rare magnitudinis Buda mox afferri iubet, quam ferrato plau-
 stro invectam vix equi circiter octogeni loco movere poterant.
 Cum has urbi admovisset, menia discutit, ingentes turres proterit
 et laxos ubique aditus patefacit. Contra presidiaria cum oppidanis 165
 turba iacturam menium nocte resarcit, aggerem pone murum eri-
 git. Insidiosa ubique fabrica tenditur, trinis circum castris civitas
 obducitur, ne quo adiuvare subsidio queat.

Clandestinis imperator internunciis admonetur tam arta urbem 166
 obsidione esse obsitam, ut, nisi cito subveniant, deditionem om-
 nino facere cogatur. Decem milia equitum tertio post mense ab im-
 peratore mittuntur, ut Pannonnes inde repellant aut, si id fieri ne-
 queat, civitatem militem commeatuque compleant. Cesaree, ut im-
 peratum fuerat, copie advenere atque occidente iam sole in con-
 spectu hostium affuere. Premisere currus omnes in adventu, ut 167

agminis magnitudinem copiarumque multitudinem celarent ho-
 stem; ingruente nocte unum tantum lumen visum in castris, maxi-
 mum ubique silentium actum, custodie ubique disposite. In medio
 tantum intervalli fuit, quantum aeneis mutuo sese machinis ledere
 possent. Contra rex ea nocte cunctos, qui ad Hainburgum duce- 168
 bant, aditus impositis militum presidiis obstruit, tormenta cuncta
 menibus admota hostibus obtendit, relicta obsidiaria manu reli-
 quos equites peditesque Alemanis opponit. Quamvis numero in- 169
 ferior esset, locorum tamen difficultate machinarumque copia
 usque adeo se suosque obfirmat, ut maioribus etiam viribus inde
 amoveri non possit. Alemani intempesta nocte cunctos urbis ad- 170
 itus explorant, imposita ubique presidia offendunt, tentant eiicere,
 irritos conatus sentiunt, mox re infecta in castra redeunt. Cum 171
 ex improvisio hostes affuissent, prior Aurane cum tumultuaria
 vexillationum manu his statim occurrit, multos interficit capitque,
 ad regem redit et inflammat ad prelium. Rex armatus consenso 172
 equo, cum forti animo illis occurreret, regalia signa iussit ex-
 plicari. Quod ubi factum est, signa a vento in hostes confestim
 intendebantur. Milites Augusto succensi auspicio vix contineri
 poterant. Cum Alemanis appropinquassent, tota nocte machine 173
 bellice eos infestarunt; post, ubi illuxit, ne tempus frustra tere-
 rent, desperato re communi omnium consensu castra retro movent
 et e contrario, veluti prelati curribus pridie advenerant, sic
 postero die postpositis recessere, ut, si quis a tergo impetus im- 174
 mineret, curruli sese oppositu facile tuerentur. Postquam Ale-
 manos abeuntes Ungari conspicantur, instandum a tergo multi
 esse, censent citatoque impetu congregiendum, ne inultos di- 175
 mittere viderentur. Despotes, cui a lupo cognomen erat, longa
 bellorum experientia preditus prelium cum hoste haudquaquam
 conserendum esse censuit, quando et numero et robore armisque
 longe superiorem esse diceret; nonnulli tamen regis iniussu a
 tergo insecuti manumque audacter conserere ausi parum prospere
 pugnavere. Cum hos pugnam inivisse Franciscus Aristus vexilla- 176
 tionum prefectus intueretur, ipse quoque armis abstinere non potuit.
 Cum delecto eos equitatu ad Prucchum usque persequitur et, dum
 inter confertissimos vir fortis acerrime pugnat, humero ab hoste
 transfoditur. Moses idem ausus ac ictu gravi lesus acie excessit.
 Cum illi Prucchum recto agmine contenderent, ab oppidanis non 177
 admissi, ne ibi forte a Pannonibus obsessi fame ac rerum inopia
 una absumerentur, in suburbanis consedere. Quicumque tumul- 178
 tuarium a latere tergo prelium commiseret, arreptis viginti
 curribus onerariis nonnullisque impedimentis in castra redierunt.
 Obsidionem rex instaurat repulsisque maiore animo auxiliis ur- 179
 bem oppugnat, diffringit menia atque dies aliquot nullum machi-
 narum genus cessare visum. Oppidani tandem ab omni ope desti-
 tuti, cum extremam reformidarent inedia et subsidia despera-
 rent, sese dedunt. Hainburgum igitur pridie Kalendas Octobris
 capitur. Quanti hec expugnatio regi constiterit, non facile credi 180

potest; plerique bis centies mille aureum prodidere. Arx, quamvis dies aliquot propugnari potuisset, a prefecto tamen acceptis tribus aureum milibus regi traditur.

Item eodem fere mense cum delectus Turcorum equitatus 181
Sinderovia prodiisset, ut Ungariam excursaret et pro more cuncta
diriperet, Paulus Cinisius, despotes, Petrus Dochius ceterique
illius ore proceres obviam occurrere in campum, quem Beccherem
appellant, Sinderovie proximum. Utrique convenere; collatis utriusque 182
signis pugna conseritur, cum in dextro cornu Paulus pre-
sideret ac in levo despotes; ductores ambo fortissimi circumactis
equitum alis sic hostem circumvenere, ut extremis ibi viribus sit
utrinque certatum. Turcus cedere non poterat, cum undique pre- 183
meretur; tanto minus Panno, qui certam iam victoriam assequi
confidebat. Dum ille se pertinacissime tueri et hic superare con-
tendit, magna utrinque cedes oboritur; subsidiarie mox a tergo
cohortes ac equitum turme successere, ut laborantibus opem af-
ferrent. Cum his prelium instaurant; quo cum omnes facto agmine 184
Pannonum cataphracti equites confluxissent, hostes extemplo
reiectione dato tergo se in fugam vertunt. Instant isti et inter fugi-
endum magna patrata strages. Turci demum fusi fugatique Sinderoviam 185
confugere. Tria milia in acie cesa, capti et saucii
multi; quingenti ex Ungaris desiderati. In victorie testimonium
magna pars prede a Paulo ad regem missa; pars quoque, veluti
signa et nonnulla spolia, templis affixa.

Capto iam Hainburgo, quod totius Austrie propugnaculum 186
non immerito dicebatur, imperator presidii cetera obfirmat
oppida imprimisque Prucchum hosti proximum et Cornamburgum,
quod magni in ulteriore Austria ponderis esse videbat. Mathias
ingeminato animo, ne ibi tempus tereret ac vires eluderet, Pruc-
chum preterit et Viennensem agrum adoritur infestatque, ubi Fri-
dericum imperatorem esse senserat. Hoc non ab re factum, ut 188
sensim et pedetentim Viennam caput gentis exterreat. Nonnulli
in suburbanis capti sunt, finitima quoque circum oppidula circiter
octo, imprimis S. Vitus, Podona et pleraque alia. Styriam
deinde percursurus penetrare voluit. Ad oppidum igitur, cui Nove 189
Ecclesie nomen est inditum, cum exercitu proficiscitur, quod de-
cem milibus passuum est ultra Neapolim. Ad Sceam Viennam 190
itineris angustia et impositis ibi presidii remoratus retroces-
sit Semproniumque pervenit. Hinc cum paucis equitum turmis
nonnullisque cohortibus militum ad obsidendum Kewzogh oppi-
dum contendit haud procul a Sempronio remotum. Id sine magno 191
negotio capitur; revertitur mox Sempronium, ubi dies aliquot
mora tracta. Ad obsidendam mox Viennam rediisset, nisi exhaustus
labore miles, defatigatus equus ac rerum inopia prohibuisset. 192
Sevit ergo bruma in Ungariam ad hibernandum copias revocare
decernit. Quare Sempronio movens Tatam venit. Quadragesi-
male hic ieiunium agitur; corpus animumque rex a belli labore
reficit recreatque; tertiodecimo ante Pasche sollempnia die Bu-

dam revertitur.

Ista hoc anno gesta sunt; postero multa oppida expugnata, 193
 ut ex ordine referuntur. Prucchum supererat in superioris Panno-
 nie Austrieque finibus magni momenti oppidum, quod Cesar va-
 lidissimo presidio et quavis arte muniverat ratus ibi haud minus,
 quam ad Hainburgum Pannonicas se vires vexaturum. Hoc tute- 194
 lam omnem itineris e Pannoniis in Austriam tendentis intercipit,
 inhibet commeatus et nemo sine presidiario comitatu hac iter fa-
 cere potest. Stephanus David, cui Hazy cognomen erat, a rege
 cum pretorianis cohortibus delectisque huc equitibus primo tem-
 pore mittitur; ii obsident. Civitas non solum milite, fossa, meni- 195
 bus, verum etiam optima arce circumfusoque amne munita in
 plano sita est; oblongum pulchrumque pre porta suburbium.
 Verno tempore oppugnari cepta haud facile capi poterat, quando 196
 varia circum munimenta prohibebant; tentata sepe expugnatio,
 menibus admote machine; tranata aqua, superata sepe fossa
 aggereque ad muros comminus pugnatum, adhuc tamen capi non
 potest; multi sub muro cesi; qui, dum audacter admotis ad men-
 nia scalis subire conantur, extemplo reiecti saxisque sunt obruti.
 Iam quartus ab obsidione mensis agebatur, cum David non minus 197
 ira, quam verecundia percitus extremis viribus hanc aggredi cogi-
 tat, ordines instruit et dato signo militum ignaviam vulgo increpi-
 tans primus completa fossa murum conscendit. Prefecti exemplo 198
 milites excitantur; obstant oppidani saxaque devolvunt. Inhi-
 bent contra sagittarii, urbs pari virtute undique oppugnatur. Ad 199
 obtrita demum menia perventum est, qua hostis haud difficul-
 ter intrare poterat; obstant intus oppidani et in aditibus, quos
 aenea tormenta fecerant, gravis pugna committitur. Misera hic 200
 cedes exoritur. Hi spe victoriae instant, timore mortis obstant illi.
 Sex circiter horis pugnatum. Ungari tandem ingressi urbe po-
 tiuntur. In primo ingressu ne mediocriter quidem sevitum, mox 201
 cedibus temperatum. Arx autem ipsa supererat, que nondum capi
 poterat. Mensem unum obsident et duodequadragesimo die pre-
 fectus arcis inedia coactus deditionem facit. Hic annus Prucchi
 captivitate insignis habetur.

Insequenti vero anno, qui octogesimus quartus supra mille- 202
 simum et quadringentesimum numeratur, Cornamburgi obsidio
 ardua quidem et perquam difficilis rite successit, que non minus
 hunc, quam illa superiorem effecit insignem. Vienna urbs sane 203
 potentissima obsideri non poterat, nisi oppida quedam, que sa-
 persunt, ante caperentur. Nunquam enim illa capi potuisset, nisi
 supra Danubius erectis utrinque turribus impositisque presidiis
 occluderetur, ne quid commeatum auxiliorumve ab Alemanis se-
 cundo amne facile demitteretur. David igitur cum, iisdem copiis 204
 et pretoriano equitatu regio iussu Cornamburgum obsidet. Clau-
 stramburgum autem, antequam Prucchum caperetur, Pandobes
 Bohemico genere natus prefectusque equitum insignis a rege
 occuparat. Quin et oppidum, cui a divo Hippolyto nomen est in- 205

ditum, subducto ingenti mercede prefecto arcis subinde receperat. David multo milite ac omni machinarum genere civitatem a Cesare studiosissime munitam esse regi significavit, pluribus ad hanc obsidionem copiis opus esse docuit; quare huc regis imperio Bohemicus quamprimum exercitus advenit. Acerrima civitas obsidione circumducitur et iam fossae menibusque hostis imminet; multe circum turres constituuntur assiduoque presidio munite; cum oppidanis eminus quotidie certant. Ferree utrinque glandes ac saxa mittuntur, prohibentur muro custodes et graviores machine menibus admoventur, quibus murus obteratur et hosti paretur aditus. Instaurant diruta intus oppidani menia et ex materia egestaque terra aggerem pro muro attollunt. Cecas quoque fossas ac vallum nocturno labore conficiunt et solliciti conatus hostiles irritos reddere nituntur. Cum graviter obsideri id imperator acciperet, exercitum Alemanorum haudquaquam ignobilem mittere decernit, quo repente solvatur obsidio. Itaque e Noricis et Vindelicis milites conducit, delectum comparat equitatum et exercitum obsessis opem allaturum, quam ocissime potest, eo mittit. Alemanos postquam propius adesse rumor effunditur, obsidiaria, ne qua ex oppido fiat eruptio, manus relinquitur, oppidanos iubetur asservare et nihil a tergo timere docetur. David cum ceteris copiis adversus hostes prope metantes instructo agmine proficiscitur. Cum in conspectu fuissent, clamor ingens affertur et collatis utrinque signis manus conseritur; a principio mira utrique ferocia concurrere, cedere nonnulli, qui infestis congressi hastis equo defluxere humique a cataphractorum equitatu misere conteruntur. Vix in horam furor iste perducitur, cum Alemanorum equitatus inclinatur; quod ubi Pannonnes et Bohemi miro robore prediti conspexere, adauctis mox animis presenti victoria longe maiore, quam antea, impetu feruntur. Illi, cum vehementem incursum ferre non auderent, tergiversari ocepere, palantes deinde fugere; instant a tergo isti ac, necubi consistere patiantur, ad quintum usque lapidem insequuntur. Castris igitur exuunt et inter fugiendum multos intercipiunt, sed in proxima se illi oppida recepere. David signo receptui dato letus ac ovans cum victrici manu in castra revertitur, ubi victoriae letitiam conviviis gratulabundisque clamoribus una concelebrant; in oppidanorum invidiam exhilarantur omnes ac insomnem noctem agunt. Contra illi tristes et gemebundi silentium intus agunt et, qui liberationem dudum sperabant, spe sua frustrati taciturnum luctum exercent; demum vires ac animum ab ipsa desperatione concipiunt. Multi, postquam illuxit, a vallo sub publica fide tuto locuti ad deditionem eos hortati sunt, quin et preces adiecte, ne calamitosam obstinationem persequantur, quando et honori suo ac fidei Cesaree satisfecerint, neve ad extremam et hostis sevitiam reservent; dum tempus est, resipiscant et clementissimi prepotentisque principis legem accipiant. Contra obaudire illi et obstinatissimum silentio animum indicare, quin et

inter se iubente prefecto coniurare potius omnia perpeti, quam Pannonis iura subire, cuius imperio nihil ducunt esse miserius. Instauratur itaque obsidio, at spes auxilii in dies adimitur. Prelium sub menibus sepe tentatum, nunquam tamen vi capi potuit, quando non pari animo certabatur, pro laude enim commodoque isti, obfirmatis contra pectoribus pro vita, patria et libertate illi, quippe qui indulgentissimi Cesaris imperium pro summa libertate reputabant. David autem sub menibus, dum prelium ciet, glande percussus interiit a crepitanti machina tunc emissa. Hiems in castris acta. Rex fame vincendum esse censuit; que cum septimo mense seuire in urbe cepisset, extrema Cornamburgenses inedia laborarunt; tanta eos fames invasit, ut equos felesque in deliciis lautissime gule censerent.

Ea hieme, cum rex Bude hibernaret, rumor incessit Achileiam, quam nunc Cheleiam dicunt, et Nestoralbam ad Istri ostias a Turcis gravissima obsidione premi. Stephanus Valachie princeps, ad quem hoc bellum precipue pertinebat, societatis iure ad Mathiam confugiens auxilia petit. Rex quamvis initas cum Turco indutias habebat neque in condicionibus indutiarum per oblivionem de inferioris Mysie tyranno quicquam cautum erat, tamen societatis et catholice fidei gratia non dimissa Cornamburgi obsidione ingentem delectum habet atque proceres omnes cum nobilitate nomina dare iubet; libenter ob periculi magnitudinem, ne Achileia caperetur, nomina detulere. Magnus comparatur exercitus et Varadinum versus iam castra moventur. Nondum eo castra pervenerant, cum tristis nuncius advenit de Achileia dudum et Nestoralba esse actum. Rex, qui nondum ex Buda moverat, ne tantum frustra exercitum comparasse videretur, castra Pisonium per ulteriorem Danubii oram revocari iubet; comitem Stephanum, qui paulo ante Feleston oppidum sane munitissimum prope Rakospurgum in Styria expugnauerat, ut a citiore Danubii parte Viennam obsideat, clam admonet; ipse ad Pisonium castra consequitur ibique dies aliquot subsidet. Stephanus datis exercitibus supplementis mira celeritate regia mandata peragit. Sed, antequam ultra prosequamur, nonnulla, que hoc anno acciderunt, interiicienda sunt.

Ab anni principio Ioannes cardinalis Aragonius in Ungariam rediit et, cum in urbe Roma repulso Ioanne Alemano legitimus Strigoniensis ecclesie archiepiscopus pronunciatus esset, decimo Kalendas Martias Strigonium subivit et apostolica auctoritate regioque beneficio metropolitana in Pannoniis dignitate potitur. Hoc etiam tempore, cum septem Turcorum equitatum milia per Corvatiam in Carinthiam et Carniolam ad diripienda quedam emporia erupissent, in reditu ad Hunnum amnem Corvatie, qui Savum influit, abductis decem milibus captivorum et ingenti preda a despote Lupo, Gere Mathia bano, comite Berardino ceterisque provincie regulis ad internecionem cesa sunt et omnia recuperata, ubi Berardini Frahepanis virtus nimium enituisse

perhibetur.

Hoc etiam anno Stephanus Crispus, Urbani questoris e so- 229
 rore nepos Ferrarie primum, deinde Rome humanitatis studiis
 mirum in modum eruditus, claro item ingenio et profusa eloquen-
 tia peditus ad Casimirum Polonie regem primum legationis mu- 230
 nus obiit, ad quod omnium iudicio nimis videtur idoneus. Nam
 aspectus huic erat usque adeo hilaris, faustus et iucundus, ut
 primo spectatores obtutu conciliaret; accedebat summa comitas,
 item compta et suavis oratio, nec non ingenita quedam probitas
 cum incredibili humanitate coniuncta, ut vel invitum hominem
 amare cogat vel infestissimum quenque animum vincat vel impla-
 cabilem exoret; neque deest animi magnitudo libertasque lo- 231
 quendi et mens simplex nullius mali conscia; insuper animus ad
 benemerendum semper intentus nec iracundie nec invidie ex-
 positus.

Hunc etiam annum Petri Colociensis archiepiscopi captivi- 232
 tas fecit insignem, quod non sine maximo omnium procerum stu-
 pore accidit. Primus hic erat principis secretarius, qui solus di-
 cendi libertate apud eum omnia libere loquebatur. Damnabat in- 233
 solentia palam tributa, que ter quaterve quotannis ob ingentia
 diversaque bella a rege imponebantur, quas dicas appellant, qui-
 bus non modo domesticatim, sed viritum aureum quisque nummum
 pendere cogebatur. Id vulgo et apud principem sepius improba-
 vit. Preter lingue libertatem, qua maximi quandoque viri se
 tangi sentiebant, factiosa quedam accessit emulatio huius gratia
 inter principes exorta, qua regis animus offendebatur, quamvis
 eum alioquin diligeret et observaret. Commotus tandem rex aut
 coercende libertatis gratia aut uti dilectissimi exemplo amici ce-
 terorum audaciam procerum deterreret, hunc preter sacrosanctam
 metropolitae dignitatem in carcerem sane coniecit. Sed honestis-
 sime per arces regias asservatus annos sex circiter lingue sue
 penas luit.

Item eodem anno Urbanus questor invidiorum obtrectatione 236
 parum abfuit, quin carcerem subiret, sed innocentie, probitatis
 ac fidei spectate ratio virum integerrimum regique commodissim-
 um periculo liberavit. Quin etiam regina et cardinalis Aragonius 237
 frater intercessere, ne insontem virum, sine quo rex commode vi-
 vere non posse videbatur, indigne livor alienus opprimeret. Id
 Mathie vitio quandoque datum obtrectatoribus delatoribusque
 fuisse paulum obnoxium et hinc in amicos plerunque sevitum.
 Nimia, qua eos, beneficentia, prosequabatur, et pro delatorum 238
 suasu lesa charitas in criminis huiusce regii causa fuit atque lesa
 fides in exigendis plerunque penis immodica esse solet. Explo- 239
 rata quotidie Urbani probitas et inaudita cum integritate patientia,
 item ingenii dexteritas, laboriosum obsequium et inaudita pruden-
 tia nullum criminibus locum reliquit. Multi illud de Urbano mem- 240
 morant, quod in Hainburgi obsidione accidit. Cum rex pecuniis
 et defecto iam exercitu nimium laboraret, qui maxima supple-

menta postulabat, ab urbe Buda questorem acciri iubet, necessitatem aperit et maxima cepta patefacit. Postremo nil aliud hominem dimissurus inquit: Urbane mi, quod nobis opus est, id pro industria, fide diligentiaque tua cura prospiceque et tu consiliorum triumphorumque nostrorum ministerium auxiliumque vale. Quinquagesimo post die militum quinque milia in regia castra misit, quot rex, si in Ungaria delectum habuisset, cogere nequivisset. Cum et celeritate et beneficii magnitudine opinionem ille regiam superasset, Universa, inquit, talem virum Ungaria centum annis fortasse non genuit. Ex eo tempore tanta in Urbanum regie pietatis et beneficentiae facta fuit accessio, ut hunc pre ceteris virum amaverit cunctisque honoribus et commodis excoluerit. Sed ad diverticulum revocetur oratio.

Cum rex Pisonium vesaniente bruma venisset, quo exercitum paulo ante premiserat, hinc a comite Stephano favente sevitia hiemis ad occupandos Vienne pontes eorumque presidia, hinc ab his, qui Cornamburgum obsidebant, ad capiendam civitatem excitabatur; uno tamen tempore utrumque prestitit. Proinde decimo quinto Kalendas Februarias Pisonium cum exercitu proficiscitur et usque adeo increbrescente frigore, ut accensi duodetriginta pre rigore brume coleos amiserint, ad Cornamburgum pervenit. Oppidanos percontatus, ane adhuc sese dedere vellent, nondum tempus esse respondere, missuros ad Cesarem, si aliam opem implorare possint; sin vero denegabitur, civitatem continuo dedituros. Dati super ea re dies aliquot. Interea, ne tempus frustrateratur, instaurata obsidione Danubium seva glacie rigentem sicco pede superat, secum pretorianos equites et cohortes ducit, Claustramburgum proficiscitur. Subsedit hic dies aliquot, mox ex composito per Danubium itineris cuiusque gravissimi tolerantissimum ad Vienne pontes quadrato agmine descendit. Ex tribus ibi presidiis, que cives imposuerant, duo in insula eo die expugnat; tertium, quod ad caput pontis ex parte continentis erat impositum, que ad Moraviam spectat, expugnare non potuit; duabus turribus, quas eo die ceperat, presidia sua imponit. Deinde utroque ponte potitus et sat eo die fecisse ratus retro pedem refert. Item iter emensus ad Cornamburgum et sua castra revertitur. Desperatis tunc auxiliis Cornamburgenses iam inedia absumpti deditionem ultro fecere.

Capto igitur Cornamburgo, quod Vienne propugnaculum esse videbatur, et impositis ad Danubium utrinque presidiis, ne quid demitti posset commeatum, rex cum viribus universis ad obducendam artissima obsidione Viennam descendit. Die, qua divi Pauli conversio celebratur, a parte, que ad Claustramburgum pertinet, ut ex auspiciato obsidionem iniret, castra locat; que vero ad Podnam spectat, comitem Stephanum paulo ante metari iusserat. Exactis Pasche sollempnibus accitus ex inferiore Pannonia dux Laureritius inter ceteros proceres genere, animo opibusque prepollens et a principe filii loco semper habitus cum maximo exer-

citu advenit et preter Danubium ab Ungarie parte castra ponere iubetur A parte Moravie, que ad Septentrionem respicit, pre-repti dudum fuerant a rege pontes et potissimus rei frumentarie aditus obstructus. Presidium, quod in continente supererat, locatis subinde castris decimo quinto Kalendas Aprilis facta deditione recipitur et eo quidem die, quo sic insignis fuit solis eclipsis, ut stelle multe conspecte fuerint. Multi quoque illum solis defectum Cesari infaustum fore predicarunt, nec ab re quidem, quando eo anno, qui octogesimus quintus ultra quadringentesimum et millesimum numerabatur, Viennam Austrie metropolim cum maxima patrimonii iactura imperator amisit. Cum igitur ab huius anni principio haud inconsultis sideribus et auspiciis rex Viennam obsidere ceperit, quo infesta Friderico astra esse noverat, huc animum universum intendit, ut indomitam hactenus Pannoni civitatem, preterea florentissimam et opulentissimam aut vi aut inedia domitet. Sciebat enim, si superbissima urbe potiri poterat, id perpetuum victoriae monumentum omnino futurum. A superiori parte proximum urbi castellum erexit; id ipsum cetera castra facere iubet. Suburbana deinde oppugnat et diripit; eximias amenissimasque villas miles circum populatur et incendit. Nemo ex urbe prodire audet, que innumera multitudine completa iam fame seivissima laborare ceperat. Defectis plebeie gule alimentis ad impura et interdicta descendere necessitas adegit. In macellis et popinis equi carius opinione veniere; clam nec felibus parsum nec muribus. Interea rex nunc suburbia, nunc ab insula Danubii menia tentare, quotidiana ciere prelia, quandoque circumire solus cum accenso menia et cives nonnullos alloqui; mirari milites principis securitatem. Rex castra sua, que in superiori parte locaverat, secundum Laurentii ducis adventum extemplo reliquit. Gereb Petrum consobrinum fratrem his prefecerat et se cum aulica manu in Laurentii castra redegit; nullo unquam cessasse die visus est.

Inter obsidendum, cum pretorianis copiis ad expugnandum Eberstorphum proficiscitur matrone cuiusdam nobilissime oppidum et summa sollicitudine sumptuque munitum, quod cum obstinatissimum et nefarium scelus ausum esse vidisset, non indignas ab auctoribus penas exegit. Cum pre menibus castra posuisset et in humili domuncula cum proceribus quibusdam et familiaribus accubaret, emissa ab oppido ferrea glande paries terrestri incrustatione transfoditur et parum abest, quin rex ictu sulphureo transverberetur. Constans et intrepidus ipse perstitit; ceteri presenti periculo consternati, ubi respirarunt, id malo dolo et summa perfidia factum mussitarunt. Paulo post oppidum expugnatur; milites presidarii in captivitatem militarem accepti. Data matrone venia; Hiereslaus scriba eius ac Bohemicarum rerum procurator intentarum regi insidiarum postulat et maior in dies hoc suspicio suscitatur. Crimen rex dissimulat, ad Viennam domitandam incumbit, obstruit delatoribus aures et ad pacatiora

querendum crimen tempora differt.

In castra reversus vineas, turres, crepitantes machinas ac cetera tale genus muris admovet. Unum e suburbiis noctu vi capitur, incenditur magna ex parte, ubi non mediocrem plebis iacturam fecisse dicitur. Cives hinc omnes animo consternati, quia optimum civitatis membrum interceptum esse conspiciantur. Rogatus Caesar, ut his auxilium mitteret, Patiantur, inquit, eam Viennenses inedia, quam suum quondam principem in arce obsessum perpeti coegerunt. Quin et portis quotidie insultabat hostis et quam maxime, qui in stationibus insularis versabantur. Vario in Danubii ripa eventu pugnatum. Semel Ungari hac menibus propius accesserant, sed ab erumpente ex urbe multitudine reiecti interdicto ponte, cum se in insulam recipere nequirent, armati sub undis humo reptantes remenso vado in tutum rediere. Laudata nimis militum audacia. Viennenses tandem ab omni auxilio destituti execrabilique fame adacti Kalendis Iunii Mathie deditio- nem hanc sine perpetua Caesaris ignominia fecere. Ingens eo die terremotus fuit, quo quidem ostento significatum est regem urbe non diu potiturum ibique diem novissimum obiturum. Rex ovans pridie feriarum divi corporis Christi Viennam ingressus, quem Stephanus comes Scepusiensis, Gereb Petrus, dux Laurentius et plerique Bohemorum Pannonumque proceres in palmata veste secuti sunt. Postero die Beatrix regina occurrente omnium ordinum multitudine ac turmis equitum singulari pompa urbem in- vecta. Ibi ac in proximis oppidis milites estivarunt, refecerunt recrearuntque corpora longo belli labore defatigata. Urbem omnium rerum copia complevit. Privilegia nonnulla civibus pro voto concessa; sex circiter menses Vienne acti sunt. 268 269 270 273

Interea non omni ex parte cessatum; capta nanque Vienna comes Stephanus cum duabus legionibus nonnullisque proceribus Neapolim Viennensis sane pulchritudinis emulatricem obsidere iubetur, ne quid in Austria magni momenti plane supersit, quod suum imperium nuperrime partum inturbet. Ipse cum regina, sine qua nihil domi militieque moliebatur, sexto post mense Vienna recessit Budamque pridie natalis dominici per- venit. Verum illud quoque memoria dignum esse censemus, quod de ipsius insidiis paulo supra dicere ceceperamus.

Rex urbe potitus, ut in proditores, parricidas et insidiatores quereretur, edixit, nam insidias ad Eberstorphum sibi tentas oblitterare non poterat. In Hiereslaum comperto indice primo quesitum. Scriba regi perquam familiaris capitur, conicitur in vincula et in questione positus se clam illius oppidi prefectum admoruisse confessus est eum obsidionis periculo alio modo liberari non posse, nisi accubantem in proxima domuncula regem glandivomo tormento petaf; item, ne falleretur ictus, locum pre- signasse regie selle in scopuli speciem; in Viennensi quoque ob- sidione sub adulterinis litteris clam civibus e Moravia Bohemia- que comteatus sepe misisse. Paulo post eadem rogatus dicere se 276 277 278

pre cruciatibus ista fuisse confessum et, ne capitis reus esset, sui conscius extra questionem nihil de confessione affirmare; hac demum cavillatione uti eculeo se resistere non posse; item insontem esse et nihil unquam in dominum de se optime meritum fuisse molitum; demum mori malle, quam supplicia morte graviora perpeti. Rex, qui facinus sat compertum habere dicebatur, per internuncium et prefectum carceris eum admonuit et, si veniam postularet, se non denegaturum esse pollicebatur. Contra ille, ne criminis regie maiestatis reus esse videretur, nunquam adduci potuit, ut sibi supplicaret ignosci capitisque supplicium deprecaretur; capite multari maluit, quam ex venie petitione precariaque vita pro confesso haberi ac tanti facinoris infamiam sustinere. Commotus hac obstinatione princeps rite de eo iudicium haberi iussit et, antequam ille Vienna discederet, convictus ille capitis in forum educitur. Equis scribe mortem oculis Viennensis populus spectare non poterat. Multi lictorem clam admorebant, ne letali vulnere seviret in cervicem; at ille sive ex composito mercede dudum adactus sive casu cervicem haudquam amputavit, ictum ex media cervicis parte in humerum deflexit. Cum repetere vellet, saxis a populo petitur in fugamque stricto ense conversus abiit. Hiereslaus in proximas edes translatus e profluvio sanguinis paulo post animam efflavit. Pandobes fraterne mortis indignatione ad Cesarem transfugit. Hic fuit infelicis scribe exitus.

LIBER VII.

Mathias igitur Vienna semestri obsidione capta cum Budam venisset creberrimis populorum precibus revocatus, quia regnum absentia regis latrocinis et iniuriis infestum sane reddiderat, nihil profecto eo fuit antiquius, quam crimina purgare, optimis legibus et institutis instaurare rempublicam, que legum veterum indulgentia nimia scelerum fecunditate laborabat. Octogesimus iam sextus annus agebatur supra millesimum et quadringentesimum, cum hec, que sequentur, Bude rex moliri ceperit. Capta nanque Vienna quinque tantum annis ille supervixit, ne diutius ex terremotus ostento victoria potiretur. Imprimis questorem Urbanum et Emericum palatinum, quos et amare et observare videbatur, in colloquium admisit. Ioannem Variensiensem episcopum, supremum ea tempestate cancellarium adiecit, ut de indicendo Bude conventu rite decerneret. Quin et Thomam Dragi pretorem regni, quem non multo ante tempore legatum ad Sixtum pontificem miserat, e sententia cuncta mandata cum summa laude ac munificentia peragentem, item maximi callidissime ingenii virum et ad maxima queque negotia natum, preterea Scythica lingua nimis eloquentem seorsum alloquitur, percontatur mores hominum et de abrogandis iubendisque legibus cum homine verba facit, ut qui multos in Ungaria annos ius dixerat; ex eo,

quecunque opus essent et quam gravi scelerum mole Pannonia laboraret, intellexit. Demum senatus habetur; e patribus et proceribus nemo fuit, qui regni mores non abominaretur et renovandas leges non censeret.

Quare conventus, quam dietam appellant, optimatibus, populis et nobilibus ad Calendas Ianuarias indictus; ad statum omnes diem convenere nec parum quidem temporis absumptum, quando rei moles ita postulabat. Ibi sanctiones edite ac regia et senatus auctoritate munite; imprimis palatinale iudicium abrogatum. Et, quando Ungaria in conventus divisa est, quos comitatus appellant, cuique in flagitiosos latrones, sicarios et fures animadvertendi potestas facta, ut presidente conventus prefecto de gravissimo quoque reo perorata causa supplicium sumatur, et proclamate, ut aiunt, congregationes ad declinanda, que accidere solebant, scelera interdicte. Octave statis temporibus bis quotannis non sine iudicum designatorum vicariorumve presentia indicte. Id ipsum Transylvanis Sclavonibusque preceptum. Ad inhibendam iudiciorum eternitatem lex promulgata, ut omnes cause in quattuor tantum octavis definiri debeant, ultra prorogare non liceat. Causis etiam insinuationum modus impositus. Ad intercipienda litigantium subterfugia octavarum tempore prorogationes regie maiestatis omnibus abolite, nisi qui vel peregre profecti vel in castris muneribusque publicis occupati fuerint. His in tribus tantum octavis indulte prorogationes, in quartis autem causas definire coguntur. Quin etiam absentibus, quibus parentes fratresve domi una viventes fuerint, exceptio nihil illa suffragatur, prorogationes autem falso impetrantibus vel allegantibus lingua eruenta proposita. Item in quoque conventu preses eius, ne solus ius dicere videatur, e nobilitate octoviratus decemviratusve magistratum quotannis creare iubet, quibus in tribunali coniudicibus utatur. Munus hoc recusantibus statuta multa et in falsitate deprehensis humanitatis et honoris iactura ex lege tributa est, quando et centum et viginti quinque aureorum adiecta multa.

Cum nobiles iudicia exerceant et olim a plebe ipsi iudicari solerent, ne prepostere superioribus inferiores in dicendo quandoque iure preessent, lex lata, ut in causis nobilium potiores e nobilitate iudices crearentur. Testimoniis executionibusque sacrorum collegiorum et conventuum modus prescriptus est et ad Sigismundi regis morem revocatus. Periuris et falsariis sacerdotibus pena gravis imposita, nam sacro extemplo munere abdicare debent. Abbates et prepositi, qui severiori vite se alligarunt, in testimoniis ceterisque rebus a sue religionis institutis nunquam desciscere iubentur. Episcopis quoque mandatum, ut singula sue dieceseos collegia sacerdotum bis quotannis recognoscant; si abfuerint, per vicarios boni pastoris officium resarciatur. Item consensus et voluntatis evocationes inhibite, quando corda hominum nemo preter deum intueri potest. In publicis questionibus agendis pristina consuetudo servata, itidem etiam in evidenti

recognitione. In exequendis questionibus hic ordo traditus. Si 19
 ex quorumvis relatione sic querele, veluti facte fuerint, reperientur,
 non reus, ut ex more hactenus factum est, se purgare, sed actor
 suo coniuratorumque suorum iuramento, prout rei magnitudo et
 ex iudiciis deliberatio postulabit, actionem munire debet et usque
 adeo, uti si de illatis damnis agatur, iuramentum pro regni more
 sibi adiudicetur. Quod si sat probasse videatur, nondum reus po- 20
 tentie gratia convictus esse dicatur, sed centum aureis iudici et
 actori eque dividendis ipse multetur adversariumque prestat
 indemnem. Sin autem diversa utrinque testimonia fuerint, tunc 21
 iudici liberum est, an actorem pro illatis sibi damnis iurare, an
 reum potius se purgare velit.

De illata vi, qualiter inter actorem et reum in iudicio sit agen- 22
 dum, rite prescripsit et testimoniis approbationibusque inducendis
 modum instituit. Item etiam et innocentie tutande et his, qui vi 23
 impulsuve alieno aut necessitate aliqua peccarunt, prospectum,
 in quibus, quid iustum et equum sit, iudicem observare iubet.
 Depulsionibus quoque cavit, ne iustitia interturbetur, et tri-
 forenses proclamationes abolevit.

Cum Ungaris mos esset deficientibus utrinque probationi- 24
 bus in quoque negotio singulari certamine causam definiri, quod
 absurdum est ac ceteris foris inauditum, lex inde lata, qua
 (ubi que poterit, quam in militari foro) duellaris dimicatio anti-
 quata est. Item edictum gravissimam quanque causam ad quar- 25
 tas octavas terminari oportere. Nullus etiam ꝑ iudicibus, quos
 protonotarios seu magistros appellant, neque pretor, qui his pre-
 est et regiam maiestatem refert, extra tribunal sine colle-
 gis ullam ferre sententiam aut edicta litterasque ullas emittere
 privatim potest. Omnium, qui propriam iurisdictionem detrecta-
 rant, utque a rege tantum iudicari possent, impetrarant, privilegia
 sunt antiquata preterquam perpetuorum, ut aiunt, comitum, qui
 divorum regum beneficio a ceteris tribunalibus asserti regali
 tantum iudicio sunt obnoxii. Cavit etiam, ne quid bonorum malo 27
 dolo aut inique impetraretur, ut bona a regia maiestate collata
 nemini accipere liceret, donec prefectus iudicesque conventus illa
 alieni iuris esse possessionem vi obierit, iudici universoque con-
 ventui repellendi eius potestas data; quin etiam in donationibus 28
 clausulam illam de manibus regiis, quam tanti momenti esse cense-
 bant, irritam esse iussit, item superiores bonorum omnium dona-
 tiones, que iniuria et preter regni morem data fuerint, edicto
 publico rescidit. Ad coercendam feneratorum avaritiam san- 29
 xit, ut oppignorata bona, que usus fructus gratia satisfaciendis
 non redduntur, in primis octavis perorata causa dominis sine fe-
 nore primaque sorte redderetur, quin et pro usure multa fenerator
 adversario tantum ultra solvere debeat, quanti oppignorata
 olim bona extimentur. Querentibus et proclamantibus iura pos- 30
 sessionum ad se pertinere, que ad fiscum defectu heredis recidisse
 creduntur, iuste providit, item etiam regie donationi adversanti-
 bus. Matronarum dotes salvas ac ratas semper esse voluit, sa- 31

crarum quoque potestatum et magistratuum auctoritatem, si quid sibi cum nobilitate rei foret, ne actor in reum videretur habere imperium, hac re duntaxat coercuit aliquantulum, ne inconsulta regia maiestas in nobiles ex anathemate sevire liceret.

Cum negotiatores atque alii tuto per regnum vagari non possent ob creditorum sevitiā, qui debitores aut alios pro debitoribus in foro sistebant, optime cavit et utrisque prospexit.

Damna quoque proceribus et nobilitati, quacunq; per Ungariam iter faciant, sunt inhibita. Item cuique pediti equitive edictum est, uti commeatus et pabula vendentibus ubique satisfaciant; si vi rapiant, apud iudices conventus regiam maiestatem penas luant. Quin et copie regie in faciendo itinere, si quid vi ceperint, prefectus, qui audaciam non represserit, delatus pro illis cumulate satisfaciat. Item, ne quis soluto iam exercitu et data missione in alienis possessionibus immoretur, quare damnum inferat, ita cautum est, ut, quicumque ex militari mora detrimentum acceperint, ab eorum prefectis presentur indemnes. Quod, si quam in dicendo iure conventus iudices prefectusve ignaviam negligentiamve prestiterint, apud regiam maiestatem provocare liceat illaque lesum indemnem prestare debeat. Rogatio quoque in Polonos et Venetos promulgata, qua his nemo bonorum quicquam vendere aut oppignorare potest. Facinorosam quoque clientium audaciam coercuit, sic enim legem tulit. Quod, si qui clientes in aliquo munere a patronis constituti facinora in alios iniqua patrarint, pro his patroni patefacto scelere apud conventus prefectum levis satisfacere debeant, sin vero nullo in munere fuerint, sed domi sue patronorum stipendio fruuntur, ipsimet apud forum conventus proprii penas luant nullamque opem a patronis accipiant neque patrono cuiquam his afferre patrocinium liceat. Quin et patronis data potestas, ut clientes, qui alios vi iniuriave aliqua affecerint aliquave facinora patrarint aut male dispensationis rei aufugerint reddendamve rationem administrationis detrectarint, contempto privilegio nobilitatis et immunitate concessa in vincula conicere et ad satisfaciendum cogere liceat, si vero inique captos coniectosque in carcerem illi causentur, citato in ius patrono in primis res octavis diiudicetur. Si cliens et familiaris ad alienum patronum transfugerit servitioque alligavit alieno, ille mox eum dimittere debet, quod si non fecerit, duplices pro eo penas pendere teneatur et in primis res octavis agatur.

Ne portoria plus equo ubique exigenterent, conventuum prefectos cum potioribus nobilitatis recognoscendis viis, pontibus et aggeribus prefecit. Rusticos, qui antehac ex aliis pagis ductis uxoribus denarios quadraginta portitoribus solvere cogebantur, item tonsores et sartores eadem pendere coactos ad viatorum portoria longe leviora redegit. Sigismundi regis edictum olim antiquatum in usum restituit, ne quis gubernator prefectusve provincie palatinusve in basilicas, abbatias et preposi-

turas a divis quondam regibus fundatas donatasque aliquid au-
 dere disponereve possit, quando ad regiam tantum potestatem
 sacra hec dispositio pertineret. Qui furem, homicidam, latronem 44
 facinorosumve quemvis captum ultro dimiserit, parochiali iudici
 pro eo homagium solvito lesisque satisfacito. Villicorum abduc-
 tores unius anni apud conventus prefectum patronis reddunto;
 si recusarint, pro eis homagium solvunto; contra patroni villi-
 cos trasmigrare volentes sine vi ulla dimittunto. Qui malo dolo 45
 varia causati villicos remorantur invitos, sex et triginta pro villico
 quoque aureos expendunto. De decimis quoque exigendis legi-
 time cautum. Decimatoribus prescriptus est modus; hortus cel-
 laeque vicatim vinaria interdicta. Rustici, qui decimatorium mini-
 sterium obeunt, immunes esse iubentur. Decimarum contro- 46
 versias ad regnum et e Romano foro ad regale tribunal revoca-
 vit. Insuper Romanum forum regnicolis omnibus, item opti- 47
 matibus, pontificibus prepositisque interdictum. Decimarum
 iudicium regie tantum maiestati conservatum. Potestati quo- 48
 que regie ius prescriptum est, ne quem ex prima querela dela-
 tioneve procerumve consilio damnet aut ignominia et perfidie
 crimine notet, donec a conventus prefecto eiusque nobilibus rem
 veram liquido fuerit edoctus.

Adversus perfidos, infideles ac sceleratos sanctio quoque 49
 non magis gravis, quam mitis edita. Reos violate regie fidei
 dies tantum quindecim sine mala fraude domi tenere, interim pro
 eo supplicare, innocentiam tueri, item ad regem tuto adducere
 abducereque quisque potesto, ultra non licito. Quicumque 50
 adversus ausus fuerit, reipublice hostis habetor, domus et for-
 tune ad erarium rediguntor. Fures, sicarios, homicidas, latro-
 nes, incendiarios alienarumque litterarum et monetarum adulte-
 ratores domi nemo excipito; qui exceperit, querenti conventus
 prefecto iudicique tradito. Qui facinora defenderit contrave 51
 fecerit, domus et fortune fisci extemplo suntote. Qui pro his
 arma sumpserint, quas illi debent, penas expendunto. Fodinas 52
 auri argentique, item salis aliorumve metallorum, que in privatis
 possessionibus reperiuntur, rex citra compensationem equam non
 accipito; si nihil rependere voluerit, earum ius omne fructusque
 domini possessionum esto. Tribunal comitum Zagoria ad Va- 53
 rasdinum antiquatum; conventus huiusce incole Slavonum pro-
 cerum tribunal petere iussi sunt. De his, qui homicidium ex de- 54
 dito studio patrarunt, ita sanxit. Quicumque hominem interfecerit,
 capitalis esto; si aufugerit, ubicunque deprehendetur, ex regni
 consuetudine conventus ipse prefectus iudicesque de eo penas
 sumunto. Si vero non ex industria, sed forte fortuna ex inopina- 55
 tove quem necaverit, reo cesique cognatis componende cause
 potestas esto. Ad quodque tribunal quicumque convictus erit,
 extemplo adurgente iudice, si recusarit, iudiciorum onera et li-
 tis expensas ex more rependito. Ad inhibendas futiles frivolas- 56
 que appellationes edictum, quicumque ad maiestatem regiam pro-

vocarit, si succubuerit, geminatas litis expensas, geminata quoque iudiciorum onera pendito omnisque remissionis expers esto. Qui autem iniusta iudicia queritur, haudquaquam irreverenter ad maiestatem regiam, palatinum pretoremve provocato; si ceserit succubueritque, eas, quas illi damnati debuissent, penas expendito. De convictis in iudicio capitibus Lodovici regis edictum instauravit. Id tale fuit. Convictus quisque capitibus in iudicio mox ad iudicem in vincla coniiicitor; dies tres concordie gratia detinetor; re composita in adversarii manum traditor, ut legitime ab eomet pene exigantur, que a corpore cum rebus in eo deprehensis iure dari possunt. In uxores, liberos, sorores, cognatos possessionesque nihil ultra animadverti possit. Si iudex concordiam patrarit, omni iudicii emolumento in hac re careto. Illud quoque adiectum relegi. Filius pro paterno facinore nec corpore nec re penas ullas luito. Viris sacris religionive addictis absque privilegio regie maiestatis possessiones ullas tenere non licito.

Qui sedem iudicariam violarit, mox aureos centum expendito. Per conventus omnes, qui iuri dicendo presint, disponuntor. Haud inconsulto senatu rex prefectos ex proprio quenque conventu deligito, qui una cum iudicibus e nobilitate creatis ius dicat. Nemo eques pedesve templorum ostia perfringere aut quicquam hinc rapere audeo. Si qua sacellis vis illata fuerit a milite, prefectus turmarum cohortiumve pro his penas dato possessionesque illius erario cuncte cedunto. Si rerum inopia iusserit, accito statim pagi iudice sacerdoteve condita in templo cibaria prestituto equo pretio militi venduntor.

In coercenda presbyterorum avaritia edictum Caroli regis de sepulturis restitutum, quod tale est. Archidiaconorum et plebanorum nemo preter usitata funeralia ultra quicquam exigere pro sepulturis audeo; si exegerit, sacris extemplo beneficiis abdicator. Item imperatum, ut communes cuiusque conventus impense e collata pecunia persolvantur. Item, ut neutra litigantium pars armata iudiciale forum adeat. Quin et nundinas, mercatus ac fora inermia Mathias esse voluit; ut iudicia tuta integraque servaret, edixit. Quicumque optimatum nobiliumve prefectum iudicii vicariumque eius in dicendo iure ac exequendo impedierit, infidelis esto. Qui servos villicosque habuerit, qui iudiciorum officium interceperint eosque quamprimum in manum prefecti non tradiderit, centenis aureis multator. Iudices ordinarios legitimosque definivit, ut puta, palatinum, pretorem, quem iudicem curie nominant, secretarium, ut aiunt, cancellariumve. Pretor autem post palatinum presentiam regie maiestatis¹ refert ipseque cum protonotariis dicendo iuri preest. Alios autem, veluti tavernicorum magistrum et vaivodas, ut aiunt, banosque Slavonie inter ordinarios regalis fori iudices adnumerandos esse non censuit. Quicumque temere inaccessitusve istorum curiam intrarit, centenos auri nummos solvito. Causidicis quoque causarum numerus prefinitus, quippe quibus supra quattuordecim ho-

minum lites suscipere non licebat. Qui autem privilegia populatione, raptu incendiove amiserit, ad sexagesimum usque annum gestarum rerum nobilium testimonio comprobationeque uti liceat. Preterea illud, nemo iudex iniuratus suum munus obito. Pre-
scripsit etiam iurisiurandi formulam. Prestitutus quoque redimen-
dis capitularibus conventualibusque litteris atque etiam curialibus, ut
aiunt, modus est. Sed de legibus novisque sanctionibus hactenus.

Verum enim vero non modo novas leges ac edicta tulit, sed vivendi mores Mathias Beatricis adventu sane mutavit. Pannonibus regibus mos erat cum proceribus et nobilitate familiariter vivere, aditum negligentius asservari, multas mensas sternere, inter optimates amice discumbere, inter prandendum patere fores, mendicos rogatores admitti, congiario eleemosynam impartiri, faciles omnibus aures adhibere, secundo, ut plurimum, pane vesci, omnibus vel miserrime fortune hominibus regis aditum patere, vivere incultius, ne humilia quidem fastidire atria, insanos sumptus in clarissima bella erogare, magnifica contemnere edificia, domi parsimoniam, foris magnificentiam et liberalitatem amare, populare prestare ingenium et benignum, his demum moribus omnium sibi gratiam conciliare. Priscorum ergo regum vestigia sequebatur, quin et comitate, industria et ingenii dexterritate in quoque officiorum genere prestabat, ne plus gestarum rerum magnitudine, quam vite imitatione eorum quenquam prestantissimum adquare videretur, ne dixerim, superare. Ad promerendam procerum ac militum benevolentiam sua liberalitas, clementia, popularitas et beneficentia promptum effecerat, ut a cunctis ex animo coleretur. Cum optimatibus et prefectis militum ita quandoque domestice versabatur, ut suavissima hac consuetudine sibi omnes obstringeret. Nullo benignitatis et liberalitatis officio poterat expleri. Non solum proceres nobilesve milites officii gratia, sed gregarios quoque visitavit. In castris egrorum charitate contubernia lustravit, sepe languentes propria manu pavit ientaculaque porrexit; hortabatur ad convalescendum, increpitabat pusillanimes et desperatos consolabatur; sepe in acie vulnera obligavit. Ex hoc igitur officii genere mirificam omnium fidem sibi comparabat. Quin etiam gloriabundus sepe retulit se Nicolao Bossene regi, cum per officium visitasset, egrotanti pedum digitos interfricuisse. Item amicorum seva nascentium laborantium inter visitandum perhumane succurrisse ac veluti regie dignitatis immemor et expertus stomacho fluctuantis caput sustinuisse. Omitto sales, quibus defectos obfirmabat animos et mortuos ab inferis revocabat. Inter amicos quandoque licentiore symposio et commensatione lautiore usus est, ut curas abigeret. Cum Mysiis et Ratianis, cum Bohemis et Alemanis, cum Ungaris et Cumanis iuxta versatus domi militieque negligenti corporis custodia usus; fides tamen omnium et quam maxime militaris id effecerat, ut publica ipsa cura et sollicitudine munitur. Pro stipiatoribus omnes certatim corpus eius pervigili quis-

que custodia asservabant. Nulla domi gemmata pocula nec ⁸²
 chryserdeta myrrhinave, nullis atria auleis vestita; nullus vel,
 si quid raro videbatur, et ipse quoque incultus ac rudis appa-
 ratus; sordide in quadrata mensa mappe; cultus omnis ad equos
 et arma translatus; ibi aurum, gemmas et argentum gestare mos
 erat; item excolere comas, gemmataserta gestare, habitu lautis-
 simo uti, qui trabeas Romanas exuperet; ceteras parum artes
 curare.

Postquam autem regina venerat, mensas et vivendi modum ⁸³
 excoluit, fastidita domorum humilitate magnificas cenationes,
 exculta triclinia, aurata cubicula introduxit, regem a popularitate
 revocavit, ianitores foribus apposuit assiduos, interceptit faciles
 aditus, regiam maiestatem ad servandum longe ambitiosius deco-
 rum redegit. Statis regem temporibus in auditorium prodire ⁸⁴
 acius dicere monuit. Scythicis Italicos mores inseruit et Latinis
 quoque epulis oblectavit. Varias, quibus olim carebat, artes
 eximiosque artifices ex Italia magno sumptu evocavit. Quare ⁸⁵
 pictores, statuarii, plastici, celatores et lignarii argentarii que
 fabri, item lapidicide operarii et architecti ex Italia conducti in-
 sanaque his impensa salaria; divinus hinc cultus adauctus, edi-
 cula regia accitis e tota Gallia Germaniaque cantoribus exculta,
 quin et olitores, cultores hortorum agricultureque magistri ex
 Italia educti; qui caseos etiam Latino, Siculo Gallicoque more
 conficerent, evocati. Adiecti quoque histriones et mimi, quibus ⁸⁶
 regina nimium indulsit; item monaule, utricularii, choraule ac
 citharedi. Invitati etiam muneribus poete, rhetores et gramma-
 tici, qui falsi opinione sua miseriores longe musas, quam adduxe-
 rint, in Italiam reduxerunt. Has omnes Mathias mirifice coluit ⁸⁷
 aluitque; Pannoniam alteram Italiam reddere conabatur. Viros
 quaque arte prestantissimos undique disquisivit conduitque.
 Astronomicos, medicos, mathematicos iurisque consultos dilexit; ⁸⁸
 ne magos quidem et nigromantes abominatus est; nullam artem
 contempsit unquam.

Contra Ungari politice culture ac deliciarum expertes hec ⁸⁹
 omnia egre ferre, insanos damnare sumptus, regiam maiestatem
 quotidie incusare, quod pecunias ludibrio haberet, vectigalia ad
 meliores usus instituta in res futiles vanasque erogaret, a pri-
 scorum regum parsimonia et frugalitate descisceret, patrios et
 severos mores exueret, aboleret antiquos ritus et ad Latinas,
 immo Gotalanicas delicias effeminatosque mores plane transfu-
 geret. Mussitare quoque nimis uxorium et externos non modo ⁹⁰
 aurum, sed principis indulgentia universum quotidie regnum po-
 pulari; multa quoque obloqui et in malam partem accipere.
 At divus ille princeps omnium bonarum artium parens et fautor ⁹¹
 ingeniorum Ungaricos vulgo mores damnare, rusticitatem Scythi-
 cam et incultam vitam publice taxare, inhumanos passim ritus
 abominari, urbanitatem sensim introducere, proceres cum nobili-
 tate ad politicum cultum hortari, iubere domos pro facultate

magnificas erigere, vivere longe civilius ac sese mitius cum peregrinitate gerere, quam ante preter omnium opinionem abominabantur. Ad hec igitur omnia exemplo suo imprimis omnes invitavit.

Budensem arcem, ubi preter magnifica Sigismundi edificia nihil spectatione dignum erat, excolere adorsus est, retractiorem aulam nimis exornavit, quippe qui a Danubii parte ediculum statuit hydraulicisque organis, item sacro fonte duplici marmoreo et argenteo decoravit; collegium adiecit honestissimum sacerdotum; supra bibliothecam statuit mira utriusque lingue fecunditate completam; cultus quoque librorum luxuriosissimus. Ante hanc cubiculum est in absida curvatum, ubi celum universum suspicere licet, qua spectat ad Austrum. Palatia erexit haud parum a Romano luxu differentia, ubi laxa triclinia, procita cubaculaque superbissima, item laquearia ubique varia et aurata multa insignium varietate distincta; postes insuper emblemate conspicui insignesque camini, in quorum fastigiis quadrigae ac multa Romanorum stemmata sunt sculpta, infra hypothece thesaurique, ad solis exortum varie cenationes et cubacula, quo altioribus scalis et ambulacro sane subitur. Bu-
 leuterium hic et dieta. Cum ultra processeris, varie mansiones in excelsam absidem convexe; hybernacula estivaculaque multa, item helicamini et aurate zete, preter hec alta abditaque secreta, argentei lecti argenteaeque cathedre. Ad occasum vetustum opus nondum instauratum; in medio area veteri porticu circumventa, quam duplicia coronant ambulacra, quorum supremum novoque palatio prepositum, qua ad summa triclinia conscenditur, duodecim signiferi orbis sideribus insigne non sine admiratione suspicatur; tessellata vermiculataque ubique pavimenta teruntur. nonnulla encaustica sunt; caldarie passim frigidarieque celle; hypocausta in tricliniis mammatis tegulis oblecta, que non modo colorum pulchritudine, sed animalium confictorum varietate conspicua. In subdivalibus e conspectu pedestres tres statue ex alto non inermes adeuntibus obiiciuntur. Galeatus in medio Mathias constitutus hasta clypeoque innitens, cogitabundus; a dextra pater et subtristis a leva Ladislaus. In medio subdivalium fons aeneus marmoreo lacu circumventus, cui Pallas galeata subcinctaque imminet. Ad aule huius aditum in anteriore subdivali, quod multo laxius est, hinc et hinc due constitute ex ere statue nude, clypeo, securi enseque iuxta minantes, ad basim circumsculpta sunt trophea. In hac igitur quadrata area ante Sigismundi atria constituta vetus a latere palatium instaurare ceperat, quod si prestare potuisset, plurimum de superba vetustate referbat. Geminas huic scalas adiecerat porphyreo marmore aeneisque cardelabris insignes. Ex eodem lapide geminas huic ianuas superstruxerat, quas aenei postes et affabre facti Herculeisque laboribus admirabiles et non minus a tergo, quam a fronte spectabiles exornabant, quibus illud Antonii Bonfinis epigramma mandavit incidi:

Atria cum status ductis ex aere foresque 100
 Corvini referunt principis ingerium.

Mathiam partos tot post ex hoste triumphos

Virtus, es, marmor, scripta perire vetant.

Contignationes huic insano sumptu destinarat, quibus laquearia 101
 aurigantes per ethera planetas continerent erratilesque cursus
 miro suspectu referrent. In fronte subgrundii tectorum tri-
 glyphos subiicere decreverat et, qua posset, arte conspicuum opus
 efficere. In fontem regie per octo fere stadia pixidatis tubis 102
 fistulisque plumbeis aquam subduxerat. Sigismundi ambulacrum,
 quod totam fere arcem ambibat, ne pari quidem sumptu prose-
 qui cepit. Ille eternitatis destinatione hic temporaria in ambu-
 lacro mora edificavit. Laxos longosque ibi tractus instituit, 103
 specularia quoque multa, item atrium murorum minis impositum
 ex lignario opere confectum, ubi triclinium, cubiculum, preterea
 apodyterium et paulo retractius lucubratorium graphiariumque
 locum perfecit, sed inventum vesanam ruinam in Danubium ini-
 mari videbatur.

Extra arcem in proxima convalle horti subiacent amenissimi 104
 marn.creaque villa. Huius propyleum columnis tessellatis embry-
 catisque circumdatum, que aenea candelabra sustinent. Trium- 105
 phales sunt ville postes et triclinium cubiculumque cum laque-
 aribus et fenestris usque adeo spectabile, ut lautissimam anti-
 quitatem propius accederet. Qua spectat in hortos, porticus sub- 106
 est; in hortis labyrinthus ex arboribus consitis institutus. Insu-
 per aviaria e peregrinis nostratibusque avibus, que ferrea retia
 coercebant. In aviariis quoque arbusta fructifereque arbores 107
 et nemus item xysti per ordinem digesti variisque arborum gene-
 ribus circumvallati. Insuper cryptoporticus, prata, lithostrata,
 piscine. Turres quoque cenaculis ac pergulis obducte, in quibus 108
 cenationes cum vitreis specularibus usque adeo iucunde, ut nihil
 putes amenius. Argentatis villa tegulis contexta. Quin et 109
 in ulteriore Danubii regione in Pestano agro ad primum lapi-
 dem suburbanum habuit ne minore quidem amenitate delecta-
 bile, ubi a curis animum relaxare mos erat. Item in Budensi 110
 agro alterum sibi erat suburbanum ad tertium lapidem, ubi syl-
 vestrium ferarum amplissima sane vivaria spectabantur; magna
 quoque hic cicurum copia. Ad salinarium erat tertium non pro-
 cul ab urbe Buda.

Sed quis ea pro dignitate referre poterit, que ad Regalem 111
 Albam in dive genitricis basilica moliebatur, ubi sacrorum sunt
 monumenta regum; totam enim non modo instaurare, sed multo
 prestantiorem efficere conabatur et prestitisset eximius ille prin-
 ceps, ni mors immatura e medio sustulisset. Magnam imprimis
 aram longe pristina laxiorem fundare adortus, ut hic patrique
 Mausoleum constitueret. Huc etiam Elisabethae parentis pientis- 112
 sime corpus non multo ante vita defuncte transtulit, ut parenti-
 bus hic et fratri sibique sacellum dicaret, opus artificiose testu-

dinis ac eminentissime e quadrato lapide inchoatum, quod in convexa absida iam consurgere ceperat totque circum fornicibus obstructum est, ut acerrimum quoque superet ingenium et, quando in palude situm est, altissima iacta habet fundamenta. Tam insanum igitur molitur edificium, ut hoc duntaxat uno cetera superiorum regum opera obscurare videatur. Ad Vicegradum priscorum quondam regum arcem in editissimo loco sitam subiacentem regiam sic amplificavit, sic hortos vivariis ferarum et piscinis excoluit, ut edificiorum superbia alia quoque superare videatur. Apparatus hic Attalicos et laxa triclinia, ambulacra tectorio opere candidissima et fenestras superbissimas cernere erit. Hic horti fontesque pensiles, qui porphyreo marmore aeneo quoque solio culti sunt.

Si ultra progrediaris, Tatam offendes, que meo sane iudicio ceteris arcibus anteferri in tanta brevitate potest; hic enim e perpetuo crassoque aggere convallium aqua sistitur, stagnat ac lacum iugerum septenorum fere milium passuum efficit. Pistrine ad emissorium aque frumentarie ex ordine novem, que arcu coherent et nunquam bello auferri queunt. Arcis forma in astragali speciem duplici muro, propugnaculo et fossa munita; brevis inter porticum area, quam aurate cenationes magnificaque cubacula circumstant; laquete contignationes multo auro celaturaque. Emisse lacu aque sepe resistitur et piscinas haud invita facit innumeras; magna luporum et carponum copia. Duo utrinque pagi non ignobiles dueque basilice. Circumstant saltus quoque verum patentissimi, qui ne mediocrem quidem ferarum copiam alunt. Non procul hinc a Danubii ripa Romane legionis vestigia pleraque supersunt, que adhuc pre loci amenitate et feracitate soli Latine gentis coloniam vocant. Paulo supra ad caput insule Cumara conspicitur spatii sane laxioris, cui subdivalia patentiora, capaciora triclinia et diversa ubique laquearia gravissima quidem impensa constructa. Bucentaurus quoque ad velificandum Danubium ex ligno constructus; in atrii simulacrum, ubi triclinium, prociton et cubiculum, ubi andricon et gyneceum inter puppim et proram late compactum.

Preterea Vienna capta pensiles in arce hortos, heliocaminos marmoreosque subducta aqua fontes fecit. Frigidarie caldarieque celle in pensili solo confecte. Inferius quoque hortos excoluit; cavee avicularum et aviaria ferreis retibus obducta; factum in secessu nemus topiariaque loca, ambulatorie circum porticus vitium texture convexe; supra menia produxit ambulacra ad spatiandum nimis idonea. De faciendo in Danubio ponte (etsi per vitam licuisset, fortasse prestitisset) Traiani Cesaris invitatus exemplo, qui prope Sinderoviam marmoreo Istrum ponte traiecit, cuius nonnulli adhuc pyle supersunt, cogitabat. Addebat animum architectura, quam tribus sane mensibus Antonius Bonfinis in Latinam e materna lingua traduxerat. Cetera, que per arces regias et basilicas exedificari fecit, opere longioris esset rite enarrare.

Preter hec ad Ioannis Corvini filii sui, qui nondum puerilibus 125
 annis excesserat, educationem animum advertit; nam, cum an-
 nos decem domi militieque semper cum regina fuisset et ne
 passum quidem a suo latere dimisisset, quare uxorius a pleris-
 que reputatus est, nullamque ab uxore prolem tulisset, ad hunc
 unicum spem omnem intenderat. Hunc, si liberi defuissent, 126
 regno perficere studebat. Alliciebat ad hoc animum et spem
 augebat pueri liberalis effigies et indoles generosa. Patrem enim
 non solum ex omni parte, verum etiam Corvini avi oculos refe-
 rebat, quibus nihil unquam serenius visum esse aiunt. Eadem 127
 cum patre facies eademque manus, os, obtutus, frons et nasus;
 caput, uti illi, sine menda; in circumagendis oculis motus gravis
 et tardus, cui non hac atque illac lancinare oculos neque his
 levissime micare, sed aspectu, motu gestuque corporis regiam
 quandam preferre gravitatem, quam in consiliis ac verbis eque
 servare videbatur. Intrepidus et liberalis huic erat aspectus plus 128
 gratie preferens et venustatis, quam severitatis et tristitie. Despe-
 ratis deinde liberis Mathias augendam eius et dignitatem et auc-
 toritatem nature esse iure reputavit. Cum, ut futurum decet 129
 principem, educasset a puero, ut spectatum cunctis redderet et,
 quanti fieri vellet, ostenderet, in dicendo sepe iure ad dextram
 considerare iussit, item, cum sacris operabatur sollemniave cele-
 brabat aut utriusque Cesaris Romanive pontificis ceterorumve re-
 gum potentatumve legatos admissurus erat in senatum, ad
 dextram semper filium collocavit. Quin et officii regii gratia 130
 huius opera sepe usus est. Quotiens sollemne convivium aut prin-
 cipibus aut oratoribus eximiis editurus erat, strata regali mensa
 sub pretextu egritudinis, que dudum incesserat, sepe pro se filium
 accumbere iussit. Contra ille pro patre decorum rite servavit
 et prudenti argutoque colloquio convivarum opinionem ac etatem
 profecto superavit. Verba quandoque sic gravia subiecit, ut non 131
 minus oratio, quam similitudo oris verum et dignum filium patre
 indicaret. Maximas hinc in dies sibi clientelas et amicitias com-
 paravit, a paternis amicis admonitus gratum et promptum apud
 regem patrociniū exercere cepit. Quare maiorem in dies a 132
 proceribus, nobiles et provinciis favorem sibi conciliavit; pro
 nemine unquam frustra supplicavit. Contra pater, ut maioribus
 quotumquenque Pannonem beneficiis obstringeret, supplicanti
 filio nihil unquam abnuvit. Item, ut regie prospiceret orbitati, 133
 de honestissimo coniugio cogitavit. Admirabatur iam adolescentis
 ingenium, quem inter loquendum nunquam incautum offenderat;
 observabat mores eius et pervigiles clandestinosque custodes spe-
 culatoresque adhibebat, qui explorata cuncta referrent. Non
 citra stuporem quandoque in castris consuetudinem eius cum
 manipulis intuebatur et ad promerendam legionum gratiam dex-
 teritatem. Deplorabat secum pueri fortunam, qui quicquid na-
 tura largius indulserat et ius dederat humanitatis, a severa non-
 nullorum censura opinioneque post mortem suam ademptum iri

previdebat. De renovatis regie moribus, de edificiis et Ioanne 133
duce Corvino locuti hucusque vagati sumus, ne ista quoque me-
moria non indigna ingrato silentio omitterentur. Nunc ad insti-
tutam gestarum rerum seriem redeamus, ne plus equo vagari
videamur.

Post captam Viennam annos quinque Mathias, uti diximus, 137
supervixit, de quibus una dicemus, ne annorum supputationem
totiens facere cogamur. Cum habito Bude frequentissimo con- 138
ventu reipublicam optimis legibus et institutis instaurasset, mox
delectum habuit, legionibus supplementa dedit et reparato exercitu
una cum filio Beatriceque regina primo tempore ad expugnanda
ulteriorem Austriam proficiscitur. Pisonium primo ven-
tum est; aliquot ibi dies acti, dum litteris clandestinisque inter-
nunciis nonnulli reguli proceresque faciendam deditionem sua-
derent. Premissis deinde copiis Sistestorphum obsidetur oppi- 140
dum sane non ignobile, quod rex sine magno negotio in fidem
accepit. Motis hinc castris Lavam recta concessit. Civitas est ad
Moram ananem posita oblonga quidem et quadrata, cui ad ca-
put arx est non parvo artificio munita, in medio basilica, me-
nia vero crassa altaque ac duplici fossa et aqua completa,
duplici quoque muro, item aggere valloque munita, quem in-
festis cuspidibus pertice contexuere; a latere paludes attingunt.
Conspicatur urbem obsessam facile capi non posse, nisi aenea
menibus hinc et hinc tormenta admoverentur, que completa
fossa ponteve substructo militibus aditum patefacerent. Quare 143
imprimis, qua spectat ad Pisonium, castellum pro porta erigit
amplissimum, quod aggere, fossa valloque circumvenit, ne oppi-
danorum impetu capi posset, ibique machinas rite disponit, qui-
bus menia obtererentur. Ab aversa parte, qua Isnaimam pro-
spicit Moravie urbem, id ipsum facit nec intactam quidem a ca-
pite arcem pretermittit, quando non infirmo presidio Lavam mu-
nitam esse noverat. Dum urbs inclementer utrinque quatitur, 145
dimisso exercitu ad dietam (ut aiunt) in Moraviam contendit,
quam ad Iglaviam ex composito cum Wladislao Bohemie rege
prestituerat. Ad labefactandas enim Australium vires et frangen- 146
dam imperatoris pertinaciam nihil commodius esse censebat, quam
Bohemicum regem bellicosissima gente pollentem sibi conciliatum
habere. Nulla enim auxilia preterquam Bohemica Germanicave
Cesari promptiora esse videbantur. Quin et verebatur, quod 147
antea semel acciderat, ne instituta cum Wladislao amicitia Ce-
sarea arte dirimeretur, ne bellicosum iuvenem et ad clarissima
queque facinora natum magno stipendio conduceret inque suam
adduceret invidiam. Quod si Fridericus imperator exuta aliquan-
tisper avaritia fecisset, nunquam Pannonos Austriam occupassent.
Verum hec humana labes, que mortalium animos sensim illabitur, 148
ita ceteras virtutes enervat exploditve, ut non modo populum,
sed provincias amplissimas in gravissimas calamitates plane
coniecerit. Nihil enim consilio suo obversari posse, si Bohemum
regem habeat, Mathias intellexit. 149

Indicto iam tertio conventu in Moraviam cum regina gna- 144
 tutius cum imperatore deinde bellum gereret. Multi mandato 150
 regis oratores eum secuti, qui eo tempore forte convenerant;
 inprimis Neapolitani regis et illustrissimi Ferrarie ducis, cui ab
 indomita fortitudine Herculi nomen erat. Conventus frequentissi- 152
 mus Iglavie iam habetur, quo utriusque regni principes cum regi-
 bus convenere. Repercussum hic est ex sententia fedus et pristina
 confirmatur amicitia. Wladislaus a Mathia magnifice donatus; 152
 gemmata muneri data galea adiectumque oppidum; innumere
 quoque a regina vestes auro purpuraque contexte, addita etiam
 regalis multa supellectilis, ut societatem digna munera confirma- 153
 rent. Compositis hic rebus alter in Bohemiam, ad obsessam La-
 vam alter se recepit. Secundum regis adventum prefecti ca- 153
 strorum iam de conserenda cum oppidanis manu consultabant,
 quando tormenta in plerisque locis menia obriverant et aditum
 hosti satis amplum patefecerant. Regem duntaxat expectarant, ut 154
 dexterioribus prelium auspiciis inirent. Cum ordines forent ubi-
 que dispositi, ut pugne signum acciperent, indutias in triduum
 oppidani postularunt, ut interea de pace agerent. Rex haud 155
 invitatus postulata concessit, uti commodius utrorumque saluti consule-
 retur. Postero die prodeuntibus e Lava legatis de conditionibus
 et facienda deditione agitur. Tertio res transacta et civitas a
 rege in fidem accepta.

Capta Lava ulterius cantra mota. Cum Moravie provincie 156
 sue fines attigisset, Isnaimam venit, ubi dimissa regina ceteris-
 que oratoribus ipse cum Corvino duce ad obsidendam Rheimam
 properavit. Triplex in eo bello illi fuit exercitus, veluti ubique 157
 in gravissima quaque expeditione mos fuit, primus Ungarorum,
 Bohemorum; alter, tertius Rationorum, qui totus in vexillationes et
 velites digestus erat. Trinis eam civitatem castris obducit, ut 158
 obfirmatam validissimo presidio citius expugnaret. Hec inter fac-
 les montes resupinata iacet; turribus circum, propugnaculis al-
 tissimaque fossa est obducta nec sine machinis aeneis capi poterat,
 quare magna in menibus iactura facta. Obstinatius oppidani 159
 a principio resistere; die noctuque in castra erumpere sunt ausi
 et tunc maxime, cum excipiendi commeatus tempus erat. Tumul-
 tus sepe ac rixa potius, quam prelium fuit. Sed, cum semel cu- 160
 stodie se negligentius agerent illique ad excipienda quedam
 auxilia ex urbe erupissent, incauti ex equitibus nonnulli occurrere,
 qui, cum strenue pugnarent, ab hostibus circumventi fortiter
 occubuerunt. Valachus quidam regi charissimus, qui excitato 161
 tumultu primus occurrit primusque hostium impetum ac solus
 excepit, cum acerrime pugnaret, tribus cesis letali vulnere con-
 fossus est et ad suos egre se recepit; insequenti die animam
 efflavit a rege admodum deploratus. Ad declinandas Alemano- 162
 rum insidias rex artius urbem obsidendam esse statuit, gra-
 viores circum machinas apposuit, quibus turres et menia quate-

rentur; quin et cuniculos adegit, quibus eam tutius capi posse reputabat. Id ubi cives intellexere, de facienda deditione cogitarunt et paucis post diebus formidata hostis iracundia urbem dedunt. Rhetiani perhumane in fidem accepti. Ad Egburgum deinde castra mota sunt, et urbs gravissima obsidione circumventa.

Interim rumor effunditur Gallorum oratorem adventare et esse propius; itaque regis edicto multa procerum pontificumque agmina obviam prodeunt et honestissimi equitum ordines in occursum effunduntur. Singularem pompam is excipitur et, postquam in castris cum rege colloquium est habitum, Rhetia apud Beatricem cum ceteris oratoribus honorifice subsedit, donec capta urbe Viennam hibernatum cum rege proficisceretur. Ad ineundum contra Maximilianum Friderici imperatoris filium ipse fedus venerat Burgundie ducem et acerrimum regis Gallie inimicum, quo nihil utrique commodius esse poterat. Nam, cum ille in Belgis ageret ac pater in Noricis a Pannone vexaretur, duplici bello distractus neutrum e sententia gerere posse videbatur. Intercedebat Mathie cum rege Gallico fedus et affinitas, quandoquidem Beatricis mater eum regem propius attingebat. Percussus igitur ex composito inter Ungarum Gallumque fedus et fraternitas est inita societas, quam mutuum commodum et consuetudo conciliarant. Stephanus Crispus vir liberali ingenio, fausto aspectu et singulari eloquentia peditis oratori honestando comes et procurator propter suavissimos eius mores a rege datus.

Rex ad expugnandum Egburgum subinde animum advertit. Urbs est inter inequales sita locos et circumventa monticulis et insa quoque in monte sita, laxis circum piscinis obducta. Ab adversa parte arx non infirma et, qua consurgebat in monticulum, ampla et alta fossa, item perpetuo muro, vallo aggereque ac mira turrium frequentia protegitur. Ad utranque portam gemine consurgunt turre ac solide, que facile obteri non poterant. Impositum huic validissimum sane presidium fuit. Tentata pugna opidanorum fabricis multi cecidere; quin et in castris incauti plerique cesi admotis ex ira plus, quam hostili more tormentis. Solida, que stabat pre porta, turris propugnaculi loco crebris machinarum ictibus obtrita; a latere pars menium in vastum diruta, qua congelatis insano rigore piscinis magnus in urbem patebat aditus. Instanti periculo consternati cives vix regem exorant, ut in fidem acciperentur. Duodequagesimo demum die urbs in ditionem regis pervenit; subinde mota fuere castra, presidium cum impedimentis libere dimissum. Postquam Egburgenses in fidem Pannonis concessere, regina per Drag Bertoldum cataphractorum equitum prefectum et Ladislaum Maurium collegam eius a rege accita cum honestissimo equitatu Egburgum ovans invecta est, quam ubi rex ad primum lapidem appropinquare sensit, obviam prodiit, in currum suum excepit iunctisque agminibus, veluti pariter ambo triumpharent, urbem subiere. Aliquot hic dies cessatum est. Deinde duorum dierum itinere

traiecto Danubio Clastrumburgum perventum; in edibus ad basilicam divi Leopoldi rex cum Beatrice pernoctavit. In suburbanis centuriones equitumque prefecti subsedere. Exercitus ad recipienda quedam oppidula dimissus variis demum itineribus Viennam, mox edicto regis Neapolim, quam uno iam anno a Stephano comite, Tetauro, Ladislao Canisa Iacoboque Sechel obsideri iusserat, sine intermissione concessit. Rex insequenti die cum universo aulicorum comitatu ex Clastrumburgo Viennam descendit, cui ad tertium lapidem Emericus palatinus et Urbanus questor, qui ea tempestate lauriensis pontifex erat, cum singulis Viennensium ordinibus veluti de ulteriore Austria triumphanti ex urbe congratulabundi prodire; itaque cum regina singulari pompa XIII. Kalendas Ianuarias Viennam investus.

Paucis ante diebus Antonius Bonfinis civis Asculanus e Picenti agro Corvini regis nomine succensus Rhetiam venit, ubi cum regem et Beatricem advisset, varia librorum, que nuper ediderat, volumina detulit. Tria regi dicaverat Hermogenem et Herodiarum, quos e Greco in Latinum ipse traduxerat, atque brevem de Corvine domus origine libellum. Regine duo alterum de virginitate et pudicitia coniugali, de historia Asculana alterum. Unum autem epigrammaton libellum Ioanni Corvino inscripserat cum haud iniucunda inutilique prefatione, ubi de instituendo novo principe agebatur. Cum in castris ista volumina rex avide lectitasset, scriptoris admiratus ingenium, quia nondum hominem noverat, Calendis Ianuariis accitis omnibus aulicorum ordinibus et legatis Vienne orantem Antonium intentus auscultavit adductosque in medium libros omnes cunctis proceribus et pontificibus lectitandos dedit; postulanti missionem abnegavit; nec parvo quidem Picentem rhetorem salario conduxit fausteque Beatrici legere, pro arbitrato suo scribere multa iussit nec non castra sequi preceperat scriptoribus et philosophantibus inimica. Quod cum ille invitus facere cogeretur, ne ingrato in castrensi tumultu molestiaque otio uteretur, oblatum sibi Philostratum tribus mensibus in Latinum transtulit, imprimis vero Neapolitanas iconas, deinde vitas sophistarum et epistolas.

Rex autem, cum natales dominicas celebrasset, duo magna negotia, que potissima imminebant, expedire curavit, imprimis legationem in Galliam honorificentissimam, deinde Neapolis expugnationem, que omni arte ac viribus obfirmata obstinatissime resistebat. Ioannes Variensis antistes ad Gallos orator pronuntiatus erat, quo ad id munus obeundum nemo tempestate nostra magis idoneus visus erat. Is enim ex humilibus, ut ipse ingenue fatebatur, parentibus et in tenui re ad Olmutium natus tanta ingenii dexteritate, consilio et industria valuit, ut apud regem inter primos et charissimos haberetur et supremus, ut aiunt, cancellarius et secretarius esset. In bello nanque Bohemico, cum rex Moraviam in provinciam redegit, capto Olmutio hunc adolescentem Ciupori vaivode commendavit. Hic mox

ingeneii prestantia et experientia rerum sic excrevit, ut in gerenda provincia Bohemicisque rebus administrandis hoc potissimum adminiculo et moderatore uteretur. Quare perbrevis sua fide, integritate, prudentia et magnanimitate sic regi placuit, ut imprimis Varadiensi, deinde Olmucensi pontificatu exornarit. Quin etiam multis basilicarum prefecturis adauctus est; triginta enim aureorum milia e proventibus annuis accipiebat. Immensa huic inerat liberalitas et magnificentia, ut munus quodque sibi delegatum honorificentissime gereret; nec labori nec sumptui pepercit. Nobilissimas domi semper clientelas aluit; omnia mandata regis non modo e sententia, sed preter omnium opinionem felicissime gessit. Gravissima huic queque negotia, que foris imminerent, a rege committi solita. Accedebat faustus et venerandus aspectus, oratio liberalis, animi magnitudo, robur et pulchritudo corporis operosissimi, cui indefatigabile ac perspicax inerat ingenium; adde his mores prestantissimos, inauditam mansuetudinem, hilaritatem summam, preterea comitatem cum magna popularitate coniunctam. Promptissimus ad officia semper habitus, cui nihil molestius, quam quenquam ledere aut simulare dissimulareve quicquam. Amicos nimium ex corde dilexit; obtrectatores et inimicos bene potius reconciliare, quam male merendo ulcisci statuit. Ad oblivionem iniuriarum et benemerendum potius, quam ad vindictam natus erat. Sat habuit quandoque inimicum libera quadam et presenti maledicentia ulcisci; a facinorosa ultione se semper abstinuit, quare vir bonus et innocens a rege et iudicatus et pronuntiatus est.

Is igitur, cum in Galliam orator profecturus esset atque legatum Gallorum secum reductus, raram profecto pompam instituit, ut rem principe seque dignam faceret. Trecentos imprimis equos eodem colore omnes et magnitudine, trecentos quoque iuvenes ex universis procerum ordinibus et ex tota nobilitate delegit, qui per singulas urbes togati incederent et purpureo cuncti habitu uterentur; item intonsi omnes et eadem proceritate etateque consimiles. Ex his torquatos multos cernere erat; ceteros vero, quibus aurei crines fuerant, gemmatis capita sertis obductos. Supellex ad hec plus, quam pontificia, que necubi explicari potuit, quin regie maiestatis hospitium referret.

Varia a principe mandata accepit illudque imprimis, ut per Galliam Cisalpinam iter faceret, Mediolani sororem ducis regii filii nomine desponsaret; quam quidem affinitatem inscia regina tractarat et exacte adeo sub fuge pretextu Fontana Brixienis viro callidissimo, cuius adminiculo commodaque opera sepe alias in Italia usus erat, clandestinis iam litteris fere transegerat; deinde, ut cum Gallorum rege fedus iceret fraternamque societatem iniret, ut distractum bello duplici Maximilianum absumerent; item Zoliabum Maumetis Ottomanni filium Turcorum imperatoris, qui a fratre pulsus Asia primo Rhodum, deinde in Galliam efferat et in potestate Francorum regis erat, precario nomine

impetraret, ut sub illius nomine Turcum graviore, quam ante, bello metuque afficeret. Cuncta igitur mandata e sententia confecit, preterquam, quod Turci fratrem summo pontifici promissum abducere non potuit. Legationem tanta ubique pompa gessit, ut nihil tempestate nostra magnificentius usquam gentium spectatum esse referatur. Parisiis sepe forum piscarium in celebrandis conviviis sic exhaustit, ut dispensatores quandoque regii pisces mendicare coacti fuerint. Destinata regi Gallorum munera obtulit, que plusquam vigintiquinque milibus aureum venire; imprimis Turcicos equos vigintiquinque mire pernicitatis, vasa preter hec aurea et gemmata, equos quoque cataphractos et gradarios desultoresque Dacos. Accedebant ephippia auro lapillisque distincta superbeque cum frenis phalere. Regine e ductili auro contextam trabeam, vestes Persicas, baltea et aureum cubiculi apparatus misit. Legatus etiam Francorum, cui Christophoro nomen erat, cum Varadiensi episcopo honorifice dimissus, quem nos ipsi et a rege reginaque donatum amplissime vidimus. Ad tria numerorum aureum milia iudicio cunctorum eius munera pertinere.

Iisdem diebus, cum de creando pontifice Agriensi ageretur, iudicio regis suffraganteque regina, quando nemo prestantior occurrebat, Urbanus questor, qui Iauriensis erat, Agriensis pontifex creatus est Iauriensemque basilicam Thomas scriba regius ob operam summa semper fide diligenterque navatam absque negotio impetravit; hos enim ambos cum Varadiensi episcopo, qui in Gallias dudum profectus erat, ea tempestate Mathias nimium dilexit, adauxit honoribus commodisque et quicum ultro consilia communicavit. Mitiore Urbanus questor erat ingenio et ad maxima que tractanda erectiore, contra vehementiore hic et, ut fulvus preferebat aspectus, asperiusculo, in agendis tamen negotiis expertissimo, item perspicaci, callido ac indefatigabili, officioso, constanti et integro. Sed Urbanus mira dexteritate, fide, tolerantia et ingenii altitudine apud regem semper principatum obtinuit, quamvis ingenite sapientie magnitudinem dissimularit.

LIBER VIII.

Expeditis deinde legatis Mathias consultis mathematicis et astronomis Idibus Ianuariis ad expugnandam Neapolim Cesaream superiori anno iam obsessam contendit; reginam Beatricem cum ceteris oratoribus, qui reliqui fuerant, Vienne reliquit. Properavit aliquanto sua voluntate celerius, quia duces, prefecti legionum et milites unius anni obsidione defatigati ad reficiendos in hibernis equos dimitti postulabant et gravi bello e castris multi se subtraxerant, quare trecenti Alemanorum equites cum ducentis curribus onerariis multisque bobus, qui hos trahebant, invitis custodibus intempesta nocte in obsessam urbem penetrarunt et aliquot mensium commeatibus sane compleverant, unde tanto diutius regi ad

laborandum erat. Id is egre tulerat, cum urbem viribus inexplugnabilem in suam potestatem per inediam propediem se redacturum esse sperabat. Cum eo venisset, iure postulantibus missio data, adiecta supplementa legionum et completa novo milite castra. Neapolis urbs est in plano posita, quam in theatri speciem Pannonici Noricique montes circumstant non procul ab ea remoti. Solum urbis palustre, uliginosum, ab altera parte glareatum; preterea sic scaturientibus undique aquis abundans, ut nusquam tres quattuorve pedes effodias, ubi aqua non subsiliat. Infra quintum sextumve pedem solida firmaque glareasubest. Fosse igitur altissime ac laxe, preterea e quadrato utrinque lapide munite strategice in pelagi speciem piscosam aquam emittunt. Quadrata urbis forma, quaterne quoque porte. Si in medio fori te ipse constitueris, portas omnes circumspiciens recta intueberis. Suburbium cuique suum est urbanis assimilē edificiis et ea vallo fossaque ex aqua completa circumdantur. Menia triplici fossa frequentibusque turribus munita ad angulum quaque murorum portamque extra fossam erecta. Turris in castelli simulacrum impositumque presidium non sine multiplici munitionum genere. In angulo civitatis, qui spectat ad Pannoniam, arx in aqua pensilis, pensiles quoque horti et hanc perlaxa fossa circumducit. Hec item quadrata est in astragali speciem et in angulo quoque stat alta turris, a tergo Caesaris horti vivariaque ferarum, que in quindenum milium amplitudinem passuum sane spatiantur perpetuoque muro obducte sunt. Ibi ferarum quodque genus, peregrinarum et cicurum copia non mediocris vagatur in hortis diversis. Machinarum fabrice per menia disposite, que plumbeas glandes ferrosque talos erumpentes ad secundum usque lapidem certo ictu presignate ledebant.

Superiori anno comes Stephanus et college tres quattuorve turres ad primum lapidem statuere, ulterius non sine magno periculo appropinquarunt, quin patenti equalique planicie sub nullo protegere se tumulo poterant. Secundum regis adventum instauratur obsidio, ad primum lapidem perpetuo vallo fossaque circumsepta civitas in orbem fere passuum milium XVIII, ne quid intro invehi posset, et custodie ubique disposite. Cum Stephanus ac socii ad secundum lapidem castra posuissent, rex intra primum lapidem metatus est; turres et castella cito propius admovit. Secundum eius appulsum paucis post diebus intempesta nocte porte suburbium, que ad Viennam pertinet, submissa clam legione ne incruenta quidem victoria captum succensumque. Presidarii milites desperata re intra menia pensili se ponte recepere. Id, quamvis fossa limoque alto et aqua, preterea vallo et plerisque turribus obfirmatum esset, hostili tamen audacia et virtute expugnatur. Quo capto sevitum in urbanos, qui, cum una presidariis sese conglomerarent, a tergo pressi, ut in urbem se reciperent, partim sese mutuo ex angusto ponte in fossam amplissimam deturbant, partim instante hoste cesi sunt, ceteri ab oppidanis adiuti in

urbem se receperant. Amisso hoc potissimo suburbio, quod tu- 15
tissimum urbis videbatur esse propugnaculum, cum dimisso al-
tero ad portam, que Pannoniam inspicit, in tutelam arcis cetera
suburbia diruissent, que protegere diffidebant, Neapolitani animo
nimium consternati sunt, quin, si paulo maior hostilis impetus
fuisset, utrinque immixti tunc in urbem penetrassent. Tota nocte 16
trepidatum est. Domesticatim cives, cum nobilissimas edes habe-
ant, quibus crassi parietes, crate facte fenestre ferreique postes
sunt, ad excipiendum primum hostis impetum desperata salute
obfirmare sese ceperant. Maximus tota nocte in urbe clamor 17
etatis omnis. Et ni prefectus urbis vir bello exercitatus ad-
modumque circumspexisset ex arce prodiisset in forum et om-
nium animos confirmasset, postero Neapolitani die profecto dedi-
tionem ultro fecissent. At ille oratione Germanica sic omnium 18
animos obfirmavit, ut ad extremam usque inediam in fide perman-
serint. Multi id vi coactos fecisse presidarie cohortis existimant.

Rex ea nocte satisfecisse ratus in fossa urbis, que suburbium 19
et menia civitatis interiacet, insequenti die tormenta insana dispo-
nit, quibus menia die noctuque pro sua libidine quaterentur. Sex 20
obiectas turres et imprimis, que porte insidebant, machinis, quas
Turcis ademerat, amolitur, naves longas curribus onerariis Vi-
enna e Danubio advehit, pontes etiam vectiles construit, quibus
fossam urbis miles exuperet ac obrita inter menia penetret.
Pari obstinatione Neapolitani obstant et ad tormenta quotidie
Pannonica ministros emissis glandibus proterunt, quin et talis fer-
reis sepe petunt, in tentoriis multos incautos necant. Atrox utrin-
que pugna ex insidiis in dies feritur. Rogati sepe cives dedi-
tionem obaudiunt. Rex exitium ultimum interminatur. Prefec-
tus urbis, qui paulo ante Viennam adversus regem propugnarat,
sepulcrum sibi in arce statuisse respondiit. Magnifica utrinque 23
verba dabantur, donec et illis commeatus in urbe victum suppete-
rent et his corrogate pecunie bellum alerent; a turribus et prop-
ugnaculis non pauci quidem quotidie cedebantur. Cum prop-
pius ab omni parte turres menibus admovere statuisset, ingentem 24
corbium numerum edicto regis gregarii milites e palis et vimine
contexuere in cylindri speciem; hos humi iacentes et terra lapi-
dibusque semiplenos noctu obrepentes ad menia obvertabant;
cum ad locum perventum erat, obductas crates erigebant et in
columnarum speciem constitutas ex egesta terra complebant. His 25
igitur pro muro e diverso uti, pone has turres erigere e materia,
tabulatis et pluteis obstruere, infestas hic machinas collocare, ob-
terere inimica propugnacula et a menibus propugnatores amo-
vere; in castris quoque ad sacram pylam, ubi regis erat taber-
naculum fossa valloque munitum, pontes compactiles lignarii
fabri efficere, testudines, vineas musculosque parare. Rex de- 26
mum nihil ex ingenio et arte remittere, ut validissimam ur-
bem, qua nihil usquam gentium obfirmatius visum erat, ubi Cesar
non modo sibi sedem, sed sepulturam asciverat, preter omnium opi-

nionem expugnaret et Augustali patria potiretur; quin etiam existimare hic summa glorie sue agi. Regina cum aulicorum oratorumque magna manu secuta regem; primo ad Ebenfurtum Viennensi bello Stephano comiti dono datum, deinde Lithinbergum menses aliquot prope castra subsedit Neapolitanam captivitatem expectans.

Sexto Idus Martias, cum rex turrim editissimam in murorum angulo stantem, qui ad eminentes Noricorum montes aspicit, a tergo acerrime tormento quateret, ut prouens fossam ruderibus late completeret, qua militi pateret aditus, prefectus intellecta regis arte mox ab urbe turrim intus circumsegit lignisque subfulcit tibicinibus, ut subiecto igni intra muros ruinam turris alliciat. Extra turrim fossaque altera turris erat e congesta terra confecta munitissimum anguli propugnaculum, unde duo urbis latera longe lateque a machinarum ictibus protegebantur. Cum a tergo turris illa quateretur in horamque ruinam minaretur, prefectus ignem supponi precipit. Suscitatür ingens extemplo intus incendium, quod interiora tabulata nutriebant; cum ad tibicines et sustentacula pervenisset ignis, in urbem e sententia corruit. Rex opinione frustratus repente Bohemicas tres cohortes advocat dictoque celerius exteriorem turrim angulique propugnaculum adoriri iubet. He mandata faciunt. Cum se mox in aciem eduxissent, gravis armature milites vallum prefringunt, altiusculam repente fossam superant, per aggerem surrepentes ad suprema tabulata pluteosque perveniunt; tres pre audacia e primoribus intro prosiliere, qui continuo trucidati sunt; reliqui sine mora reiecti. Cives subsidiarii que milites, cum propugnaculum obstinatissime oppugnari prospicerent, huc omnes concurrere; e menibus presto sociis affuerunt. Bohemos ad turrim circumfusos sagittis igniferisque glancibus e muro sauciant. Submissa ex urbe adulterina porta auxiliari manu hinc hostes amovent et repellunt, quamvis, ne cedere augeter, rex parum succedente Marte revocari iusserat. Id ingruente nocte factum est. Centum fere milites brevi momento cesi totidemque sauciati.

Quanquam hec parum prospere cesserint, nihilo tamen senius obsidio continuatur. Regis animum neque imposita firmissima presidia neque munitiones innumere neque obstinati civium animi remisere, quamvis nemo ad primum secundumque lapidem tuto appropinquare neque propter uliginosum et palustre solum preterquam via facta propius accedere poterat neque circumflua flumina diverti neque cuniculis adactis menia subiri (ubicunque effodiebatur, statim latices emergebant), nunquam tamen est ab incepto deterritus. Mox tormenta undique menibus adacta et ita proxime circumerecte turres castellorum instar, uti cum oppidanis cominus, nisi interiecta fossa prohibuisset, manus etiam conserere potuissent. Quare nimium oppidanorum attrite vires et consternati animi; superba ubique fastigia machinis deturbata. Contra illi nullum defensionis genus prefermittere, diruta reparare menia, quassata nutantiaque suc-

cidere, ne foras devoluta fossam ample complerent ; ad traiciendos preterea, quos diximus, gurgites, qui muros circumfluant, varia instrumentorum excogitata genera, que nulli bellice artis auctores prodidere. Iam desperatis auxiliis de deditioe, si licuisset, quandoque cogitassent, sed impositi presidii metus prohibebat. Intellexit id Corvina clementia, qua nihil ea tempestate fuit circumspectius, ad inediam ergo urbem redigendam esse censuit; potuisset quidem, si voluisset, vi eam capere, verum id sine magna cede ac urbis exitio fieri non posse prospexit; ut suis parceret urbemque a militari sevitia liberaret, ne oleum et impensas armitteret, obsidionem prorogavit, ut integra civitate potiretur. Utrorunque igitur salutis modo consultum, septem in castris menses egit; temporariam ibi regiam cenaculumque in amphitheatri speciem cum proximo sacello construxit.

Iam insanis usque adeo fiscum exhauserat impensis, ut neque ultra exercitum alere neque supplementa cogere posset. vel eo maxime tempore, quo ventura maxima obsessorum auxilia rumor erat. Urbanum questorem admonuit oravitque, ut pro solita fide, industria et virtute, utcumque posset, pecunias et supplementa mitteret, ne in calce turpiter desiisse videretur. At ille continuo copias coegit, in Agriensi conventu delectum habuit, quecumque potuit, vectigalia exegit, pecunias non modo e pontificatu suo, sed ex omnibus amicis late corrasit, instructum in castra exercitum proprio sumptu misit; suggessit quoque nummos et supplementa. Laudata passim Urbani in ea re celeritas, fides et diligentia. Quare ita sibi regis animum obstrinxit, ut is hunc unice ad mortem usque dilexerit. Cum hostes quotidie castra amplificari et immensas Pannonum vires augeri conspicarentur, de deditioe cogitare sunt adacti. Prospectare agmina quotidie venientia, que animum nimis attenuabant; ira commoti e muris glandes talosque ferreos procul emittere, tres uno semel ictu pueros ante regem sub cenaculo stantes obtritis capitibus interfecere. Pre cruento tamen diroque spectaculo rex haudquaquam commotus est, quin et perstitit immobilis nullumque timoris indicium edidit. Mox insanas machinas in urbem intendi iubet, que multa palatia diruere. Et, cum tegulis maiore ex parte abiegnis, quas xylimbrices vocant, in edium tectis Neapolitani uterentur, de concremanda civitate ob indignitatem rei fortasse cogitasset. Prefectus etiam paucis ante diebus nulla unquam machina se regiam castrensem lesurum esse per internuncium sane promiserat et, ni ab oppidanis rex exoratus esset, iam basilicas pene omnes, unde ictus emittebantur, amoliturum, quas marmoreas reficere pollicebatur, deinde urbem incensurum esse minabatur et fecisset quidem, nisi propediem se urbe potiturum esse confideret.

Interea Mapheus Naso et Franciscus Fontana a prepotenti Mediolanensium duce missi ad regem in castra venere, qui transactam Mediolani a Varadiensi episcopo ex composito Ioannis Cor-

vini et Blance Sfortie affinitatem retulere; hi magnifice in castra recepti paucisque post diebus a rege dimissi. Secundum horum adventum Hippolytus Estensis regine Beatricis e sorore nepos, cui Ferdinandus avus, proavus vero Alphonsus rex erat, cum honestissimo Ferrariensium comitatu in Pannoniam venit, ut metropolitane Strigoniensis basilice, cui Ioannes Aragonius eius avunculus ante prefuera, possessionem obiret. Mathias rex, ut nepotem pro dignitate susciperet, imprimis Zagabriam usque ad Berardinum comitem Modrusiensem cum nobilissimo equitatu obviam misit, qui metropolitam Sempronium adduxit. Post, ubi propius advenisse sensit, Stephanus Crispus a regina in occursum orator missus est, qui nepotem suo nomine visitaret et faustum gratularetur adventum ibique subsidere iuberet, quousque a rege in castra vocaretur. Rex interea cum prefecto urbis ad extremam rerum omnium inopiam redacto de deditione egerat. Tetaurus et nonnulli alii fuerant internuntii mediique. Idibus Augustis, ni validissima mitterentur ab imperatore auxilia, prefectus urbem dedere pollicetur, dummodo salvis impedimentis et corporibus tuto cum principalibus rebus abire trecentosque currus onerarios educere liceret; rex condicionem accepit. Prefectus urbis cum decem viris ad regem in castra venit ibique data utrinque fide declarata deditione, que ad tricenum diem transigi debebant; interea, ne tempus ibi tereret, dimissa obsidiaria manu nonnullisque equitum prefectis in Styriam castra movet et ad Sceam Viennam, que in Noricorum faucibus est, ducit exercitum. Id oppidum occupare decernit, ut Styriam pro arbitrato suo erumpere possit omnibusque opem Neapolitanis et Viennensibus allaturis hac iter obstruat. Motis igitur castris velites expeditissimique equites hostilem late vastare agrum iubentur. Incenduntur circum oppidula pagique et in predam omnia convertuntur. Scea Vienna continuo capta. Ibi Grophnicer resultantis ictu lapidis machinariis collisus interiit. Ibi Nicolaus Bamffii loco fratris a rege habitus in carcerem coniectus, quod non sine magna procerum consternatione factum est, et paulo post sua integritate dimissus. Quin et castellum e vertice prominens expugnatum et in iugum montis insana exere tormenta subtracta, quibus arx ardua protereretur. Patefactis angustiis in Styriam erupere legiones et oppidula circiter vicena eo tempore ceperunt. Paulo ante Idus Augusti, quo die Neapolitani urbem ex compacto dedituri erant, rex cum ovante exercitu in pristina castra rediit, ut ad prestitutum diem civitatem acciperet.

Post, ubi Neapolim e Styriensi vastatione reversus, nihil profecto Mathie fuit antiquius, quam Hippolytum ad se vocare, ut Itali eius comites gravissimam obsidionem triumphumque rite spectarent rem quidem et rege et spectatore dignissimam. Hippolytus nonum tunc nactus annum puer erat fausto aspectu, ore venustissimo, productiore aliquantulum naso, pulchris quidem oculis et grandiusculis, capite, humeris ceterisque membris inter

se mira pulchritudine consentientibus. Item color illi subful-
 vus, castaneus crinis, cogitabunda quoque facies et plus regie
 gravitatis, quam puerilis letitie referens, veluti nova preter eta-
 tem consilia argutaque responsa in horam excuderet. Ad hec
 imperiosa indoles et angelica plus magnanimitatis, quam humi-
 litatis pre se ferens. Cum generosum eius aspectum intueris,
 gravitatem inspicis sine suspicione tristitie ac ingentem sine
 menda venustatem proceramque tibi corporis staturam pollicen-
 tur. Severa diligensque principis educatio immaturam in eo
 gravitatem effinxit. Eutrapelon nimis est ingenium et ver-
 satile ac tanta versutia et dexteritate preditum, ut nunquam in-
 cautum offenderis. Verba pro tempore et loco gravia et ar-
 guta; nihil unquam ab eius ore profluxit insulsum. In disse-
 rendo quandoque usque adeo callidus, sollers et versutus, ut
 doctos sepe viros preter etatem obliget argumentis; in procerum
 colloquio constitutus perbrevis et opposita utitur oratione; si
 relaxandi animi gratia verbis a circumstantibus irriteretur, con-
 cinnua quenque responsione validoque epicheremate convincit.
 Quare ad clarissima queque facinora natus esse videtur, cum
 nihil in puero vulgare nihilque reprehensibile deprehenditur. Ab
 omni vitii suspicione videtur alienus. Mirabilis in eo pudor
 elucet, item summa religio; rhythmos quotidie sacros pontificio
 more dicitat, rem sacram facit; usque adeo turpitudinem omnem
 abominatur, ut ad divinum tantum cultum natus esse videatur.
 Mores eius ubique regii et a severa institutione profecti. Si qua
 Hippolyto remittende intempestive gravitatis gratia inter equales
 ludendi copia a magistro dabatur, ita salsus et facetus quando-
 que inter familiares apparuit, ut diu salibus Atticis dixeris im-
 butum. Precox in eo virtus et modestia cernebatur; nihil un-
 quam egit, quin etatem superaret. Quicumque ipsum intuebatur,
 multos in eo Aragonios Estensesque principes licebat intueri.
 Quod, si cum exitibus principia plane consenserint, nemo, qui
 eum contemplatus est, prestanti clarissimum principem indole
 futurum non hariolaretur.

Quare Stephanum rex Bathorem, quem e Transylvana pro-
 vincia paulo ante evocarat, ut expugnandis ad extremum Neapo-
 litanis adesset, et cum delecto mille hominum equitatu advenerat,
 Sempronium mittit, ut magnifice pro archiepiscopi dignitate Hip-
 polytum in Pannonica castra ducat. At vir ille severus, integer
 et eximius discipline militaris artifex, qui perpetuam sibi casti-
 tatem indixit, ut omnium est opinio, diligentissime mandata per-
 egit. Sempronium cum equitatu nobilissimo contendit et me-
 tropolitam secum adducit, cumque per cursores auditum est ad
 dena milia passuum appropinquasse, rex continuo quadrata duo
 agmina obviam premisit, qui Strigoniensem archiepiscopum ex-
 cellentissimum Ungarie primatem et legatum pontificium, ut
 aiunt, natum, uti par erat, prevenerentur et non etatis, sed
 precellentissimi generis et potestatis rationem haberent, belli pre-

ludia inter redeundum agerent, varia pugne simulacra oblectandi pueri gratia referrent. Ad tertium usque lapidem ipse demum cum universis optimatum procerumque ordinibus et prefectis occurrit; Hippolytum haud aliter, atque unicum gnatum amplexus totum osculis aspersit et spectata generosa indole usque pro filio dilexerit; singulari pompa plausuque militari in castra et tabernacula sua perduxit. Honorificentissime hic Hippolytus cum Ferrariensium nobilitate excipitur, interdiu noctuque visitur a rege, sepe rapitur in amplexum et quotidiana regis indulgentia confovetur. Ad reginam deinde ducitur Letinbergi pre adversa valetudine cessantem et, ubi fauste matere letitiae satis factum est, ad regem in castra subinde refertur.

Cum accipiende urbis dies instaret, decedentibus Alemanis ad prestitutum diem hec regi deditur; mox custodibus immissis, qui per fastigia passim urbis Corvina Pannonicaque signa disponent, instructis victrices legiones ordinibus urbem una ingressae altera porta in castra rediere. Regina deinde cum aulicorum et oratorum manu arcem adivit, ut Cesaree urbis imperium obiret virumque triumphantem exciperet. Tertio die expectata siderum dexteritate Mathias ovans sub umbrellae magnifica pompa et precedentibus cunctis sacerdotum magistratumque ordinibus urbem ingressus est. In qua quidem pompa non fercula spoliolorum, non captivorum turba, non oppugnationis confecta simulacra, sed victricis tantum Corvina vexilla precessere. Post regem Hippolytus Pannonicorum princeps primatum, item Urbanus, Thomas secretarius, pontifices et prefecti castrorum in palmata veste successere. Imprimis Stephanus Bathor, Stephanus comes, Tetaurus, Gerepetrus et Mathias frater, item Bertoldus, Iacobus Zechel et Ladislaus Canisai; succedebant ceteri equitum prefecti et cohortes militum, quae certatim in triumpho, in triumpho ingeminabant, Corvinum Caesarem Augustum et verum denique imperatorem exclamant. Varie tunc nationes suis quoque linguis divo Mathiae cuncta feliciter publicis votis optabant. Mathiae tandem Neapolitana civitate potito et de Augustali sede triumphanti ex omni fere Ungaria legati congratulatum convenere. Quin et ceteri pontifices proceresque absentes suum vite officium prestiterunt. Verum illud profecto nec minus quidem admirabile visum est nullam vim, nullam insolentiam nimiamve contumeliam et convicium neque publice neque privatim victis illatum, immo ubique honeste sancteque versatum. Ille nempe melior esse videbatur, qui pallentis longa fame hospitis ora citius refocillaret. Quin et ex oppidanis aliqui inconsiderata colluvie distenti expirarunt.

Sed quis illam acierum instructionem tacite pretermiserit, quam eo die instituit, quo compositis Neapolitanis rebus castra moturus ad Scaem Viennam properavit, quae uno die obsessa visa est et capta? Ante Neapolim in patentissimo campo legiones omnes explicuit, in aciem digessit, ubi, quaecumque apud veteres legeram de disciplina militari, mihi recognoscere licuit. Nimirum

ibi se non modo regem sapientissimum potentissimumque prin-
 cipem, sed imperatorem quoque consummatissimum ostendit. In
 quattuor tantum agmina distribuerat equitatum, velites ac equites
 levis armature in duas tantum alas redegit, ut brevi copiarum
 distributione multitudo facilius regeretur et confusio evitaretur
 omnis. Exercitus, qui castris prodierat in campum, ut instituto 90
 agmine ad occupandas Noricorum furcas faucesque contenderet,
 ex octo milibus peditum et viginti milibus equitum (sine pueris,
 calonibus et lixis), item ex carris circiter novem milibus sane
 constabat. Rex autem suis manibus cuncta agmina instruere vo- 91
 luit et castrensia munia pro meritis ipse distribuit. Cuique ag-
 mini vexilla sua esse, ubi imprimis Christiane fidei, mox Cor-
 vine domus, deinde invicte gentis Ungarie, postremo Dalmatici
 Bohemique regni et Australium insignia spectari; neque pre- 92
 fectorum equitum militumque deesse vexillationes, immo viritim
 quisque equitum prefixa hastis vela ferre, quod ad militare orna-
 mentum admodum faciebat. Imprimis, ubi inter turmas ille
 prodiit, silentium indictum non solum viris, verum etiam equis re-
 ligiose servatum. Allata primi agminis in medium signa e manu
 sua prestantissimo veterano non sine solemnī prefatione diligenti-
 que precepto commissa. Calcaribus ille carere, quod non sine 94
 admiratione spectare visus sum. Id factum idcirco rebar, ne
 in maximo conflictu pre timore concitato equo fugeret suaque
 fuga reliquorum animos consternaret. Mox duodecim enses, 95
 totidem secures et clave benemerentibus date. Securiferi, ensi-
 ferī claviferique vexilliferum circumstare. Deinde turmarum ordi- 96
 nes ante vexilla constituti, quorum singuli ex quinque et viginti
 equitibus constabant, ut numerus equitum cum turmis consentiret.
 Proinde turme circiter octoginta equitum ante signa precedere, 97
 subsequi totidem; reliqua demum agmina eodem modo insti-
 tuta. Ita quisque ordinem servavit, ut, si digito plus alio pro-
 cessisset, imperatoris quam maxime circumspecti sevitiā refor-
 midare cogeretur. Tantum ubique vigeat obsequium, tantus 98
 timor et reverentia cum imperatoris amore coniuncta, ut dicto
 citius imperata quisque prestaret, vitam, dum imperio satisfaceret,
 pro nihilo duceret. Tantum est ubique silentium, ut non modo
 preter imperatoriam nulla humana vox, sed ne ullus quidem
 equorum hinnitus usquam sit auditus, institutum. Deinde quod 99
 agmen, ubi aliquanto precesserat, dato signo ante principis
 ora belli simulacrum agere et nunc in cuneum, nunc in orbem,
 nunc in trigona tetragonave aut in forcem et serram mutata
 acie verti. At, ubi satis superque nemine suum locum deserente 100
 summa peritia et dexteritate lusum est, uti sue Beatrici ostend-
 eret evidentiū, quomodo instructa acie pugnaretur, repente ag-
 mina cuncta disposuit. In utroque eorum duo validissima cata- 101
 phractorum equitum agmina collocavit, digessit turmatim, duo
 quoque alia in medio statuit; his etiam militum agmina in-
 teriecit. In primo horum ordine gravis armature pedites, deinde 102

hastatos, sagittarios, ferentarios ceterosque levis armature milites rite disposuit. In tertia acie triarii presidebant et extrema signa tuebantur. Item ante utrunque cornu duas velutum alas intendit, 103 qui quidem ordinem servabant, tanta pernicitate prepollentes, ut aves cursu adhibere posse viderentur. Ego autem Beatricem 104 secutus, dum ad spectandum instructum exercitum me converto tanquam manum collatis signis iam iam cum hoste conserturum, maxima sum continuo admiratione correptus, nam veri scorpionis imaginem preferebat. Post, ubi satis superque a Beatrice spectatum, 105 ex ordine quodque agmen iter facere cepit. Carri pariter a latere agi, quibus pro fossa valloque ex instituto Corvini Ungari solum munire castra, verum etiam falcatis in prelio uti hostesque his circumvenire solent. Miranda sunt profecto, que 106 diximus, cum nunquam hec in Italia videre licuit.

Sed, cum disciplinam militarem moresque sanctissimos, quibus 107 Mathias Ungaros educavit, mecum ipse considero aliquandiu in castris diversatus, ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam gentium milites spectare licuit calor et frigoris, 108 item laboris et inediae tolerantiores, qui studiosius imperata faciunt, lubentius dato signo pugnam ineant, se morti promptius exponant, item, qui militarem seditionem magis detestentur, in castris quietius honestiusque vivant, sese religiosius agant, tumultus magis abominentur et rixas, colant avidius temperantiam et castitatem et ab omni blasphemia, periurio illegitimaque venere sint magis alieni. Maxima pars equitum, quibus uxores sint 109 et liberi, triennium quandoque assiduo militare coacta nunquam coniugii fidem violasse creditur. Si quis cum scorto deprehensus est, perpetua sugillatur infamia. Fortitudinis et patientie sunt 110 plus, quam Lacedemonie. Hieme iuxta, atque estate castra frequentantur. Et, quod meis hisce oculis sepe vidi, sub nivibus ac terra, ne obsidionem deserant institutam, toleranter hibernant. Unde murum sepe more prodeunt, stationibus totam noctem tesserariorum iussu equites adsunt neque loco moventur neque de rigenti algore queruntur. Et, quamvis plerisque membra vesaniente frigore obstupescant, invicto tamen animo cuncta patiuntur; 112 liberos in castris alunt ibique militaribus studiis informant. Ex quo fit, ut gens Ungarica bello aspera ita institutis, ductu 113 auspiciisque Corvini accreverit, ut, que non modo paternam in Pannonia glebam possideret, sed vix intra hostile pomerium se sine sanguine tueretur, tantum fecerit accessionis, ut non a Sarmatis ad mare usque Adriaticum, at a Mysiis atque Macedonibus ad Noricos usque ac Germanos sub ditione sua imperium propagarit. In Pannonicis etiam castris multos Curios, Camillos et 114 Fabricios, multos etiam Fabios, Scipiones et Emilios perlustranti recognoscere illa tempestate licuit. Mathias autem Cesarem Alexandrumve et re et verbo referebat.

Hoc etiam anno fedus cum Anconensibus rex percussit, sigillum et signa regalia misit, que terra marique gestarent et, qui-

cunque illa lederent, pro hostibus a Mathia ducerentur. Initam cum Pannone societatem Innocentius pontifex maximus egerrime tulit et ad rescindendum fedus Anconem vi urbem adegit. Veneti, quibus cum pontifice ictum fedus erat, ita criminibus Anconenses onerarunt in Pannonis invidiam ut nunquam quieverint, donec signa regis cives sedande iracundie gratia Romam ad Innocentium miserint.

Rex igitur Neapolitana urbe potitus, ut ad historiam redeamus, Ferrarienses, qui Hippolytum Aragonium adduxerant, paucis post diebus magnifice donatos in Italiam remisit. Regina e celi iniquitate gravi febre correpta Viennam rediit. Quin et ob diutinam obsidionem in castris et in urbe pestilentia non mediocris obreperat, qua multi aulici militesque non ignobiles absumpti. Rex ad componendas res Stirie remansit. Neapolitani in manus regis publice iurarunt se imperata eius ac posterorum plane facturos initamque societatem et promissam fidem nunquam violaturos.

Paulo post in penitioribus Austrie partibus haud procul a divi Hippolyti oppido suscitatum a Cesareis est bellum, quo cum regie turme nonnullaque cohortes obviam concessissent, commisso temere prelio acerrime pugnatum est dubio utrinque eventu; Alemanni tandem fusi et multi utrinque capti sauciique et ne pauci quidem in eo certamine desiderati. Cumque semper aliquid novi apporet Austria et Fridericus imperator in tanta rerum iactura neque dolis neque viribus parceret, nonnullos sibi notos, ut a rege deficerent, excitavit. Quare eodem anno dux Victorinus Georgii quondam regis filius et comes Guilhelmus, item nonnulli in Austria reguli una ex composito rebellarunt, ut vario regem bello defatigarent. Rex omnia bellantium oppida publicavit. Both Andreas prefectus equitum impiger et industrius calidissimi compos ingenii ac maiestati regie perquam charus ad capienda Victorini oppida in Sclavonia, que cum Oppavie ducatu quondam cum rege commutarat, missus est cum cohortibus et quingentis equitibus Iacobus Zekel ad Guilhelmi fratrumque oppida, que non procul a Zagabria prominent. Is eo anno in Stiria, Carniola et Carinthia diversatus, totum agrum late incur-savit vastavitque, multa imperatoris oppidula cepit, demum in Venetorum usque fines licentius evagatus est. Qui autem in Austria rebellarunt, in sequenti anno patefacta defectione oppidis cunctisque bonis a rege sunt exuti. Capta Neapoli proxima hieme ad oppidum, cui a divo Hippolyto nomen est, conventus ex composito indictus, quo rex cum oratoribus Cesareis et Bavarie ducibus convenere; indutie ibi facte.

Verum superiore anno Idibus Maiis Ioannes Antonius Mediolanensis nondum metropolita cum ornatissimo nobilium comitatu ad confirmandam Ioannis Corvini et Blance affinitatem ab antistite Varadiensi prius initam Viennam ad regem venit, quem, quibuscunque potuit, honoribus ille recepit et dispositis e sententia rebus omnes amplissime donatos in Italiam remisit; circumspectus

enim princeps, ut multi perhibent, cum se valetudinarium esse intelligeret et perbreui moriturum, nam ex labore militie cohortem in se contraxerat morborum, filii nuptias festinare occipit, quas ex affinitatis legibus facere non poterat, nisi Ioannem prius regem constitueret. Decreverat se Bohemie regno abdicare, sufficere sibi filium, cum de Ungaria repugnante Beatrice noverca nihil auderet. Quare in Silesia cum quodam duce bellum suscitavit, ut amplissimum gnato dominatum traderet. Neque Lusatiam intactam pretermisit; in utraque provincia nonnullos regulos ad venumdandas urbes impulit et recusantibus captata legitima occasione bellum indixit. Cum igitur in Silesia bellum foret obortum, Trincha Bohemorum equitum prefectum et Franciscum Aristium cum expeditissimo equitatu in provinciam misit; utrique, veluti a rege mandatum erat, cuiusdam illius ducis munitissimam urbem obsident, quem a fide regia defecisse dicebant. Ille ad Wladislai regis opem confugit auxilium implorans; ob veterem cum Mathia societatem Wladislaus auxilium abnegat, ne sanctum fedus violare videretur. Recurrit ad proceres passim opem exorans admonensque, nisi prospiciatur, que ipse mala nunc patitur, eadem illos esse mansura. Quare illi persuasi e collecta stipce auxiliares copias mittunt, ne socium et amicum paterno et avito dominatu spoliari patiantur. Dum urbs acerrime obsidetur, solve de gratia obsidionis accurrunt, in conspectu castra locant, mox captato tempore prelium ineunt. Hi tanto in Pannonnes impetu irruere, ut aliquantisper eos inclinarint. Ungari in hac re Bohemorum perfidiam causabantur, quippe qui, ne gentilia bella committerent, eos prelium detrectare dicebant. Aristius Bohemica fide parum fretus cum expeditissimo equitatu se in sylvam recepit, ut a tergo latereve hostem incautum adoriretur; circumacto non imprudenter agmine demum in Bohemos irruit. Pertinax hic pugna conseritur; multi utrinque trucidantur. Trincha tandem cum quadrato Bohemorum agmine, quamvis invitus cum sua gente certaret Bohemicumque sanguinem hauriret, tamen, ut militari officio satisfaceret, acerrime desposita suorum charitate pugnavit; cum hic a fronte, a tergo latereve collega certaret, Bohemi diffugere demum occepere. Fuso fugatoque hoste, cum Pannonnes se in castra non incruenta victoria recepissent, urbs interceptis auxiliis consternata deditionem tandem facere coacta. Hinc inter Mathiam et Wladislaum regem oborta simultas. Hic queritur, quod preter iura federis suis hostibus auxilia submisisset, ille crimen infitatur et societatem se sancte servasse profitetur, id tamen fatetur ingenue se Bohemis, qui e militari stipendio victitant, aliena stipendia legitime inhibere haudquaquam potuisse. Ioannes Varadiensis antistes Bohemici regni procurator conquestum de lesa societate a Mathia missus et super ea re a Wladislao bis excusatum delecta procerum legatio Viennam venit.

Compositis tandem utrinque rebus Mathias dissimulata iracundia ad amplificandum filio apud Slesitas Lusatianosque imperium animum revocat. Varadiensi tantum in hac re medio utitur, quem Bohemicarum rerum moderatorem dexterrimum esse noverat. Is e mandato principis eas sepe duobus illis annis provincias repetit, regulos omnes ad venundandas regi civitates hortatur, magnam promptamque mercedem pollicetur, imminentium admonet periculorum. Quare optimi proxenete astu varias urbes cum municipiis et dominatus in utraque provincia regem gnati gratia mercatum fuisse dicunt. Eo usque in Lusatia propagatum eius imperium, ut duorum dierum itinere Sarmaticum Oceanum attingeret. Quod tam prospere in his partibus cuncta successerint, et Varadiensis et delectus regis exercitus ibi diversatus, qui longis incursums omnia late magno terrore perculerant, in causa fuere. Datus preda exercitus preter duplicata stipendia et Ioannes Varadiensis amplissimo dominatu, qui septies mille aureum quotannis reddebat a rege donatus. Cum rex Vienne duobus annis post captam Neapolim et octo fere mensibus permansisset, in Silesiam et Lusatiam sub diete, ut aiunt, pretextu sepe se iturum esse predixit. Quid aliud moliretur, ne satis quidem exploratum habeo.

Eo tempore Stirii et Carinthii ob frequentes Pannonum incursionones pacem sepe mercari sunt adacti. Quin et presides provinciarum, reguli, abbates, pontifices et prepositi cum Augustali oratore Viennam venere, ut pacem a rege mercarentur. Res omnes hic Urbano auctore et Thoma pontifice Iauriensi suffragante composite sunt et fortasse carius pacem emerunt, quam si bella gessissent. Ii demum a rege compositis rebus lautissimo convivio sunt excepti et nonnulli non indonati abiere, ut in Pannonicam e largitione fidem prevenirent; si quid in eos avare patratum est, id factum, ut vi adacti ab imperatore deficerent. Eodem quoque anno Turcorum legati pro confirmandis sepius indutiis in Pannoniam venere. Adventarunt quoque Polonorum oratores, ut Mathie similtatem cum Wladislao dudum initam et suspensionem omnem, quacunqne possent, arte adimerent et alia nonnulla disponerent. Usvaldus Zagabriensis episcopus in Poloniam remissus e sententia regis mandata peregit. Item in sequenti anno Dominicus prepositus, ut aiunt, Albensis et basilice dive virginis antistes ad sedandas, que quotidie utrinque oboriebantur, controversias et suspensiones eodem a rege missus est, qui ad obendum munus oratorium nimis videbatur idoneus.

Postero autem anno Calendas circiter Ianuarias, qui octogessimus nonus supra millesimum et quadringentesimum erat, cum rex Vienne foret, celum preter morem graviter intonuit, quo quidem portento perculti et attoniti omnes regie maiestati nimium timere cepimus. Ex inita enim podagra et obrepente quodam languore laborare cepit, ut nunquam pedibus ultra constiterit. Eius protomedicus Iulius Emilus erat non minus genere, quam doctrina prestans, qui ne parum quidem hucusque in regia valetudine fortunatus erat; cum huic alter Italus adiectus esset, remisit

diligentiam, cum in suam invidiam corrivalem sibi inductum arbitrareretur. Increbescente deinde morbo eius vita vix in duos a medicis annos differri potuit. Hoc anno multi ex universo orbe ad Mathiam oratores confluxere. Eo usque nomen eius excreverat, ut universus eum orbis veneretur et time-
ret et non solum Christiani principes, verum etiam profani huc missis e remotissimis partibus oratoribus instarent et amicitiam anhelarent. Superiori anno Petrus Siculus episcopus Lucerius, historicus et orator optimus a Ferdinando rege missus erat. Hoc vere Angelus Hortanus antistes legatus apostolicus, uti Petrum archiepiscopum liberaret quattuor iam annos in carcere iacentem, Viennam venit et magnifice a rege susceptus est. Deinde cum ingruente vere Budam rex anno secundo descenderet ab Ungaris diu crebris legationibus repetitus, paulo post legatus Venetorum advenit, uti obortas in Dalmatia de finibus controversias plane componeret. Talis pretextus obtendebatur, verum, uti multorum ferebat opinio, cum iam Pannon prepollens viribus Venetis formidolosus esse cepisset et de brevi eius vita rumor differretur, exploratum potius, quam oratum accessit.

Paucis post diebus honestissima Turcorum legatio affuit, qui non modo indutias, sed pacem instantissime postulabat, ut acceptam et sane gravissimam eo anno a Solodani in Syria cladem compositis cum Pannone rebus ulcisceretur. Nondum ista honorifice dimissa, cum patriarcha Hierosolymitanus Solodani Assyrie principis orator diu expectatus advenit. Superiore nanque anno per Iunium patricium Ragusinum varia Solodanus ad regem munera vestesque Tyrias miserat. Is de ineunda cum eo societate in Turcos diligenter egit multaque pollicebatur, si communi ductu et auspiciis expeditio ista susciperetur. Nam, cum paulo ante terra marique insigni sane clade Turcum in Syria afflisset, ut a tergo Mathias instaret, Assyrius tyrannus nimis appetebat; per brevi, si hoc fedus ictum foret, Turcorum vires attenuatum iri confidebat. Mors autem, uti paulo post rite dicitur, omnia intercepit. Eodem etiam die Roxanorum legati cum Peloponnensi despota exaudi ac omnes magnifice et recepti et dimissi sunt. Item, Friderici imperatoris et Maximiliani Romanorum regis legati cum eximio comitatu in hec tempora inciderunt, ut cum Ungaro de pace agerent et longissimo bello finem imponerent. Quod cum Ferdinandus rex Neapolitanus accepisset, ut ad salutarem concordiam utranque partem hortaretur, Franciscum Montanum civem Campanum in Pannoniam extemplo transmisit; succurrebat filie sollicitudini, ut regine Beatricis officium curaret et saluberrima pace ageret. Imperatoris autem oratores iidem iterum ultro citroque missi, ut in condiciones pacis utrique consentirent. Interea prorogantur indutiae, ut commodius de pace ageretur. Ii tandem magnifice donati abiere. Item ex tanta oratorum varietate nemo indonatus a rege dimissus est. Quin etiam tanta fuit divi Mathie magnificentia, ut nullus orator, princeps, nobilis et cuiusvis fortune hospes fuerit, qui recta eum adiret, quin preter amplissima munera quotidianum victum e fisco vel lautissimum haberet.

Contra rex ad Cesarem et Maximilianum filium, qui Lincii 165
 moram traxerat, Ioannem Varadiensem episcopum oratorem misit,
 ut de pace tractaret, qui magnifice haud secus, atque alias, lega-
 tionem illam peregit et, cum a Maximiliano sibi verba dari intelli-
 geret, ipse quoque verba dedit. Pax autem confici non poterat. 166
 Imperator omnia sibi adempta gratis reddi, immo rerum et per-
 sonarum damna refici postulabat. Contra Mathias, cum legiti-
 mum bellum gesserit, indemnem se prestari oportere dicebat at-
 que septies centena milia nummum aureum sibi pro diutissimi
 belli sumptu repetebat. Maximilianus paternam pertinaciam egre 167
 ferre neque tantam pro belli sumptibus pecuniarum summam a
 rege peti eque tolerare, inter extrema hec mediocritatem appe-
 tere et, cum se a rege et amari et observari plane sentiret, multa
 sui gratia oppida ultro a Mathia redditum iri confidere; quando
 principis magnanimitatem haudquaquam ignorabat, proinde bona
 verba dare. Contra Mathias artem arte eludendam esse cen-
 suit, Maximilianum muneribus primum captare cepit et in Lin-
 cio commoranti quadringentos vini cados totidemque boves et duo-
 dena nummum milia dono misit. Varadiensem antistitem remisit, 169
 si quid de pace confici forte posset; eo obstinatorem Cesar se
 prestabat, quin et filium iam ad Mathie partes declinantem suspec-
 tum habuit. Quare sepe petenti aditum occlusit interdixitque
 colloquium. Ad postremum Otto Bavarie dux cum septem colle-
 gis orator ab imperatore missus, ut elegantissima vehementius le-
 gatione rex ad ineundam pro Cesaris arbitrato pacem flecteretur.
 Hos magnifice rex excepit donavitque multo magnificentius, de
 pace tamen nihil transigi potuit, inique enim utrinque condiciones
 offerebantur. Insuper ne temere quidem factis cum Gallie rege
 indutiis Maximilianus in Austriam eo anno tantopere festinavit,
 nam non solum a patre Cesare mathematicis divinationibus ni-
 mis obrorio, sed a multis quidem astronomis fuerat admonitus
 regem eo anno moriturum. Neque is etiam ignorabat, quid astra 172
 minarentur, quibus inconsultis nihil unquam agebat. Cum igitur
 Maximilianus in superiorem Austriam concessisset, sub con-
 cordie pretextu mortem regis prestolabatur, crebros oratores nun-
 ciosque mittebat, ut de nutante valetudine certior esset.

Paulo ante rex valetudinarius Vienna Budam profluente amne 173
 descendit et ante Ottonis adventum, dum festa sanctissime eucharis-
 tie celebrarentur, in longisisima sacre pompe transvectione, cum
 rex ex alto spectaculo presideret, in frequentissima contione pax
 inter Pannonem et Alemanum publico edicto promulgata et ad
 Septembres, ut aiunt, Idus dieta indicitur, ubi Cesaris ac re-
 gis concordia presenti utroque principe transigenda erat. Sed in- 174
 crebrescente Mathie morbo res in alterum mensem prorogata.
 Menstruatim deinde conventus iste differebatur. Rex iniquam
 valetudinem causabatur; disponuntur in adventus indicium cur-
 rus circiter quinquaginta onerarii, quibus thesaurus universus
 erat impositus, et menses tres in arcis propyleo dispositi asservan-

tur. Novembris et Decembris iniquitatem sibi timendam con- 175
 iectores et astrologi predicabant et ne temere quidem, quando
 his mensibus tertiana febris laboravit. Exactis igitur divi servato- 176
 ris nostri natalibus et captato deteriore horoscopo, cui nimis erat
 obnoxius, premissis curibus utpote evitato mortis periculo Vien-
 nam contendit.

Superiore anno Stephanus Crispus nunc Sirmiensis episco- 177
 pus humanitatis studiis Ungarorum sane omnium eruditissimus
 et elegantissima dicendi copia praeditus edicto regis orator ad
 inclytum Mediolanensium ducem profectus, ut Corvini Blanceque
 nuptias in proximum annum prorogaret faustissimamque affini-
 tatem confirmaret, honorificentissime a Mediolanensibus excep-
 tus est et in senatum admissus. Facta dicendi potestate orati- 178
 onem verborum ornata et sententiarum gravitate praestantem,
 que adhuc extat, habuit ac ad alia secretiora mandata pervenit.
 Hic totius Ungarie nomine congratulationem instaurat, regis et
 senatus auctoritate initam olim affinitatem confirmat, ratas
 et firmas condiciones omnes esse iubet. Demum illustrem du- 179
 cem et Lodovicum patrum eius consiliorum omnium moderato-
 rem, ea tempestate circumspiciendum apud omnes habitum
 ac universum denique senatum exorat, ut, cum rex eo anno gravis-
 simis rebus foret implicatus, in posterum differri nuptias filii equo
 animo paterentur, uti magnificentius ac tranquillius pro utriusque
 partis dignitate fierent. Id non ab re a rege postulatum, nam, 180
 cum ex legibus affinitatis filium regem ante nuptias prestare
 oporteret et Ungarie ipse coronam tuto resignare non posset ve-
 ritus Beatricis acerrime adversantis et procerum seditionem, Bo-
 hemie regnum in Lusitiam et Silesiam propagatum gnato renun-
 ciare destinarat. Et, si quid in hac re novi moliretur, ipse scivit; 181
 quam ob rem nuptias in posterum annum prorogari postulabat,
 ut principibus Mediolanensibus promissa prestaret. Omnia Cris- 182
 pus et suavitate orationis et regis auctoritate ab illis impetravit.
 Compositis rebus, ne illius ducis vires ignorarent, in erarium intro-
 ductus est, ubi thesaurum immensum et inauditam margaritarum et
 lapillorum copiam spectavit. Antequam reversurus in Ungariam 183
 iter iniret, multa in Italia mercatus est; reversus ad regem nec ip-
 sum nec reginam immo neminem amicorum pretermisit indonatum.

Insequenti hieme multa ac varia Vienne sunt edita certamina 184
 imprimis equestre singulareque certamen. Hic Ioannes Corvinus
 primum se pugne commisit; in hippodromum armatus cum de-
 lecto regulorum equitatu descendit et presidentibus in theatro
 parentibus cum equite natu longe grandiore pulcherrime depu-
 gnavit. In primo nanque congressu, cum infestis utrinque hastis 185
 in arena decurrerent, concertatorem leso capite ex equo deturbat.
 Rex autem, cum Vienne quamvis ingravescente in dies egritudine
 sensim extenuaretur, nunquam tamen a curandis rebus domi
 forisque cessare visus est. Ingruente mox Febuario et deinde 186
 Martio citatis per humana corpora iam primo tempore humori-

bus eo magis labefactari cepit. Curabat nihilominus adhuc omnia ac nihil de pristino studio et diligentia remittebat. Iam annus nonagesimus supra millesimum et quadringentesimum agebatur et rumor erat estate proxima in Silesia regem conventum frequentissimum habiturum atque idcirco Ioannem Varadiensem episcopum in provinciam paulo ante premiserat, ut dietam provincialibus indiceret, ad hanc principes cogeret et ad regis obsequium populorum animos bene disponeret. Interea rex, qui Vienne remanet, secum magna molitur. Urbanum apochrysiarium cum exactis vectigalibus Viennam festinare iubet; tum dominice pasche sollempnia appropinquabant; quibus exactis se ad dietam propediem in Silesia iturum esse predixerat; sacra ex arbitratu suo et varios sacrorum dierum apparatus instituit.

In celebratione Palmarum cum omnibus oratoribus, legato apostolico et cunctis procerum ordinibus in theatrum temporarium, quod in arcis subdivalibus pridie erexerat, hexaphoro devectus est compta et pexa coma hilarique vultu rite sacrificaturus. Aram ibi pretiosissimo instruxerat apparatu, donec Palmarum festa ex more agerentur. Sex circiter horis ibi affuit incredibili patientia; peractis ex ordine sacris Venetum oratorem ante solium constitui iubet, mox eum in equestrem ordinem refert aureaque veste ac equo phalerato donatum honestissime dimittit; se, cum nihil hactenus ientasset, imminente languore in penetralia recepit. Distulit per horas tres e stomachi debilitate prandium nec non et reginam expectavit sacro die urbana templa lustrantem; dum eam prestolatur, ad languorem declinandum ientandi gratia Picenas fies Petrum promptuarium exposcit; at ille cariosas attulit et exoletas, quas cum pergustasset, ita in primo morsu offensus est stolido illius ministerio, ut in iram excanduerit. Ad hec regina reversa intercessit, pro ingenii viribus commotum virum sedat placatque. Exorto de prandio sermone et illa gustu ientacula varia subministrante nihil accepit; causatur vertiginem capitis est confusa lumina; in cubiculum se referri iubet. Ecce apoplexia repente corripitur; dux Corvinus, Petrus et Mathias Gerebi eius consobrini extemplo acciti affuere, item Urbanus pontifex Agriensis et Thomas secretarius, comes Stephanus prefectus et Bathor vaivoda ceterique proceres. Ad pontificum procerumque concursum omnes, qui aderant, animo consternati sane defecerant; regem enim omnes conspicabantur gravissimo corporis cruciatu torqueri et pre vi morbi nihil loqui posse, hay hay tantum et Iesu exclamare, nulla alia verba fingere posse; ob ingentem igitur principis reverentiam et in tanto vite discrimine nemo ipsum tangere aut aliquo verborum cibive adminiculo subvenire ausus est. Sola regina nunc ore, quod dudum is obstruxerat, vi adhibita patefacto vite fomenta ingerere, nunc, ut resipisceret, aures, digitos crinesque distrahere, nunc braccia, manus et tibias obligare, ut in tali periculo fieri solet; item obclamitare ad aures et inversos oculos aperire, nullum studium

et charitatis officium omittere, nunc medicos morbi gravitate confusos consulere et hortari. Contra ille ad dolorum tantum insultus adauctusque ingemiscere, rugire leonis more et cum ipsa morte acerrime colluctari.

Tacitus fletus, quicumque aderant, amicos incessit. Dolebant proceres legionumque prefecti, qui arcem adire potuerant et regem e tot bellorum periculis asservarant, nullam nunc opem contra fati imperium afferre posse. Preterea sibi regnoque timebant non ignari e medio sublato principe omnia mixtum et perturbatum iri. Ingentes igitur tota nocte mugitus edidit. Ingruente demum aurora dolor vesanus ille desedit. Horas aliquot ne tranquillius quidem eum somnus obrepsit. Deinde vesanius iterum morbo experrētus totum illum diem mutus et resupinus insomnem egit; obfirmato sepe obtutu modo hunc, modo illum, nunc filium ante stantem, nunc reginam intuetur, veluti aliquid admoniturus dicturusve, verba sepe effingere conatus, nunquam tamen proferre potuit. Instabat regina rogans, quid iuberet, et tanquam eius nutum intelligens percunctata, an hoc, an illud imperaret, nullum unquam verbum exegit. Cum in letiferum recidebat ille soporem, ad superiora hec remedia recurrebat; iterum artus obstringit, in os aliquid fomenti vitalis infundit, inspirat auribus et emigrantes spiritus, quacunq̄ue potest, arte remoratur. Sic ista infaustus dies actus. Tertio vero, qui a Marte nomen accepit, inter septimam et octavam horam ante meridiem, cum raucos semper gemitus emisisset variaque ingenite penitentiae indicia, veluti divinam veniam imploraret, edidisset, e profluvio demum capitis animam efflavit. Inter moriendum pilula nucis instar e stomacho repente suboritur et inter agenda animam sensim ad os subit; cum ad epiglottim pervenisset, ille continuo expiravit. Mathias igitur princeps invictissimus anno salutis nonagesimo supra millesimum et quadringentesimum Nonis Aprilis et die Martis, etatis autem anno quadragesimo septimo cum perpetuo sui desiderio diem obiit. Et, quemadmodum mense Martio natus erat, ita die et hora Martis vita decessit.

Multa eius mortem signa portendere. Imprimis enim superiore anno post Kalendas Ianuarias celum intonuit, item Danubius insolenter post obitum eius excrevit, multos pagos et accolae urbes inundavit, ut extincto regni propugnatore Pannonias a Turcorum incursu tueretur. Leones quoque, qui Bude detinebantur, omnes eodem, quo rex, die interiire. Item nulli eo tempore corvi, qui Corvine domus insignia referunt, Bude suspecti sunt, contra Albe, ubi regum monumenta sunt Ungarie, tanta corvorum mutuo inter se crocitantium multitudo spectata, ut omnes hic regis mortem facile hariolarentur. Neque coniectores et mathematici eo moriturum anno reticere. Insuper paulo ante, cum Vienna Budam descendimus et ad Cumaram rex ipse substituisset, in turris fastigio, que supra portam extollitur, ciconie nidum suspeximus, de quo explosa domina quattuor inter se ciconie

acerrime sane certabant; iussit ceteros id aulicos mecum una
 suspicere, mox inter socios, veluti divinitus afflatus Pannonicam
 eo anno concordiam turbatum iri et mortem hinc principis immi-
 nere auspicatus sum, in partes item quattuor Ungarorum studia
 dividi, quando reges quattuor de regno dimicaturi erant; atque
 infirma id regis valetudo auspiciis confirmabat. Postero die
 mortis corpus regio cultu ac insignibus exornatum strato ex
 ostro lecto in amplo triclinio expositum, ut ab omnibus videri
 posset; deinde, quamvis exenteratum cum subolere cepisset, in
 picata capsula reconditum datoque primario Aladario Bodocaspari-
 que negotio secundo amne Albam demissum, quo usque exequia-
 rum apparatus rite fierent, uti infra dicitur. Beatrix vero Ioan-
 nesque Corvinus extincto rege accita in arce optimatam turba una
 cum universa aulicorum manu principem miserrime deplorarunt.
 Certatim hic proceres divum Mathiam regem optimum ac princi-
 pem invictissimum profuso planctu deflevire.

Illud omnibus lacrimarum profluvium excitavit, cum Corvinum
 duces adhuc adolescentem tanto patre orbatum ultro se ad regine
 pedes prosternere conspexere et amplexibus pedibus obsecrantem,
 ne se pupillum desereret neve sanctissimi parentis memoriam de
 illa semper optime meriti perditum ire pateretur, immo commen-
 datum haberet, duceret pro filio, uti patri ante sepe receperat,
 quando se novercam pro pientissima semper matre habiturum
 esse pollicebatur, et in tanta amicorum orbitate gnatum ex corde
 diligeret et amaret. Eadem flexis genibus patres omnes ac
 proceres reginam orant atque certatim in commendando adole-
 scente suffragantur. Sedato aliquantulum planctu, ne res Panno-
 nice sine moderatione perditum irent, in manus regine et Corvini
 ducis cuncti sponte iurarunt se, quam Mathie regi prestiterant,
 fidem et obsequium utrique prestituros, imperia cuncta facturos
 atque nunquam edicta ulla detrectaturos. Nam, veluti cum defec-
 tunc solis accedit, ad lunam oculos plane convertimus, sic defun-
 cto rege ad Beatricem et Ioannem duces semper et fiduciam
 omnes intenderunt. Regina supplicentem Corvinum osculata
 filii semper loco habituram esse promisit. Eum quoque secum
 pontificibus et regni primatibus commendavit. Oblatum accepit
 obsequium et se regno nunquam defuturum esse recepit. Mox
 nimio luctu defatigata laceratis misere crinibus et inscripto un-
 guibus ore in cubiculum relata est.

Thesaurus regis universaque supellex, quam quater centenis
 milibus plerique estimarunt, auctoritate senatus et regine nutu
 Corvino credita, cuius potestati munitissimas quasque arces pater
 vivens sane commiserat, dederat symbola et in manus eius non
 modo presidarios prefectos omnes, verum etiam et proceres
 multos iurare coegerat, uti haud aliter, atque sibi regem subro-
 garent. Nonnulli iuramentum declinarunt diverticulum aliquod
 ex ingenii calliditate causati. Preterea, ne quid interregni tem-
 pore fraudis malique doli ex litteris maiestatis regie falso obsi-

gnatis committi posset, regalia sigilla in medio senatu presidente regina Corvinoque diffracta sunt. Sigillum tantum regine superfuit, quo diplomata publiceque littere subiectis optimatum sigillis obsignarentur. Secundum regis obitum tertio die Ioannes Varadiensis episcopus, qui in Moraviam et Silesiam missus erat, ex itinere revocatus affuit et defunctum ex animo dominum deploravit.

Placuit senatui, ut duplex divo regi funus dicaretur, alterum Vienne, Albe vero alterum, ut hic cenotaphium, sarcophagum illic pro dignitate principis iure facerent. Quare singulari pompa succollantibus centurionibus et lecti auro strati fimbrias circumtenentibus rite proceribus, regulis prefectisque legionum ad divi Stephani basilicam funus elatum subsequenter in pulla veste pontificibus et cunctis urbis ordinibus, ubi nemo fuit, qui pias regis exequias non veris lacrimis honestarit; quin et populus, quem seva fame adactum in dicionem suam redegerat, lacrimas continere nequivit. Qui feretrum circumstabant, ii regem optimum, invictissimum illi imperatorem, pars principem clementissimum et Christiane reipublice assertorem, alii regum principem et terrorem orbis exclamare, ingeminare plerique hunc unum duorum Cesarum debellatorem et precellentissime virtutis cuiusque exemplar; nonnulli hunc unum magnanimitatis et glorie specimen appellare. Miles ducem luget liberalissimum, civis gubernatorem requirit et plebs clementem et popularem dominum cum rustica turba deplorat. Hunc externi propugnaculum Turcorum, domitorem Scythie feritatis, Bohemorum refrenatorem et Alemanici fastus ac superbie domitorem omniumque bonarum artium parentem pientissimum profuso luctu vociferari; hunc optimis quoque eundem Ungariam disciplinis excoluisse, bellicam auxisse disciplinam et varia machinarum et armorum genera invenisse et regioni dedisse pretium dicere. Quare illud in publico luctu admirabile fuit, quod nemo inter tot gemitus et vociferationes mentiri visus est. Publicum dolorem et imminens ex obitu illius exitium Viennense incendium sexto post die, dum Paschales ferie celebrantur, satis testari potuit. Oborto nanque incendio e plebeia casula fere urbs conflagravit et, ni proceres ac prefecti equitum cum militari presidio accurrissent et imprimis Stephanus comes provincie prefectus, qui annos triginta ductarat exercitum, iam de universa urbe eo die procul dubio fuisset actum.

Insequenti die regina cum Corvino duce ceterisque pontificibus ac regulis ad celebrandas regis exequias et habenda comitia regalia Budam secundo amne descendit. Prefecturam provincie Stephano comiti e senatus consulto commendavit; multum quoque argenti pro tuenda urbe et provincia retinenda e regali fisco dimissum. Universa multitudo cum pullis quinquaginta navibus et lugubri veste Beatricem secuta. Cum Pisonium foret appulsum, omnes matrone urbis pullate obviam regine occurrere publicoque planctu principem invictissimum et regem optimum luxere. Iustitium tribus Ungaris mensibus indictum. Nullas in

itinere pre dolore regina regales arces subire voluit. Ast, ubi Budam deventum est, in arcem admissa, cui Blasius Rascai preerat arcis procurator Mathie quondam regi unice dilectus. Hic post Corvini ducis appulsum mox eum cum thesauro et regali gaza recepit et, quando in eius manus vivente adhuc patre iuraverat nemini se arces omnes preterquam Corvino resignaturum perpetuumque obsequium prestiturum, subeunti iusiurandum rite persolvit et cuncta, que in manu sua fuerant, in Corvini potestatem ex promisso redegit. At ille fideliter agenti munus confirmavit resignatumque restituit. Mox de regali funere agi ceptum, nihil enim de futuro rege ac republica decerni poterat, ni prius Mathie manibus funebria iusta solvisset. Quare nihil hac re Panonico senatui fuit antiquius.

Paucis igitur post diebus dimissa Bude regina, ne planctu nimio sese conficeret, ad Albam Regalem omnes pontifices, proceres, reguli nobilesque Corvinum ducem in lugubri veste pullatisque curribus et equis rite secuti sunt. Quin et legatus apostolicus ac omnes, qui aderant, oratores eodem concessere imprimisque Ferdinandi regis orator Petrus eloquentia doctrinaque non mediocri, alter vero, cui Francisco Montano cognomen erat, pretereā magna gravitas, exacta facundia et experimentia rerum cum summa ingenii acrimonia coniuncta. E proximis etiam civitatibus et pagis ad regales exequias, que divi Marci feriarum die facte sunt, multi properarunt. In funerali festo multitudo universa processit. Corpus regis purpureo strato compositum et paludamento, ense, sceptro, corona pomoque redimitum non sine calcaribus aureis detecto ore in basilice subdivalibus prominbat. Circumstabat ingens turba nobilium et hinc pontifices, hinc proceres adstitere. Mox instructa regali pompa funus efferri cepit et templum, antequam inferretur, circumduci divine oblationis tempore, dum sollempnia celebrantur, cui duodeni precedebant equites cataphracti purpuratique, qui regalia signa tot clara triumphis preferebant, item et unus, qui regium pretulerat ense. Mox filius pone subsequi lugubri veste, cui legatus pontificius a dextra, a leva Hippolytus Strigoniensis metropolita latus utrumque claudebant. Successere post sacri et profani ordines primatum, imprimis e pontificibus Urbanus pontifex Agriensis, Stephanus Bathor, Ioannes Varadiensis episcopus, item Usvaldus Zagrabiensis, Nicolaus Vaciensis, Thomas Iauriensis et Georgius Canadiensis reliquique procerum nobiliumve ordines.

Cum in basilicam dive virginis perventum esset corpusque in medio constituissent, equites gemebundi, qui universa cum ense signa pretulerant, insignia cuncta pro ara magna humi deieciarunt, veluti regis casu omnia sua trophea, signa partaque regna una corruerent. Ad quod spectaculum omnes collacrimarunt. Dominico deinde basilice huius antistiti rite sacrificanti a Corvino duce oblata pretiosa munera, imprimis crux solida gemmataque ex obrisa affabre facta, quam quinque et quadraginta

aureorum milibus venisse predicabant, item gemmate phiale et pelvis aurea, candelabra, calices, eucharistie tabernaculum omnia e puro solidoque auro confecta lapillorumque multorum varietate discintillantia. Nonnulli quoque statue argenteae et duodecim 240 sacrarum vestium apparatus unionibus admodum onerati, que referebant. Item inter operandum sacris are cornibus septingentos 241 quidem omnia quinque et septuaginta milibus aureum venisse optimates aureos imposuere. Cum inchoatum multo ante Mausoleum sub prima testudine propter intempestivam mortem nondum foret absolutum, corpus in temporario sepulcro in media basilica reconditum, ubi e filii instituto quothoris sacri hymni decantantur. Inter sacrificandum Petro episcopo Lucerino viro doctissimo et oratori Neapolitano datum laudandi regis est negotium. Is de laudibus et gestis eius sat ornatam et copiosam habuit orationem et multis (annuente senatu cunctisque pontificibus) iam rationibus ostendit Mathiam regem Christiane reipublice assertorem, principem invictissimum et de Romana semper ecclesia optime meritum iure inter divos esse referendum, quod ab universa contione acclamatum est et gravissimum super ea re senatus consultum factum. Secundum eius athanasiam Corvinius cum universa optimatum turba remensus iter Budam rediit, ut de futuro rege decerneretur.

Divo Mathie statura corporis fuit aliquanto maiuscula quam 244 mediocris, forma eximia, generosus aspectus et multum referens magnanimitatis; rubens facies et flava coma, cui venustatem obducta supercilia, vegeti et subnigricantes oculi et sine menda nasus ne mediocrem quidem cultum addebant; obtutus eius liber ac rectus, leonis more oculis nunquam inter videndum fere conniventibus. Favorem semper obstinato indicavit obtutu, quem 246 vero limis respexit, oculis infensum sibi esse portendit; prominentiore collo et mento fuit et ore aliquanto latiore. Caput huic 246 addecens, quippe quod nec parvum nec magnum videri poterat, frons vero parum spatians. Consentiebant inter se membra spatiosa; brachio terete et oblonga manu, latis humeris et patente pectore fuit. Contra variuscule huic fuere tibie ad equitandum 247 haudquaquam inconcinne. Proinde formosum erat corpus, cui color albus cum rubore fuerat admixtus, ex qua quidem mixtura mirum quandoque, ut de Alexandro perhibent, fragravit odorem. Qui etiam lineamentis oculorum et levitate illi nimis fuit assimilis, quem semper vite habuit archetypum. Ingens a iuventute celeritas ac robor pectoris, immensa animi magnitudo cum ingenti glorie cupiditate coniuncta, item tantum roboris et virtutis, ut neque animi neque corporis laboribus defatigari posset. Laboriosum huius corpus erat et frigoris, sudoris et inediae tolerantissimum; nihil facilius militari labore, nihil domestico difficilius otio pertulit. Nec humanis quidem passus est sibi facile interdici voluptatibus, muliercularum quandoque obnoxius fuit amoribus, sed matronis abstinuit. Crapula et vino sepe cum amicis 250

animum relaxavit; promptissimus ad promittendum, non difficilis ad iram; ingenium perquam liberale ac magnificum et ad clarissima queque facinora intentum; crudelitatis expers et barbarice inhumanitatis, cui ardentissimum inerat imitandorum Romanorum studium, quibus cum perpetuam sibi emulationem indixit, quare Corvine gentis cognomen sibi inditum perquam libenter accepit. Quod amicos inconstanter amarit et plerosque depresserit, crimine non caruit. Sed nunquam, quem nimis extulerit, ab re deposuit, immo nunquam ab amico, quem in primo crimine deprehensum habuerit, penas exegit, sed in iterum errantem severius animadvertit. Quin et in amicis quandoque fuit infelix, quippe qui opibus et honoribus in immensum eVecti in eum nonnulla moliri ocepere. Ex humili genere multos extulit, in quibus se fortunatiorem invenit.

Ceterum fortunatissimus semper fere est habitus. In bello Bohemico sibi defuere pecunie, verbis ergo et pollicitationibus crastinis alebat exercitum. Cum dies distribuendi stipendium prestitutus instaret, quem promissis differre ultra non poterat, e prefectis equitum et legatis legionum ad alearum ludum invitatur; tota nocte lusum; ipse tam equas tesseras sortitus est, ut nihil sibi aliud caderet, quam quod iactu opus erat. Dena milia aureorum ea nocte ex ludo sibi comparavit, que, antequam loco moveretur, militibus dedit, et ex alea lucro stipendium exolvit. Raro quicquam adortus est, quod non prospere confecerit. Augerat et illud splendorem maiestatis et spectantium admirationem, quod regalem celsitudinem non superbia, non elatio animi, non difficultas aditus, non ianitorum improbitas ambibat, sed tanta mansuetudo, benignitas et clementia circumvenerat, ut nemo eum adierit, qui non modo gratia, sed solo aspectu se non beatum profiteretur.

Sed Beatricis adventu facilitas eius et popularitas multo remissior effecta. Nemo est, qui eius beneficentiam non admiretur. Cunctas bonas artes affectate aluit, viros doctissimos in remotis etiam partibus disquisivit, virtutes omnes diligenter excoluit. Purgavit Ungariam rusticitate et inventos politicarum artium artifices introduxit, Scythicos mores mitiores effecit, immanem superbiam repressit et post Atilam primus ad obsequium diligens dure cervicis Ungarum redegit. Prepolluit insuper pietate non mediocri, cui mira religio et tanta divini sollicitudo cultus inerat, ut domi militieque non secus atque Alexander dextera deum, sinistra hastam ferret. In deos et homines iuxta liberalis. Consilium huic ad maxima queque facinora promptissimum; neque consilio audacia et industria defuit, quod et fortuna equissimo comitatu fovit. Cum prope Turcos castra metatus esset, sic vires hostium exploravit. Pagano nanque subornatus amictu cum uno tantum comite se cum iumento inter eos, qui commeatus in hostilia castra conferrent, insinuavit; cum eo pervenisset, toto die pro tabernaculo Turci hordeum vendidit; ingruente nocte se incolumem in

sua castra recepit. Scripsit ad hostem se pridie eius castra penitus explorasse, vendidisse rustici sub persona hordeum ad tabernaculum eius et, quo maiorem dictis fidem faceret, ferculorum numerum et epularum cuncta genera retulit. Quae cum hostis accepisset, timore percussus postero die castra solvit veritus Corvini regem non modo ad vallum sibi occurrurum, sed in medio tabernaculo invasurum.

Ad hec non regius ille fastus in eo recognosci poterat, qui multos nostri seculi reges occupavit. Non purpure, non aeree trabee splendor assiduus, non quotidianus tricliniorum et sellarum apparatus, quae advenientium lumina deterreant et contrahant stuporem; non lictorum et ianitorum multitudo, non amanuensium turba, qui diu multumque rogati vix tamen per litteras respondere dignentur. Domestico et mediocri delectatus habitu; nisi cum res postulabat, tunc decorum studiosissime servavit. Eius oratio tarda, gravis et concisa multum ponderis habens et acrimoniae; verba numerose et gradatim expressit, nil insulsum ab eo unquam auditum. Paucis sibi mos fuit in contentione obligare et convincere adversarium. In contione militari concitatus et eloquens; multarum sibi cognitio linguarum; praeter Turcicum et Graecum omnia Europe glossemata calluit. Memoria nec Scipioni nec Mithridati nec Simonidi denique cessisset. Salibus et facetiis admodum oblectatus est et quandoque ita popularis, ut inter amicos domesticè cenaturus culinae curam obiret. Non modo suis, verum etiam peregrinis beneficiis erat officiosus. Equestri certamine et aurigatione a iuventute non sine summa voluptate usus est. In hippodromo Bude ac Vienne infesta sepe hasta depugnavit. Matthias etiam in propatulo et oculis omnium assidue versari, publice benignissimas accommodare aures, convivari quoque publice ac loqui putans obscenis plurimum actionibus convenire tenebras, hinc inde contra vite lucem maiori ornamento fore. Facile omnes intromittere et admissos continuo voti compotes reddere; non distrahere spes supplicantium neque per varios aulicorum ordines expedire, sed ipse solus omnia dare, gerere et erogare.

Vindicta hostes, etiam amicos beneficio superare, in secunda se fortuna non efferre, sed deo gratias agere, plura confidendo in prosperitate sacrificare, quam reformidando vivere. In metu hilaritatem preferre, in felicitate cum gravitate benignitatem. Non subirasce libere loquentibus, deridere iactatores; mimos aretalogosque plus equo promereri. Nullam eripere gloriam nisi propria virtute navatam; sapientiam re magis quam verbis exercere. Amicis se indulgentissimum prestitit, inimicis horribilem. In prelio acerrimum pugilem, in victoria facilem exorabilemque imperatorem, bene merentibus vero gratissimum; rei autem bellicè peritissimus fuit. Non destinato solum, sed ex itineris occasione et spurcissimis tempestatibus, cum hostis a primo tutum se fore putaret, prelium sepe sumpsit eaque in arte militari commentus est, quae aliis hactenus ignota fuere. In obeundis expeditionibus

dubium, an cautior an audentior, quamvis nihil inconsulto adoretur horoscopo. Itinera incredibili celeritate confecit et centena quotdiebus milia passuum actuario curru emensus est. Laborum ac vigiliarum patientissimus; pro tempore et loco eque severus et indulgens in milites. A desertoribus et insidiosis severius penas exegit, connivebat in ceteris; ad iracundiam difficulter irritari; irritatum commotumque non cito desiderare.

Tot igitur virtutibus prestantem regem cum Ungari amisissent, tanto repente metu percussi sunt, ut una cum principe pristinam virtutem, robur et audaciam et nomen amisisse viderentur. Quin etiam ostenderunt se potius a rege vires, animos et consilia, quam regem hec ab eis habuisse. Una cum ipso decus, fortitudo nomenque Pannonicum concidisse visum est. Tanta subinde proceres trepidatio incessit, uti omnes sine pastore inter ferarum lustra relictis viderentur. Quamobrem, quicumque prius regem criminibus petebant, quod insolentibus plus equo vectigalibus populos oneraret, quod proceres et nobilitatem perpetuo bello conficeret, quod bellum ex bello sereret et nullam pacem et quietem araret, post mortem omnes mutatis verbis iuxta timebant assiduoque luctu fortissimum indomitumque principem prosequabantur. Populi cum rustica manu, qui quotannis pre bellorum magnitudine multitudineque quaterna vectigalia pendere cogebantur et iniquissimam tributorum gravitatem conquerebantur, nunc genuunt et populationes, vastationes agrorum et incendia undique imminetia reformidant. Si ex inferis regem revocare fas esset, sexterna solvere pollicerentur. Nobiles, qui militari labore se absumptum iri querebantur, nunc publicum privatumque exitium expavent. Nonnulli sanctas divi Mathie reliquias e sepulcro evelli oportere asserunt, quibus regni fines lustrent et adversus hostes religiose gerant, alioqui eos abigi posse negant. Cum igitur imperante Mathia gravi finitimos omnes bello vexarint donaverintve, nunc coniurata eorum agmina reformidant et, qui omnibus terrori maximo fuere, nunc omnium vires vel minimas timere coguntur; undique bella obstrepunt, gravissima pericula inminent et tot malis Pannonum circumventi omnia perditum ire conspiciuntur, ut, quantum regem amiserint, in posterum evidentius se cognituros esse fateri non verentur. Eum itaque publice cuncta vicatim oppidatimque deplorarunt et preteritis futurisque regibus anteponunt.

LIBER IX.

Posteaquam divo Mathie iusta rite soluta et funus maxima pompa celebratum est; iam res ipsa postulabat, quando varia iam factionibus mala parit interregnum, iubet solvere iura et magnam facinorosis addit audaciam; quare non immerito patrum animos regia sollicitabat electio. Urbanus pontifex Agriensis et patrum ea tempestate princeps, ne quid respublica detrimenti pateretur,

variarum partium non ignarus ex senatus consulto regalia comitia
 mox edidit, que in Pestano campo preter Danubii ripam haberi
 solent. Idibus Maiis his dies prestituta. Tantum temporis spa- 3
 tium regulis et nobilitati datum, quantum ab remotissimis Un-
 garice dicionis oris convenire possent. Res maturanda videbatur, 4
 ne maior partium in dies foret accessio, quia persuasi nondum
 erant animi, ne promissis et muneribus electi, quibus in univer-
 sum facilior erat consulendi copia. Post, ubi variis diversa homi- 5
 num studia factionibus distrahuntur, perquam difficulter in unum
 consensum cogi possunt. Urbanus ad comitia primus stato die
 cum validissimo cataphractorum et velitum equitatu convenit.
 Hunc honestissima amicorum agmina sequebantur, imprimis Geor- 6
 gii Chanadiensis episcopi, item Petri Bochi, Emerici fratris et
 Aristii Francisci vexillationes; equites omnes ad duo milia et quin-
 gentos extitere. E Transylvania prefectus provincie Stephanus 7
 Bathor expectabatur, qui octava post die cum ornatissimis pro-
 cerum nobiliumque copiis advenit; quingenti circiter et tria equi-
 tum milia Bathorea signa secuta sunt. Eius socii Drach Bertol- 8
 dus, Ladislai duo, Mauricius et Losoncius et plerique principes
 nobilitatis alarum legionumque prefecti. Eodem quoque ductu 9
 et auspiciis venire Scytuli vetustissimum Ungarorum genus ac
 nullo peregrino sanguine coinquinatum, item pari Scytharum
 priscorum severitate, moribus et libertate preditum, quippe qui
 venabulo pro hasta, item arcu et pharetra enseque utuntur. Lin- 10
 teo corpus thorace muniunt et pastura victum queritant. Demum
 bello gens est asperrima, servitutis impatiens et nullo labore
 domita. Ad Danubii ripam omnes castra locant. Secundum 11
 hos Augustales sancti Georgii comites paulo inferiore copiarum
 apparatu mox affuere, quos Kanisai et Seczii nobilissimo genere
 nati consociarunt. Nondum ex inferioris Ungarie partibus non- 12
 nulli proceres regulique convenerant ex longo itinere studiisve di-
 versis moram trahere coacti.

Sed, cum sat frequens iam videretur esse conventus et im- 13
 minentia undique pericula novum principem postularent, sub
 amplissima scena de eligendo rege agi ceptum est. Nondum, 14
 quem potissimum optarent, ad populum latum erat, nondum
 patrum sententiam quisque dicere rogabatur, cum ex composito
 quidam veluti occulta factione subducti Albertum Casimiri Pol-
 lonie regis filium in contione regem temere proclamarunt. At 15
 proclamatio refragantibus continuo patribus repressa, quod eoque
 facilius factum est, cum his aliorum suffragia non accederent;
 inde ulterioris Ungarie vastatio magna ex parte oborta, quan-
 doquidem Albertus proclamationis huiusce iure se declaratum
 regem esse dicebat. Quin et audita divi Mathie morte comparato 16
 magno exercitu Ungarie finibus imminebat, expectabat rei ex-
 itum; ut presto suis partibus adesset competitorumque preoccup-
 aret ingressum, prope aderat. Maximilianus Romanorum rex 17
 consultis mathematicis, qui Mathiam eo anno diem obiturum sane

predixerant, in regni spem et amisse Austrie recuperationem adductus compositis in Gallia rebus in Noricos continuo rediit et sub specie pacis excessum regis expectavit.

Ita enim ea tempestate Ungarorum fata tulerunt, uti quinque legationes regalia comitia sollicitarent diversaque hominum studia traherent. Imprimis Cesarea, que, quanto plus auctoritatis habet, tanto maius in regno ius sibi vindicare videbatur, quod in reddendo sacro diademate Mathie regi ex compacto Cesar sibi compararat. Deinde Bohemica, cui, si electionis fortuna faveret, quia hereditario iure nitebatur, multo melius, quam ceteris sperare licebat. Item Polonica, qui pro Alberto regnum exposcebat; et Aragonia, qui pro servanda regine Beatricis dignitate, ut in regno successori coniugata succederet, tunc agebat. Accedebat et Corvina, qui Ioannem ducem Mathie regis filium, uti patri succederet, multa moliebatur, cui nisi illegitima genitura obsitisset, certo sine controversia patri successisset. Favebant cuncti proceres sacri eque atque profani, quos omnis Corvina quondam beneficentia promeruerat et eternis sibi beneficiis obstrinxerat. Recentia quoque merita istorum studia in Corvinum intenderant obfirmarantque. Augebat tot favores et adolescentis ipsa potentia, quippe cui pater futurorum malorum non ignarus coronam, spes, thesaurum, arces omnes ante legarat, quin et prefectos omnes et magna ex parte principes in filii iurare manus adegerat, cui quidem, ni coniuratorum fides moderatorumque prudentia defuisset, parum abfuisset, quin hodie regno potiretur.

Comitiorum tempore tot legatorum genera die noctuque patres ambiunt universos, promissis, largitionibus et precibus ita iudicia hominum innectunt, uti nemo sciret, quem potissimum optaret. Inter tot varie ambitionis artes nemo reipublice commodum diiudicare poterat. Verum quis tot factiones inter Ungaros admiretur? nimirum ex antiquis ille repullularunt et a locorum vicinitate metuque foveantur. Qui citeriorem Ungariam Dalmatiamque incolunt, quando Romano imperatori finitimi sunt, Cesareis semper partibus adhesere, qui vero citra Danubium colunt et Polonis propius accedunt, ex ea regia principem exoptant. Qui denique Bohemos finibus attingunt, Bohemum regem exposcunt. Privato pro se quisque commodo consulit; respublica fidos raro tutores habet et, si quos divina benignitate sortitur, ii perquam pauci reperiuntur. Intercedunt et alie tam Ungarica, quam pergrine cause, que factionum numerum adaugent.

Cum tot igitur legationes Bude agerent ac omnes impensius ambirent, Pesthi conventus in ede dive virginis expectatis aliquandiu ceteris, qui nondum venerant, tandem indictus est. Et Corvini oratores, quorum alter Ioannes Varadiensis, Thomas Iauriensis episcopus alter erat, primum admissi, qui humili genere nati Mathie beneficio et propria virtute nimis excreverant. Ioannes imprimis facta dicendi copia non sine lacrimis divi Mathie gesta commemorat; quantum hoc regnum auxerit et amplificavit

et quam de Christiana republica bene meritus sit, exponit. Addit ³¹
 his beneficia magna in sacros omnes profanosque collata, quo-
 rum rationem cui (nisi fortassis ingratitude reos esse non pudeat)
 omnino habendam esse censet. Subiicit, quanto is olim studio vi-
 ritim omnibus filium commendavit; esse Corvini potestate thesau- ³²
 rum, arma, legiones, item regiam, cunctas arces et munitissima
 queque regni oppida, que quidem omnia non solum suadere, sed
 cogere ad optandum eum posse viderentur; nec magnam quidem ³³
 generose indolis spem deesse; assimilem esse patri nec minimam
 geniture notam tanti faciendam: Italos huiusmodi principes ne-
 quaquam abominari solitos, dum publice utilitati et saluti con-
 sulatur; patris ingenii magnanimitatem usquequaque referre; ³⁴
 externos mendicare principes nequaquam esse tutum, quod superi-
 ora cunctos tempora docuerunt; hoc iustum et equum, hoc publi-
 cani utilitatem, hoc denique necessitatem plane iubere. Hec ea-
 dem etiam a collega ne minore quidem oratione confirmata sunt.
 Et res profecto e sententia successisset ac citra controversiam rex
 ab omnibus declaratus esset, nisi constans leve geniture obstitis-
 set opinio. Nonnulli sunt Corvini fortunam ultro commiserati,
 quibus magna spes erat a patre non degeneraturum. Horum ³⁵
 numerum Corvine beneficentie memoria non parum augebat et ad-
 olescentis formidolosa potentia animusque imperandi cupidissimus,
 cui si cum rerum experientia maturitas etatis ac fides et con-
 cordia amicorum accessisset, facile regnum obire potuisset.

Insequenti die Alemanorum legatis facta dicendi potestate ³⁷
 ex his unus, cum pro ceteris verba faceret, imperiosius Ungarie
 regnum pro Friderico imperatore Maximilianove filio Romano-
 rum olim rege declarato exposcere visus est initi quondam fede-
 ris condiciones cum Mathia rege in sacre corone redemptione
 mentionem afferens; illam imprimis obiecit, quam haud facile ³⁸
 confuturi posse arbitrabatur, si Mathias absque liberis legitimo
 matrimonio natis humanis excederet, Ungarie regnum ex com-
 pacto repente in Cesaream recidere potestatem; inita utrinque ³⁹
 pacta primates Ungarie sponsione ac interiecto iureiurando san-
 xisse; si quid contra moliantur, fidei pacisque numen violatum
 iri, in quod quidem scelus a diis omnibus eque animadverti solet.
 Ad declinanda diri belli pericula et abolenda ultro citroque odia ⁴⁰
 nullum remedium magis presentaneum esse dicebat, quam si
 patrem Maximilianumve ultro postularent, quibus ad tutandum
 et coercendas Turcorum incursiones maxime vires non deessent.
 Maximiliani magnanimitatem, rei bellice experientiam et sum- ⁴¹
 mam in quaque virtute prestantiam afferebat; neminem dicere
 ad inhibenda, que omni ex parte, pericula, imminerent, hoc potio-
 rem ab Ungaris optari posse; hunc Gallis formidolosum, hunc ⁴²
 Germanis ac militibus perquam gratum esse, hunc equitatis con-
 sultissimum, liberalissimum semper habitum; item nobilitate
 generis, animi excellentia omnibus preferendum; demum pro leso
 federe, quod dii prohibeant, minas interiicere.

Secundum Alemanos legati Polonorum auditi, qui multo 43
 modestius rem agere visi sunt. Nam, dum pro Alberto regis
 Casimiri filio patris nomine verba faciunt, a bono et equo sua-
 dere corantur; vetustissimam suorum cum Ungarie regibus nec- 44
 cessitudinem variasque affinitates et cognationes enarrant tan-
 tum antiquis benevolentie quondam et charitatis intercessisse
 dicentes, uti Poloni regie prolis defectu Pannoniarum sepe re-
 gem optarint e diversoque optantibus Pannonibus sepe dederint;
 Ludovicum Ungarie regem a Sarmatis usurpatum Polonie quo- 45
 que imperasse; contra Wladislaum Casimiri fratrem primige-
 nium in Ungaria preclare regnasse; nihil in regali orbitate melius
 censi posse, quam ad finitimos, veteres ac fidos amicos con- 46
 fugere, quibus reipublice summa tuto committi potest; explo-
 rata dū vicinorum fide sat cuique constare posse, quid potis-
 simum in consultando videatur; ad hec elegantissimam Casimiro
 esse liberorum copiam domi et foris eque prestantem; iuven- 47
 tatem esse regno belloque maturam; ipsam quoque universam
 Ungaris offerre, ut, si electus haudquaquam satisfecerit Alber-
 tus, ceteros singulatim pro arbitrato suo Ungarorum senatus rite
 periclitetur; demum liberos, arma, regnum et fortunas omnes
 pro Ungarica defensione antique necessitudinis iure deferre.

Aragonii postero die introducti perlectis Ferdinandi regis 48
 litteris Beatricem eius nomine pluribus senatui verbis commenda-
 runt; quibuscunque rebus opus fuerit, opes et auxilia obtulerunt
 dicentes a patre dudum filie imperatum, uti, si paternam usque-
 quaque gratiam servare vellet, senatus imperata faceret, nihil
 eius iniussu de celibatu nuptiisve decerneret; eam a senatus 49
 auctoritate ac utilitate reipublice nunquam dissensuram atque
 suas vires omnes et patris, quicquid terra marique potest, ultro
 pro salute regni erogaturam.

Postremo duo Bohemorum oratores exauditi sunt, quorum 50
 alter, qui Castro genere natus erat, quod vetustissimum quidem
 semper est habitum, inter nutantes hominum animos ita dis-
 seruit:

Etsi nihil gravius esse potest, fortissimi Pannonies, quam 51
 cum de creando rege agitur, quippe cui reipublice summam et
 nostram liberorumque salutem cum fortunis plane omnibus com-
 missuri sumus, divina tamen benignitate factum est, ut, si pristi-
 nam sapientiam retinetis, nihil hac re facilius in discernendo
 videatur. Complures nimirum competitores sumus, qui variis 52
 vestros animos artibus irriteamus; alii largitionibus, pollicitationibus
 alii, nonnulli minis et iure federis, pars honesta suasionem et pro se
 quisque iudicia vestra invertimus trahimusque diversa, sed utinam
 tanta competitorum ambitione suum cuique ius pro dignitate redda-
 tur. A serenissimo Wladislao missi huc venimus regemque offer- 53
 rimus non imperiosum, non trucem, non adolescentem, sed hu-
 manum, clementem, paci belloque maturum. Non in comitia
 vestra descendimus, ut, que vobis obesse, sed que imminen-

tibus periculis asserere possent, antique benevolentie iure consulere-
 mus: Hoc utriusque regni coniunctio unius sepe ductu et 54
 auspiciis gubernati, hoc vestra fides mutuaque charitas nos facere
 iubet. Non iniqua, non iniusta, non incommoda vobis, Pan-
 nones, postulamus, sed que equa sunt et iusta et ad communem
 utriusque gentis salutem admodum conferentia. Si fas et equum 55
 apud Christianissimos precipue viros pensitandum est, nimirum
 nostro rege nemo vobis utilior occurret. Si hereditario iure dari
 regna solent et nemo propria hereditate sine magno scelere de-
 fraudari potest, profecto Wladislaus iure suo regnum hoc sibi
 postulabit. Etenim Wladislai regis primigenius e sorore nepos 56
 est et Alberti Sigismundique pronepos abneposque, qui quidem
 omnes Ungarie Bohemieque partibus optimis semper auspiciis
 imperarunt inter divosque relati sunt. Quin etiam patrum sui 57
 iure id ipsum exposcit. Nonne Wladislaus Polonorum rex et
 Casimiri frater recte sancteque Ungaris imperavit, quos ut a Tur-
 corum immanitate tueretur, ad mortem usque pugnavit? Vitam
 salutem vestre non pretulit, cum non secus, atque pastor optimus,
 animam pro suis ovibus inter confertissimos hostes devovit? Il- 58
 lius profecto nepos est, nepos, inquam, primigenius, in quo
 Sigismundi magnanimitatem, sanctitatem Alberti, Ladislai casti-
 tatem et Wladislai denique patrum Polonie quondam Ungarieque
 regis fortitudinem intueri licet. Ad hec, si sacrosanctus regum 59
 sanguis in regno vestro restituendus est aut si prestantia generis
 in regalibus comitiis nequaquam sperni debet, quisnam isto gene-
 rosior poterit offerri? utpote qui nobilitate preditus incom- 60
 parabili imprimis ipse rex est, rex, inquam, a Bohemis designatus
 vixdum annos natus sexdecim et Casimiri regis filius primigenius
 inter Sarmatas prepotentissimus; Wladislai Ungarie Polonieque
 regis nepos, pronepos Wladislai Lithvanie ducis, indomitorum de-
 nique Sarmatie principum abnepos, qui a Gelono Herculis filio e
 bifor- mi muliere in Scythia nato, ut aiunt, duxere genus. Paternum
 hoc genus. Maternum vero si rite recenseas, Ladislaus dux Au- 62
 strie, Ungarie Bohemieque rex longe lateque prepollens huic fuit
 avunculus; Albertus rex et Romanorum imperator avus; proavus
 Sigismundus princeps ille clarissimus de apostolica sede semper
 optime meritus; Carolus imperator abavus. Si Ladislaus adole- 63
 scens ab inferis revocatus de suo genere gloriari potest, quattuor
 profecto Romanos imperatores e materno genere, e paterno vero
 Australique familia maximorumque principum officina quinque
 connumeraret. Quis igitur tot suorum stemmata tantamque pro- 64
 sapiam habere his temporibus visus est, qui cum nostro principe,
 aliorum pace dixerim, conferri possit? Quare, si interceptum sanc- 65
 torum regum olim sanguinem in Ungaria redintegrare, si assimi-
 lis et amice gentis societatem instaurare, si paribus nobiscum
 auspiciis, veluti antehac maiores nostri sepissime factitarunt, gu-
 bernari percupitis, si vestrum dominum a vestris regibus edi-
 tum agnoscere et in avitum solum restituere curatis, Wladislaum

eligite, hunc moderatorem vestrum optate; appetite, ingeminate, ne tam diu et vos proprio pastore et ovibus ille suis carere videatur. Preterea, si quid aut patrum aut maiorum gratia apud 66 mortales plerunque conceditur, si beneficiorum quoque ratio est habenda, que citra scelus preteriri nequit, si vel maxima e contrario inimicorum scelera progenitorum causa impunitate donantur, quis est usque adeo rationis expers et ingratus, qui non det certatim pro Wladislao rege suffragia? quid faustissima tot principum memoria, quid innumerabilia illorum merita et clarissima domi forisque gesta postulent, nunc, patres, queso, considerate. Quid ii facerent, si Albertus, Ladislaus, quid, si Wladislaus et Sigismundus, ne de aliis dixerim, loqui possent? nempe nihil a vobis impensius postularent, quam uti hunc ad imperandum natum vobis ultro preficeretis. Sic Alberti probitas et Ladislai castitas 68 postulat, qui, cum fati iniquitate suos annos regnare nequiverint, eos sanctissimo nepoti iam potestatem regendi cuperent. Sic 69 Wladislai manes, qui pro vestra Christianeque reipublice salute adversus Turcos ad Varnam fortiter occubuit. Sic denique perpetui quondam Sigismundi labores promerentur et exposcunt. Quorum quidem numinibus si, veluti fas et equum est, rite satis- 70 faciendum esse censueritis, ne illorum quidem decori magis, quam salutem vestre consulatis. Equi et iniqui animi deos memores 71 esse ducite et, quam inde depravato iudicio sentiant, considerate. Illi quenquam hereditario iure fraudari iam perpeti nequeunt. Si 72 preclara Ioannis vaivode merita et ingens gestorum gloria tanti apud vos momenti fuit, uti filium regno intempestivum ultro regem crearetis, cur eum, qui a tot vestris regibus et imperatoribus ducit originem, uno consensu regem non declaratis? Cuius repulsa, quam deus prohibeat, infesta vobis cuncta reddet divorum numina. Posthec etiam quid de ceteris finitimis regibus vobis 73 sperare liceat, considerate, queso, Pannonos; que fides, quis amor intercedat, nobiscum pari mente repetite, ut et vos, quam facilis sit ista consultatio, quam necessarius omnium consensus, intelligatis et nos, quid de his comitiis sperare liceat, facile sentiamus. Perpetua vobis cum Alemanis intercessere bella, innumera- 74 biles ultro citroque clades et incendia, odia quoque sempiterna, que quidem omnia, si recte nunc, uti ante, sapitis, hinc procul dubio animos avertent et de vestra salute cogitare compellent. Nec melius quidem rationibus vestris consulatur, si Polonos vobis 75 prefeceritis, quibus olim imperastis, cum quibus magna bella gessistis gravissimis iniuriis lacessiti, qui denique magnis comparatis exercitibus suscitatisque discordiis vi regnum a vobis extorquere conantur. Insuper adolescenti regna committere quam formidolosum sit, pro se quisque iudicet; alieno nanque moderatore gubernanda etas pruriens, inducta, intemperantia ac vitii omnibus obnoxia quam recte gravissima regni pondera subire queat, omnes intelligunt. Pro animi libidine cuncta geret; utetur juvenum potius consilio quam seniorum gravissimorumque consilia virorum 77

abominabitur; sectabitur voluptates, virtutis difficultatem detrec-
 tabit; levem usquequaque preferet animum; assentatoribus mul-
 tum tribuet credetque ac in concupiscentiarum denique se as-
 seret servitatem. E contrario gravissimis maturisque sese cre- 78
 dere regibus tutum est et salutare. Experientie compos tenera
 adhuc etas esse nequit. Preterea non immerito maiores nostri in 79
 cunctis magistratibus et prefecturis plane sanxere, ne gravissima
 iuvenes munia iam obirent, ne publica cum privatis ruinam eque
 traherent neve maxima potestate potiti concupiscentiis et volupta-
 tibus licentius inservirent. Gravem et maturam summis magistrati- 80
 bus etatem ascivere, gravissimos quoque viros in regnum evehere
 soliti sunt. Virtutum tantum et sapientie locum illi sanxere; si
 cives regni compotes in urbe non essent, e finitimis et peregrinis
 eligere non pudebat. Quin etiam, si ex ingenuis nemo foret hac 81
 potestate dignus, ad servile genus hominum confugere licebat, ne
 quid respublica detrimenti pateretur. Quid Wladislai gravitas et 82
 sapientia, quid exactissima rerum experientia et sanctitas, quid
 religio et integritas, quid pietas et mansuetudo, quid iustitia
 et taciturnitas, quid temperantia et matura etas a vigesimo iam
 anno in nostro regno versata nobis consulat, considerate. Nun- 83
 quam Bohemia intestino et externo bello tam diu vexata quiescere
 potuit, donec sanctissimi ac integerrimi huiusce regis auspiciis
 gubernari cepit. Non Sigismundus, non Albertus, non Wladislaus 84
 estuartissimum hoc regnum pacare potuere; nunquam reguli et
 optimates reconciliati mutuo fuere, donec auctorem pacis et pru-
 dentissimum hunc moderatorem optavere. Quis crediderit?
 nullum unquam verbum aut insolens aut obscenum iniquumve
 ex eius ore potuit extorqueri; commotus et iratus nunquam in- 85
 ventus. Eandem in utraque fortuna equanimitatem exhibuit,
 eandem cum decoro gravitatem servavit. Nullo unquam vitio le-
 vitatis et inconstantie maiestatem regiam, ad quam se natum esse
 intellexerat, incestavit. Inter factiones discordiasque procerum 87
 crimina utrinque patienter audivit; mox exploratis eorum animis
 hos paterna charitate corripere, facinorosam coercere audaciam,
 consolari lesos et illorum iniurias iuste ulcisci solitus est. Per- 88
 quam facilis equa supplicantibus, iniqua petentibus inexorabilis
 et taciturnus, ut taciturnitate severitatis crimen declinaret. Alti-
 tudinem latebrasque animi sui reconditamque mentem nemo potuit
 expiscari. Etas igitur in omni virtute consummata, vita cuique 89
 satis explorata et mores omni ex parte nobilissimi sat vos omnes
 hortari debent, ut hunc potissimum regem eligatis. Proinde, 90
 Pannonies, si vobis optime consulere cupitis, si commodum et
 salutem publicam amatis, largitionibus inanibusque promissis
 haudquaquam credite; ambitiosis violentisque tyrannis date repul-
 sam; eum denique create regem, qui sit vobis et Christiane rei-
 publice salutaris et quem creasse non pigeat.

Habita Bohemorum oratione non solum, qui de republica 91
 bene sentiebant, sed, qui largitionibus et promissis onerati fu-

erant inversosque animos habebant, haud secus, atque conscientia perciti tacita Wladislao suffragia reddere cogeantur. Pre veritatis numine resipiscunt reconditumque consensum in pectoribus habent. Verebantur enim, ne promulgato de novo rege decreto competidores repulsa commoti concitatis undique copiis ex composito Ungarie regnum nomenque penitus extinguerent. Is enim rumor sat late diffusus erat Alemanis ita cum Polonis convenisse citeriorem Ungarie partem Maximiliano, Alberto ulteriorem subactis Ungaris, qui gravissimo utrosque bello diu sollicitarant, esse cessuram regni que nomen e medio auferendum. Quare, ut tutius sibi caverent, consultum se clam optimates habuere clamque Wladislaum creavere. Bona deinde interpolatis horis cunctis oratoribus verba data, ut imminetia utrinque bella declinarent et, quamvis hesitarent illi, spe tamen sua nequaquam exciderent. Addebant etiam comitia nondum esse frequentissima nec Sigismundum Quinqueecclesiensem episcopum armis et opibus prepollentem cum Laurentio duce ceterisque Pannonie inferioris et Croatiae regulis advenisse. Hos omnes affore propediem et uno se consensu regem declaratuos.

Corvinus adolescens, quamvis ob inustam geniture notam rem desperare cogetur, vi tamen sua et eorum, qui in dies affuturi erant, auxiliis fretus affectatum intempestive regnum occupare confidit. Huic ob divi patris memoriam aperte responsum regem nunquam futurum, sed rege paulo inferiorem, ne eterna Mathie beneficia apud proceres interiisse viderentur. Pacta cum eo inita, uti, si regium diadema regiasque arces sponte reddiderit cum proceribusque consenserit, Bossene, Croatiae et Slavonie regnum ineat omniaque oppida, vicos, thesaurum et dominatus a divo patre legatos perpetuo habeat et pro altero rege habeatur. His tandem condicionibus acquievise visus est, sed sollicitatus a suis sibi ipse constare non potuit. Alemanis initi quondam federis condicione regnum postulantibus creandi regis potestatem non mortuorum, sed vivorum esse; libera in his comitiis esse suffragia; si qua recuperande illi sacre corone gratia quondam promiserint, iidem promissa prestant; quin etiam pro corona in captivitate retentus, veluti coniectorum in vincla hominum more, nihil iure promitti posse; promissionem, quanquam legitimam, liberam esse oportere; ad expectandam demum frequentissimi conventus auctoritatem hortantur. Polonis benigne responsum et acta gratia hoc interregni tempore filios, opes et copias offerentibus et spes ne mediocris quidem oblata. Aragoniis multo plus acta gratia et in tot periculis, quecunque offerebantur, lubenter accepta. Contra pro regina Beatrice spes bona data. Bohemi denique optime sperare iussi et clandestinum, quod nuper inveniunt, consilium patefaciunt et hortantur, ut ad Wladislaum scribant, uti ad accipiendum accitus regnum se propediem accingat, ne a competitoribus impediri queat; eo denique tempore rex declaratur et regnum ineat.

Interea, cum regina Beatrix in arce Budensi, quam dux Corvinus cum valido presidio tenebat, resideret sibiue admodum a privigno timeret, cui in ducenda uxore Blanca hucusque nimium fuerat adversata, suasu procerum regiam deseruit in edesque Urbani questoris, ne quam vim ab eo pateretur, non invita descendit. Augebat suspicionem adolescentis animus, quippe qui tyrannideri quandam preferebat immaturam. Ex Neapolitanis regine aulicis paucis ante diebus ad portam arcis plerique pulsati, nonnulli non admissi, aliqui cum ignominia reiecti, quare, ut sibi precaveret, in privatam se vitam redigere coacta est. Quin etiam paucis ante diebus Petrum Colociensem archiepiscopum consilii compotem et astutum, quem rex Mathias regine, ut aiunt, gratia sex annos in arce retinuerat, Corvinus adolescens instante apostolico legato invitis patribus et Beatrice liberavit liberatumque ample donavit et dignitatem una cum libertate restituit.

Dum comitia tam diu prorogari nobiles conqueruntur et in dies abitum minantur, ecce Sigismundus Quinqueecclesiensis episcopus vir consilio armisque prepollens et dux Laurentius cum non paucis exercitibus appropinquant, quorum despotus, banus Iaize, prior Aurane ac ceteri inferioris Pannonie, Croatiae et Slavonie reguli socii et comites erant sociaque agmina iunxerant. Cum equitibus mille Sigismundus, Laurentius quoque cum totidem advenit; ceteri pro se quisque copias et fortunas ostentant; ad septem milia equitum habuere. Cum alii proceres et antistites hoc cum validissimo exercitu advenire sensissent et pro mentibus nondum exploratis eorum admodum vererentur, ad conciliandos sibi illos cunctos ingenii nervos intendunt. Id ipsum ceteri competitorum oratores curant, quando his suffragatoribus bene sibi sperare videbantur. Post, ubi trajecto Danubio occurrentibus officii gratia antistitibus proceribusque cunctis cum honestissimo nobilium equitatu sub Pestana urbe ad primum lapidem castra locarunt, primus omnium dux Corvinus cum metropolita Colociensi intempesta nocte profectus ex arce ad hos venit et Sigismundum Laurentiumque primus adoritur, quos patri quondam fidissimos esse noverat, et eos exorarunt supplices, ne Corvini partes desererent et presertim patris gratia de utroque optime meriti. Deinde Sigismundus et Laurentius reginam officii gratia adivere, a qua multis precibus pollicitationibusque sollicitati tandem in Budensem arcem, ubi Corvinus cum fortissimo presidio residebat, ea nocte ad cenam diverterunt. Unde oborta repente suspicio hos in Corvinas omnino partes concessisse.

Deinde postero die intercedentibus quibusdam Urbani questoris opera non in campo Rakos ex more, ut aiunt, neque in castris eorum; qui novissime convenere, sed Pesthi in dive genitricis basilica et equo utrisque loco conventus est habitus non, uti antea, frequens. Nam multitudo nobilium et iudicum sacerdotumque manus ingens, que ex omnibus provinciis oppidatim vicatimque convenerant, cum longissimorum comitiorum sumptus ultra

tolerare non posset, impetrata a patribus missione recesserat; sexaginta nobilibus relicta potestas, qui eadem auctoritate in sanciendo quoque decreto pollerent. Ibi de sanciendis quibusdam et resarciendis legibus primo agi ceptum est. Et orator iterum Neapolitanus auditus, qui Ferdinandi regis nomine, quecunque regno usui forent, libentissime defert, militem, pecunias et arma pollicetur; uti Beatricem in pristina dignitate retineant futuroque regi coniugent, impensius orat. Huic, veluti ceteris, bona verba data solutumque concilium. Insequenti die, cum in eadem basilica conventus haberetur et de publica discordia agere oporteret, Urbanus lingua Scythica diu contionatus est longa oratione referens, quot et quanta ex publica dissensione Pannonis mala imminerent; quin et in illa sententia diutius versatus est, quot Ungaros calamitates et detrimenta manerent, quippe qui finitimis omnibus regnis invisī ob illata diu bella nihil de intestina discordia preter ultimum exitium sperare possent. Cum publici parentis ore loqueretur, huius apud omnes usque adeo valuit oratio, uti iureiurando omnes adigeret uno se consensu regem creaturos nullamque in decernendo fore secessionem.

Mox, cum ii proceres in creando clam rege persisterent aliosque in sententiam eundemque consensum trahere niterentur, Sigismundus et Laurentius cum sociis universis, quamvis magne condicionem offerrentur, in eandem sententiam haudquaquam concessere; quin et discordie causam indidit indignatio, quod regem ipsis absentibus illi designarent hos pro nihilo habituri. Et Corvini commiserationem pre pietatis et gratiarum numine pectoribus excutere non proterant. Itaque soluto senatu abeuntibus optimatibus Sigismundus et Laurentius cum priore Aurane ceterisque sociis facta secessione languentes Corvini partes instaurarunt. Cum Colociensi metropolita Budensem arcem clam subivere exerciturque die tertia in citeriorem Danubii ripam traiecere. Quin etiam urbem Budam occupare curabant, quam regni proceres tuebantur, qui, cum adhuc in Pesthana urbe comitorum gratia versarentur, audita adversariorum audacia, qui ex arce metropolitanam Pannoniarum urbem occupare studebant, traiecto mox Danubio Budam ocissime rediere incensique furore, ne inimicis cedere viderentur, de oppugnanda arce consilium inivere. Negotium id Stephano Bathori Chinisioque Paulo et Bertoldo viro impigro clarissimis discipline militaris imperatoribus datum; hinc expugnandi tormenta munitissima, illinc propugnacula pari utrinque ingenio comparantur; pro Bathore Drach Bertoldus vicem gessit. Et, cum instructa iam acie manu conserendum esset, ne civile bellum committeretur, ultro citroque viri quidam optimi intercessere salubriumque indutiarum fuere auctores, donec de pace, concordia et regis electione iterum ageretur; intestinum hac arte et consilio bellum prorogatum est; de pace iterum agi ceptum; in divi Sigismundi edem, que pro arce est, primates utrinque convenere. Hinc Urbanus et Stephanus Bathor, Sigismundus

illinc et Laurentius. Nunquam sic eque pro utriusque partis libidine et arbitrato condiciones utrinque offerri potuere, ut inter eos conveniret. Colloquium ibidem ter quaterve habitum, nihil tamen de solida pace decerni potuit. In hoc tandem instauratis industriis conventum est inter eos, uti ad Stephanum comitem Sepusiensem, cui Austria prefectura secundum regis obitum cunctorum principum et regulorum nomine commissa fuerat, non sine magna argenti copia, quo provinciam nutantem facilius tueri posset, duo utrinque oratores mitterentur eiusque voluntatem et consilium explorarent, ut, quencunque regem optaret, is ab omnibus aliis approbaretur. Ioannes Varadiensis antistes a regni proceribus missus est, duo quoque a Corvino duce, qui Stephani voluntatem exquirent.

Dum Buda profecti mandata curant, Stephanum inveniunt potius Bohemie regi, quam cuivis alii studentem, quin etiam optioni sue subiicientem, quod si quem alium optimates elegerint, se regem eum pro arbitrato suo declaraturum, qui reipublice optime consulere. Facili quoque argumento ceteros repellebat nec Alemanum dicens nec Polonum nec denique regis Mathie filium commode creari posse; veteres primum inimicitias et innata odia cum imperiosa tyrannide dissuadere; alterius mores et audaciam non placere nec fas et equum esse minorem natu gubernationis expertem primigenio fratri a teneris circiter annis Bohemica sceptri gerenti Ungarie regnum et prime ius preripere geniture; tertium vero, quem paterna gloria et immortalia beneficia postularent, non solum ab iniquo genii numine consuetudineque Panonica, verum etiam a publici commodi ratione repelli. Nam, si quis ex tribus externis rex eligatur, tertia ex parte inimicorum numerum nunciabat esse futurum; sin vero Corvinus, preter adolescentie inexperientieque pericula ex omni parte finitima futura bella; proinde satius esse integriorem, sanctiorem, magis expertum principem eligere numerumque hostium diminuere, quam aut augere bella aut regni rationibus parum probe consulere. Intellecta Stephani mente Varadiensis mox veteranorum exercitum in Moravia estivantem, cuius viribus Mathias rex maxina queque gesta peregit, datis centum milibus aureorum nummum regni nomine inductoravit. Quod ubi competitoribus nunciatum est, id omnes egerrime tulere et presertim Maximilianus et Corvinus, qui multis sepe pollicitationibus eum paulo ante vexarant.

Reversis oratoribus et nunciata Stephani mente integerrimi viri sententia a cunctis patribus admodum approbata ac multis predicata laudibus, contra Corvini amici consternati, quippe qui, si nigrorum hunc exercitum inductorare potuisset, satis exploratum habebant se invitis etiam patribus regnum occupaturos. Exercitus hic idcirco niger appellatus, quia Mathie iussu sub dio semper hibernare ac estivare solebant estu et algore iuxta obdurati et assiduis militie laboribus obfirmati, ut nihil esset ita

arduum et difficile, quod expugnare non auderent. Regem omnino futurum regina quamvis Maximilianum appeteret, uti Augusta foret, hac spe frustrata audita clandestina novi regis creatione coniugale votum huc convertere coacta est, quin etiam proceres et episcopi, uti feminee inconstantie periculum declinarent, futuri regis Beatrici nuptias pollicentur. Evocantur ex arce iterum proceres in colloquium et inducie instaurantur, nunquam tamen Sigismundus et Laurentius adduci potuere, uti ab adolescentis commiseratione et a grati viri officio deficerent. Et, quamvis publica utilitas ad consentiendum cum ceteris hortaretur, pietas tamen et ratio meritorum a consensu publico revocabat.

Cum nihil de communi concordia decerni posset, Corvinus amicorum suasu nonnullorum fortunam et extrema tentare statuit. Proceres omnes amplissime donat, quare ab his rex consulatus est. De arce cum presidio validissimo relinquenda et evahendo thesauro mox cogitat, ne hic a regni proceribus obsessus ad extrema redigatur. Inito proficiscendi consilio in sua et amicorum oppida se cum impedimentis et exercitu recipere statuit, ubi facile omnes optimatum vires eluderet et in inferiore Pannonia dominari iam occiperet. Cum Sigismundus et Laurentius cum sociis, uti diximus, ripam in citeriorem Danubii castra movissent, suum cum his exercitum admotis prope castris plane coniunxit, mox carris et navibus oneratis aqua terraque Quinqueecclesias versus instructis agminibus circiter Kalendas Iulias iter facere cepit. Metropolita Colociensis, ne discordiarum auctor haberetur, Colociam se recipit. Per universam urbem ecce rumor effunditur Mathie regis filium exinanito erario et spoliata regia cum omnibus sue factionis auctoribus instructa acie in inferiorem Pannoniam iter invisisse; eum Sigismundi copiis et Laurentii fretum tuto iter arripere posse; regnum non suffragiis provincialium senatusque decreto, sed vi esse capturum. Mox cum rumore tumultus oboritur, capiuntur arma, ad sacrosanctos patres proceresque refertur, anne Corvinum insequi debeant. Datur Stephano Bathori et Kinisi Paulo negotium; ii dicto celerius cum ceteris optimatibus antistitumque copiis et cataphractis equitum agminibus quarto Nonas Iulii iter arripuere. Pre ceteris tres minutissimi erant equitatus preter vexillationes; unus regine validissimus (ex omnibus Mathie regis equitibus illa delegerat), Hippolyti Strigoniensis metropolitae alter, tertius Urbani Agriensis episcopi. Dum omnes inito itinere properant, ecce Sigismundus et Laurentius cum priore Aurane et Chishorvato acceptis incolumitatis litteris publice concordie ac divertendi intestini belli gratia ab optimatibus in urbem revocantur. Quod eo libentius illi concessere, uti abeuntibus copiis et impedimentis tempus progaretur, rati, dum de pace ageretur, nullum utrinque prelium oboriturum. Sed res aliter, ac opinabantur, evenit; quin ii ea mente Corvinos prosequerentur, uti aut impedimenta cuncta reciperent aut manum una consererent.

Cum inter optimates regni et Sigismundum Laurentiumque 151
 nulla concordia super filio regis decerni posset, re infecta iterum
 abeunt ad exercitumque festinant. Cum suis appropinquassent 152
 aliquantisperque substitissent, uti inter tentandum adversariorum
 copias explorarent, ecce contrariarum partium exploratores occur-
 runt, qui sua agmina precedebant. Prelium inter paucos ex im- 153
 proviso committitur. Aurane prior saucius capitur, Sigismundus
 prepropera festinatione incitato equo una cum Laurentio se recep-
 pit ad suos. Insequenti die Stephanus et Paulus inimicos ad 154
 fluviolum, quem a limosa Scyarium aqua Scythice nominant, adhi-
 buere. Corvini in monte conserderant in ulteriore Scyarii ripa sur-
 gente, quem Ungarici Cziontheugh, id est, ossium cumulum inter-
 pretantur.

Cum aqua facili vado interceptis ab hoste pontibus ob limi 155
 altitudinem transiri non posset, Paulus in traiciendo audacissimus
 primus vadum haudquaquam formidolosum invenit ceterisque
 subsequentibus viam fecit. At Corvini transitum prohibere 156
 conati minime potuere inque montem sese collegerant, uti tutius
 pugnare liceret. Traiecto mox exercitu et instructa utrinque acie
 premissis hinc impedimentis pugnam ineunt. Hinc Paulus, Bathor 157
 illinc instat; miserrima utrinque cedes oritur. Ladislaus Mauricius
 e regni proceribus haudquaquam impiger primus occubuit, dum inter
 confertissimos hostes acerrime pugnaret; e Corvinis Kys Mathias
 et Franciscus Dembay, dum pari utrinque spe pugnatur, occu-
 buere. Sed, cum ii fortissimo regine Beatricis equitatu et cata- 158
 phractorum agminibus prepollerent, Corvini, quamvis vexilla-
 tiones plures haberent, tandem cedere coacti sunt. Inclinata de-
 mum acie vix quadraginta militibus desideratis et LXX captis
 terga dedere passimque fusi et fugati sunt. In proxima Sigis- 159
 mundi castella et Quinqueecclesiensem urbem Corvinus cum suis
 omnibus destitutus ne mediocri quidem ex parte impedimentis
 tuto se recepit. Victores castris potiti et prede cupiditate pel- 160
 lecti in carros et impedimenta relicto hoste se converterant; hi
 regias vestes, aurea et gemmata vasa, illi ceteri, uti fors obtu-
 lerat, pro se quisque in pretiose multiplicisque supellectilis rapi-
 nas irruerant. Diripiuntur per tot annos congesti magna ex parte 161
 thesauri et pro velutum libidine dividuntur. Currus autem multi
 pretiosioribus rebus onerati in proximis Sigismundi oppidis as-
 servati. Quin et finitima rusticorum manus in predam eque con- 162
 versa, quecunque impedimenta in pagos et nemora propinqua con-
 fugerant, cesis actoribus passim omnia diripiunt. Et amici 163
 quoque ditandi occasionem nacti, ut sibi potius, quam
 hosti paganeque multitudini proficerent, iuxta diripere.
 Proinde maxima Corvino iactura eo die illata, quin plus, quam
 centies mille nummum aureum amisit. Calamitosa eo die parva 164
 victoria, quia nullum alius, quam Ungarorum sanguis effusus est
 et publici thesauri impedimenta privata libidine direpta in nullos
 publicos usus concessere.

Cum ceteri Corvinas partes secuti in Quinqueecclesiensem urbem se contulissent, Sigismundus in sua omnes civitate fugientes excepit, ubi exorta inter Corvini proceres ob susceptam cladem deinde discordia diversi diversa petiere, quod cum fidei et integritatis inopia et privati commodi cupiditate accidit. Quisque apud Corvinum ducem pro libidine preponi et principatum obtinere nitebatur. Surripere quoque quisque contendebat et plures surripiendi, quam iuvandi gratia conabantur. Quod, si fides in his fuisset, in quibus esse debuisset, eum fortasse regem vidisset Ungaria, sed haudquaquam duraturum ob adversariorum multitudinem esse sperabat, quod suorum fides et animos consternabat et discordie prebebat argumentum. Iacobus Sekel inita cum Corvino intentione intercedentibusque conviciis ad Ormos in superioris Pannonie caput reversus est; Laurentius in patrium inferioris Pannonie dominatum se recepit; ceteri in sua quisque oppida rediere. Dux traiecto Dravo in Slavonie provinciam dicioni sue predestinatam concessit. Illud omnes ingenue fatebantur sine validissimo regine equitatu eos bello nunquam esse cessuros et cataphractorum robore fusos fugatosque fuisse. Quare Sigismundus et Laurentius vulgo dicebant se vexillationibus et velitibus non amplius confisuros, quando dudum experientia didicissent levis armature equites adversus cataphractorum robora nil posse proficere. Quinto Idus Iulias Stephanus Bathor et Paulus Chinisius regni duces cum ceteris proceribus et legionibus recenti aliquantum victoria elati Budam rediere; captivi circiter septuaginta ducti, quorum prior Aurane et Georgius Chanisai principes erant. Cum infausta intestini belli victoria foret, quamvis eos in regine conspectum adduxissent, mox tamen civili charitate perciti accepta fide dimisere; successum belli prosequi noluere, partim quia duos hostes habebant, partim uti dissidentes illorum animos aliquantulum castigatos facilius reconciliarent unoque consensu predestinatum regem haberent.

Nec interea quidem dormiebat Urbanus, quippe qui clandestinis quotidie nunciis Sigismundum et Laurentium ac imprimis ducem cum suis ad concordiam revocare nitebatur. Nec spe sua frustratus est, cum studium et industria cum probitate coniuncta magna ex parte fortunata esse solet, qua quidem in re auctoritate auxilioque regine usus est. Itaque rem haud ultra differendam esse ratus, ne procerum et populorum studia magis magisque nutarent, quarto die post ducum reditum pro divi Georgii templo habita frequentissima contione Wladislaum Bohemie regem inclytum Ungarie principem ex omnium patrum procerumque consulto declaravit declaratumque omnes, quicumque aderant, cum ingenti plausu approbarunt. Quin et his omnes competitorum oratores et legatum imprimis apostolicum, ut pontificia auctoritate vicariique presentia declaratio iustissima muniretur, adesse voluit. Ubi multa de concordia et salubri hac creatione Scythica lingua disseruit ingenitam et exuberantem referens eloquentiam.

Item de patrum procerumque cunctatione, quod regem antea non pronunciarint, haud pauca dixit et pluribus excusavit. Demum invocato prepotenti numine, quod regno Ungarie universeque Christiane reipublice bonum et faustum felixque foret, Wladislaum Casimiri filium regem cunctis assentientibus pronunciauit. Tanta mox populi acclamatio cum ingenti plausu oborta est, uti eo die tota Buda nil aliud, quam faustissimum Wladislai nomen resonaret; insuper ante privatas Beatricis edes felix tota die facta est acclamatio, magni plausus editi et in signum publice letitiae missilia cum pecunia sparsa. Legati principum, qui voti compotes esse nequiverunt, turpis repulse perturbatione commoti ac minitabundi continuo abiere. Et illud indignationem augebat, quod nigrorum exercitum, de quo paulo supra diximus, a Ioanne pontifice Varadiensi regni nomine senserant inauكتورatum, cuius arte potissimum et ingenio Wladislaum declaratum esse reputabant.

Post hec patrum et optimatum omnes ingenii nervi, cum regni salus et imminetia undique pericula ita exposcebant, adiuvante summo studio regina, ut patribus declarato regi auspiciis coniugaretur, ad reconciliationem Corvinarum partium et publicam concordiam intenduntur. Urbanus et Thomas lauriensis episcopus cum Blasio Budensis aule procuratore, in cuius manu sacra corona ceteraque regales arces erant, et cum Sigismundo die noctuque ingenti sollicitudine rem agit exoratque, uti Corvinum ducem ad reddendam coronam et accipiendas honestissimas concordie condiciones hortarentur. Quin etiam Beatrix ad exorandum privignum et Quinqueecclesiensem episcopum ceterosque principes factionis Blasii socerum misit, qui auctore Sigismundo et genero fautore haud difficulter Mathie filium ad concordiam revocavit, quandoquidem facile intelligebat adolescens se ab utroque destitutum omnem operam elusurum, siquidem alter opibus prepollebat, coronam et arces in sua protestate habebat alter. Ambo igitur huiusce concordie ab ea parte potissimi fuere auctores et precipue Sigismundus, quippe qui, postquam divi Mathie filium regem commode creati non posse intellexit, ad publicam deinde salutem ac dignitatem animum advertit; restituende namque corone ac pacis ineunde potissimum auctorem fuisse vidimus. Item et illud inter varias pacis condiciones decretum intercessit, ut omnia eorum diplomata, qui Corvinarum et villas et bona a regina post partam victoriam dudum impetrarant, qui civili bello occubuerant aut reipublice hostes promulgati fuerant, continuo inita concordia rescinderentur et pro irritis haberentur; qui eo tempore occupata reddere pertinacius recusarent, perduellionis crimen plane subirent. Quare ablata cuncta sunt reddita et donationes antiquate atque pertinacibus perduellionis indicta dies et exacte pene.

Legati pronunciato in frequentissima contione rege senatus consulto decreti imprimis Ioannes Varadiensis, Thomas lauriensis, Ioannes Chanadiensis et Stephanus Syrmiensis, ex episcopis, e pro-

ceribus vero ac regulis Stephanus Bathor, Stephanus comes Sepusiensis, Sigismundus divi Georgii comes, Drach Bertoldus, Ladislaus Orsag veteris palatini filius, Ladislaus Rosgonius, Ladislaus Losontius, multi quoque alii ornatissimi optimates, quibus adducendi honorificentissime regis data provincia et adiecta mandata, ut antea, quam intra fines regem accipiant, in oblatas condiciones iurare compellant. Iussi mandata viri impigre curant. Cum honesto munitoque equitatu Tinnaviam et ad regni fines perveniunt decem milibus passuum a Schempte oppido remotam. Vagus Tinnaviam et Schempten amnis interfluit, ut Ungarie fines a Bohemica ditione dirimat. Wladislaus prius litteris optatum admo- 190
nitus Ungarie se regem omnino futurum cum delecto Bohemorum exercitu finibus appropinquaret, uti in tempore presto semper adesset. Decem milium circiter erat cataphractorum equita- 191
tus gentium ubique spectabilis, peditum ad quinque milia numerant. Rex cum finibus appropinquasset, antistites et optimates Ungarie confestim occurrere, regem prerverenter continuo consalutarunt; sanctissima utrinque facta est acclamatio. Wladislaus 192
clementie, gravitatis et benignitatis exemplar hilari vultu omnes excepit et primores amplexatus est. Tunc Ioannes Varadiensis antistes ornatissime legationis princeps e medio sic exorsus est:

Salve, Wladislae rex inclyte, salve, moderator et rector noster 193
unice. Si condiciones acceperis, fausta et felix maiestati tue Pannoniceque saluti sit ista salutatio, quandoquidem te regem nobis non tam hereditario iure, libera nostra eligendi potestate provinci-
arumque omnium suffragiis, quam divino consilio et iussu datum 194
arbitramur. Ad te maximam pontificum procerumque manum legatam esse scito, uti ex legationis amplitudine maximum totius fere Pannonice ditionis consensum in te unum oculos, spem, fiduciam et obsequia perpetua convertisse scias. Nec solum quidem 195
audivimus, verum etiam vidimus omnes et spectavimus precoci ab adolescentia gravitate ac sapientia tua fluctuantissimum Bohemie regnum nunquam a Sigismundo, Alberto et Ladislao avunculo tuo ante pacatum sub ductu auspiciisque tuis in perpetuam quietem insolentissimumque otium pervenisse. Nos defuncto divo Mathia re- 196
gem optaturi quem preter te potissimum eligeremus, neminem habuimus, quem tibi anteponeremus. His igitur legibus iam repulsis 197
ceteris competitoribus te Ungarie regem declaravimus vestrique regni nunc habenas potentissime dextre tue committimus et sponte damus imprimis, ut omnibus optimatibus, regulis, antistibus et nobilibus, item aliis, qui aut sacram aut profanam aut nobilem aut humilem personam gerant, integra regni decreta, privilegia et publica denique ac privata iura a maiestate vestra serventur, que a divis quondam regibus promanarunt; nihil novi in cuiusvis persone 198
detrimentum, uti Mathias rex facere plerumque consueverat, illa decernat; insolita presertim unius nummi aurei vectigalia, que is quondam viritim quotannis ter et quater exigebat, antiquet abrogetque. Quin etiam omnia illius decreta et donationes, que pre- 199

ter morem et regni iura iniuste tulit sanxitve, rescindat et pro irri-
 tis habeat; solita vectigalia legitimosque proventus sibi duntaxat accipiat; tributa preter morem iniusta ne sanciat; bona, que- 200
 cunque imperante Mathia et Beatricę eorum auctoritate a legitimis
 possessoribus inique abdicata fuerant, repetenti ius statuatur; corona sacra nemini asservanda committatur, nisi duobus Ungarie
 optimatibus, pontifici et regulo, quos frequentissimus regni con- 201
 ventus elegit. Insuper, ne quo modo Moraviam, Silesiam et
 Lusatiam, quas Mathias rex olim in provincias redegerat, ab hu-
 iusce regni dicione alienare patiatur, sed ante tempus redemptio-
 nis, veluti ex compacto in Olmuciensi conventu decretum est,
 sub Ungarica dicione retineat. Quod, si forte ipsa sine liberis hu- 202
 manis excederet, quod dii prohibeant, ante diem extremum ita
 prospiciat, ne quo ille pretextu abalienentur. Quin etiam det ope- 203
 ram, uti sex, que superfuerant, urbes, veluti pacta iubent, in
 eodem conventu edita publicis litteris pari iure Ungarorum imperio
 sese obligent et obstringant diplomataque prestandi obsequii su-
 per ea re facta in regni erario recondantur. Quod, si tres iste pro- 204
 vincie prestituto tempore ab his redimerentur, quorum ius est,
 pecunia omnis una cum sacra corona in reipublice usum et uti-
 litatem pariter asservetur nulloque modo sine patrum procerum-
 que consensu a rege tractari et erogari queat, sed ad extrema
 periculum et regni defensionem recondatur. Preterea, ne Austria 205
 cum plerisque Styrie, Carinthie Carnioleque civitatibus a Mathia
 in provinciam redacta publicoque sumptu parta ab Ungarie regno
 inconsultis patribus et optimatibus abdicetur, immo pertinacius
 pro nostra republica retineatur et propugnetur nullaque cum Ce-
 sarea maiestate citra senatus consultum et auctoritatem concordia
 ineatur fedusque percutiatur, quin etiam, si qua ultro citroque
 concordia iniretur et aliqua hinc oppida, possessiones pecuniave
 regi cederet, id omne Ungarice dicioni adscribatur, pecunia cum
 sacra pariter corona in reipublice usum asservetur et sine sena-
 tus consulto nunquam a rege possit erogari. Preterea vestra ma- 206
 iestas, ut commodius faciliusque regno semper prospicere queat,
 maxima ex parte in Ungaria resideat atque, si quando res ipsa po-
 stularit, uti Bohemiam aliasque provincias revisere velit, regnum
 ita pacatum, munitum et institutum relinquat, ut ad faustum us-
 que redditum id tranquillum inveniat. Dum in Ungaria manserit, 207
 omnia regni munia Ungaris tantum et non externis distribuat auli-
 corumque duntaxat Ungarorum officiis semper utatur nec in regni
 administratione aut curie regieque muneribus ullum ex peregrinis
 consiliarium, questorem pretoremve aut amanuensem, cubicular-
 ium, ministrum, structorem et architriclinum admittat. Cum de 208
 Ungaricis rebus agetur, nullum preter Ungaros externum in conci-
 lium venire patiatur; quin etiam Ungaris tantum aut Ungarico
 quondam imperio subiectis, qui haudquaquam videantur indigni,
 sacra munera, honores et ecclesiastica prefectura tribuantur, item
 provirciarum et urbium regalium prefecture, ut puta, Dalmatie,

Croatie et Sclavonie, preterea Themesi, Pisonii, Severinii, Albe Grece, Iaice et Sabatii et presertim Transylvanie ac Scytulorum nullis aliis, nisi Ungaris de republica bene meritis et summa virtute, prudentia et fidelitate preditis a regia maiestate conferri queant, immo ne possessiones quidem et earum iura alienigenis dari possint. In dicendo autem iure, cum celebrantur, ut ajunt, octave, omnes designati omnino iudices intersint, nisi aut publicorum negotiorum impedimento aut quavis ardua legitimave causa remorentur, atque his ceterisque collegis et vicariis libera potestas sit ius recte integreque dicendi iudiciaque libera in omnes et iusta serventur et nullius publice persone privateque persone, sed iustitie tantum et consuetudinis legumque Ungaricarum ratio habeatur et nemo suo iure fraudetur. De numismatis autem et moneta inconsultis patribus nihil novi decernatur. Demum, quicquid antistites, **reguli et optimates cum** cetera nobilitate pro regni libertate et commode ante coronandi tempus ex antiquorum more sancire voluerint, id vestra maiestas ratum et firmum habeat suaque auctoritate muniat et confirmet nihilque ex divorum regum legibus abroget immutetve. Demum alieno senatum ere levet, quod antistites cum proceribus paulo ante conflarant, cum nigrorum exercitum inauctorant, uti regnum tuto potestati tue, rex inclyte, traderemus; item, quecunque oppida regalesque proventus pro regni salute his diebus oppignorarint, cum a tot molestiis respirare licuerit, vestra maiestas recuperare iustaque stipendia nigris equitibus de republica benemeritis a Mathia olim rege debita persolvere dignetur. Cum his igitur legibus regnum Ungarie maiestati tue deferimus et dicamus, serenissime Wladislae, ut te regem iustum et verum, benignissimum principem et patrem pietissimum, non tyrannum, non crudelem dominum, non immittem et imperiosum gubernatorem esse intelligamus, ut delatum publico consensu hoc regnum et divino numine, humano consilio, hereditario iure, liberis quoque suffragiis et auctoritate nostra tibi destinatum libenter accipias, quod maiestati tue Ungariceque reipublice faustum felixque sit, iterum iterumque supplicamus. Quippe regnum habes nativo auro argentoque refertum, mira quoque fruenti, metalli, pecoris ac rerum omnium ubertate predictum, preterea militum robore ac bellice rei experientia validissimum. Accedit religiosum, continens et ditissimum, gravissimorum multitudo pontificum et sacerdotes domi forisque prepollentes, item tanta procerum ditissimorum et nobilitatis copia ornatissima perpetuo obdurata bello, ut priscam hic Romane militie amplitudinem recognoscere liceat. Plures hic duces, plures quoque Curios et Scipiones, quam in equo Troiano principes et Rome imperatores inveneris. Proinde iam regnum habes, regnum, dixi, immo regna plura, immo materiam perpetue salutis, occasiones laudis et glorie et clarissimarum virtutum omnium exercitationem, sive pace sive bello sive publice sive privatim tuum nomen in extremos orbis fines propagare placitum fuerit

aut recorditarum in sacro pectore virtutum regalium ordines explicare. Nihil est, quod desit sanctumve propositum remoretur, et preclarissima hec imprimis de universa Christiana republica bene merendi offertur occasio, qua Wladislai tui patrum manes ulcisci et a Turcorum feritate servituteque miserrima Christi populum asserere poterit. Si tibi ipsi non defueris, si animi magnitudinem ingenitamque virtutem hoc, ut incepisti, tempore non remiseris, te circumspectum, te iustum, te sanctum, te integerrimum et pietissimum esse scimus. Unum te non latere percipimus, quando bellicose aspereque gentis habenas capis, Ungarum non indulgentia, sed severitate molliri, non clementia et impunitate, sed virga ferrea in obsequio retineri. Quare dextris auspiciis delegatum a senatu Ungarorum imperium accipe regnumque tuum tue dextere potentia defende.

Wladislaus ad hec oblatum regnum libenter accepit et ob singularem Ungarorum observantiam ingentemque consensum, quem in comitiis regalibus ostendere, iustissimas in accipiendo rege condiciones, ne qua ex parte ingratus et a regia dignitate alienus videretur, et omnia, que legati postularunt, ultro concessit, condiciones omnes accepit easque non solum iureiurando, sed adiecta Christiana fide et verbo ac honore regio se suosque omnes nomine suo munera gesturos integras leges inviolatasque servaturos esse promisit, quin etiam publica de his diplomata edi voluit. Mox admissis ad amplexum viritum oratoribus omnes de se bene sperare iussit pollicitus se nullam unquam tyrannidem, sed pii clementis ac iusti regis officium usquequaque servaturum, civitates, pagos et oppida, item divina et humana eque curaturum, nullum unquam bellum grave ac formidolosum esse detrectaturum et fidi more pastoris pro charis ovibus mortem, cum necessitudo tulerit, semper obiturum nullamque in Christianos expeditionem, nisi res adegerit, sed in Turcos tantum ultro suscepturum; se demum Christum optimum maximum divinamque genitricem ceterosque magnos patriosque deos assiduo oraturum, uti se talem Ungaris regem efficiant, qualem regni necessitas expectatioque virorum et sua dignitas exposcit. Edito ibi plausu ac ingenti acclamatione rex cum oratoribus et Bohemie Pannonieque proceribus in Schempten oppidum venit a Ladislao Rosgonio loci domino ad cenam invitatus; Ungaricam ibi primum liberalitatem expertus est, quando pro dignitate non solum exceptus, sed preter omnium opinionem ample donatus in Ungariam abiit.

LIBER X.

Accepto Ungarorum imperio (quando hec est rerum humanarum plane condicio, uti, quanto maiores sint, tanto plus sollicitudinis et periculi laborisque contineant) due imprimis nec parvi quidem momenti expeditiones occurrunt. Hinc Albertus

frater pertinacissimus regni competitor Budam cum ingenti exercitu et non parva Ungarorum manu, qui una conspirant, festinare dicebatur; hinc Vicegradum arx editissima, ubi diadema sacrum asservabatur, erat obsidenda, uti Wladislaus in Alba Regali rite coronari posset. Quare duo milia peditum extemplo premitit, qui arcem obsideant, uti coronam habeant, antequam Budam ipse perveniat. Duos ad Albertum fratrem oratores mittit Stephanum Syrmiensem episcopum et P. Swibowsky regni Bohemie iudicem, quibus mandata dat, uti fratrem hortentur et orent, retro cum copiis pedem ferat, a solitis rapinis et incendiis militem coerceat, quando fratrem primogenitum legitime creatum regem esse non ignoret; immo faveat, uti par est, et adversus hostes Ungarie stipendia faciat, demum fraterne, quibuscunque rebus opus erit, veluti ipse faciet, charitati satisfacere studeat. Oratores inito mox itinere die noctuque properant, donec in Alberti castra ad pagum Zechen VI. Idus Augustas pervenerent.

Cum in eius conspectum statim essent admissi, Stephanus prior exortus, Faustissima, inquit, Wladislai nostri regis maiestas te salvere iubet, dux illustrissime, et optima queque nuncupatis tibi votis exoptat et cupit. Sed in servando fraterne charitatis affectu parum in te animi invenire miratur egregue fert, quandoquidem non ignorat te non solum ex paternis litteris, sed publico rumore dudum cognovisse se iure ac rite Ungarorum regem esse declaratum seque sepe senatus litteris et nunc magnificentissima frequentissimaque patrum procerumque legatione in regnum cum summo populorum omnium plausu faustisque acclamationibus admitti. Nec te latere arbitratur, quod nuper sibi significatum est, quod nil sibi iucundius accidere potuisset, quam inter se Corvinumque ducem ictum esse fedus perpetuamque concordiam intercedente senatu esse factam et his primis condicionibus initam, ut dux regi nostro pareat grataque semper obsequia prestat et sacram coronam ac omnes arces oppidaque regie maiestati subiecta sponte reddat. Quare, cum nihil sit, quod rem istam amplius impedire possit, fratrem, quem sibi faustissimeque fortune gratulari debere arbitrabatur, preter omnium opinionem et fas et equum magnas in fraterno regno turbas bellaque moliri demiratur, fraternas acies, quas auxiliares esse oporteret, sibi regno suo infestas conspiciatur. Et imprimis detestabili angitur insolentia, quocumque de Eteocle et Polynice, de Romulo et Remo dicuntur partim a poetis ficta, partim a scriptoribus esse depravata ac aliter, atque referuntur, sese habuisse affirmant, te nunc exemplo tuo ea testari fuisse vera, quecunque de fraterna impietate discordiaque scribuntur. Iniquo fert animo, quod e pio sanctoque nunc genere illi promanarint, qui maiorum gloriam inaudita feritate incestarent. Te cum ingenti cataphractorum equitatu iam e Polonia in Ungariam erupisse et nulla fraterne charitatis habita ratione multa suis populis detri-

menta in dies inferre, militi omnem debacchandi licentiam per-
 mittere et maiora quotidie incendia interminari, nisi ad te forte
 defecerint, plane novit. Te fortunam suam interturbare, que 10
 tanta ipsum dexteritate prosequitur, perquam egre tulit, sed ta-
 men ab officio et pietate sua nihil alienum cogitare potest.
 Proinde nos ad te festinare iussit mandavitque, uti te suo nomine
 hortemur et oremus, rapinis et incendiis militem abstineas, ex-
 erciturum revoces, fraterne necessitudinis memor esse velis eius-
 que officium diligenter prestes. Item ea te memoria repetere 11
 cupit, que per fidos ultro citroque internuncios acta sunt. Illud
 demum sat exploratum habere iubet, quando omnis a deo pote-
 stas est, hec impedimenta fortune sue dexteritatem aliquantisper
 remorari, non tamen mutare posse. Quin etiam te obtestatur, 12
 uti fas est, vires tuas in fraterni regni ac sue dignitatis defen-
 sionem ultro convertas. Pientissimi quoque patris te rogat ha-
 bere rationem, quippe qui ingravescente etate inaudita filiorum
 dissidia tolerare non poterit et ad novissimum diem festinare co-
 getur, cuius felicitas et gloria fraternis odiis intercipi non de-
 beret. Preterea, quantum nominis, dux inclyte, hactenus domi 13
 militieque comparasti, nisi ab incepto destiteris, id omne protinus
 extingueretur et pro laude summa impietatis infamia succederet.
 Quod, si hortationi sue precibusque nostris nec assentire nec 14
 cum exercitu referre pedem nec a rapinis et incendiis militem
 coercere volueris, suam scito maiestatem licet invitam, ne pericli-
 tanti regno desit sibi sponte delato, proculdubio prospecturam
 et divina dignitate fretam iniuriam esse facile propulsaturam e
 subditorumque cervicibus hoc iugum omnino excussuram. Quod 15
 eo certius sperare debet, quo bellum magis necessarium et iustum
 inibit, quippe cum ab eo inferatur iniuria, a quo minime decuit
 et qui non modo artissima sanguinis coniunctione, sed multis
 quoque latentibus causis, que utrinque intercedunt, indulgentis-
 simo fratri perpetuo obstrictus esse debet, quod ne faciat, suo
 nomine iterum iterumque hortamur et obsecramus.

Cum parum equo hec animo accepisset, Albertus magna 16
 regnandi libidine percitus pauca respondit. Legatos ad Wladi-
 slaum Bohemie regem se postero die missurum eisque ad fratrem
 mandata et responsa daturum esse dixit, quin etiam se primo
 comitiorum regalium die Ungarie regem ante ceteros competi-
 tores legitime declaratum non facile quidem verbis magni mo-
 menti regnum deserturum. Ad hec legati referunt declarationem 17
 illam non fuisse legitimam, sed a subornatis quibusdam homini-
 bus iisdemque levissimis ac plebeis editam, eorum exclamatio-
 nem temerariam intempestivamque fuisse et a nemine patrum
 ac procerum approbatam, quin etiam continuo repressam, cum
 de eligendo rege nihil adhuc latum esset ad populum, sed de
 instaurandis tantum pristinis regni privilegiis et sanctionibus
 a Mathia rege admodum antiquatis agendum erat. Cum rem ita 18
 confutassent, ab Alberto mox dimissi ad regem revertere. Inse-

quenti die Alberti oratores successere, qui aperte regi signifi-
runt eum Ungarie regem primo vocatum nunquam temere vocatio-
nem istam deserturum neque destinato sibi regno facile cessu-
rum, immo ad extremum usque fortunam experturum. Neque
Ungari deerant, qui ceptis desistere haudquaquam permittebant.

Duc etiam peditum prefecti, qui ad Vicegradum recupe- 19
rante corone gratia venerant, artissima statim obsidione arcem
obsedere. Blasius, qui arcem cum presidio tenebat, desperata
Corvini fortuna auxiliariisque copiis persuasus ab aliis et ab
Urbano Sigismundoque pontifice non inconsulto invitoque Cor-
vino coronam arcemque reddidit, ne perpetuus patrie hostis habe-
retur. Rex interea cum magnificentissima Ungarorum legatione 20
validissimoque Bohemorum equitatu per Ungariam iter faciens
per spurcissima tempora Bude tandem urbi appropinquavit ac
nullum comitatis et popularitatis officium inter antistites proce-
resque pretermisit. Cum faustum principem appropinquare ru- 21
mor esset, tota civitas expectatione confecta et presenti gaudio
exhilarata in concursum effunditur. Imprimis Osvaldus Za-
gabriensis antistes, item Urbanus Stephanusque Bathor ac ceteri,
qui in urbe tutele gratia sane remanserant, optimates ad quartum
lapidem occurrunt et senatus consulto hec Osvaldus verba
fecit.

Salve, inquit, rex noster serenissime, salve, spes unica 22
salutis et tutele, sanctus et felix sit adventus iste ac universe
Pannonie perpetuo salutaris, cuius gratia mirifice exultamus in-
solita letitia gestientes et serenitati tue ex corde congratulamur,
quando omnium fere antistitum procerumque consensu regem no-
strum creavimus non tam nostro, quam divino indicio et, quem
e celo datum tuemur, pro debite congratulationis officio senatus
consulto pars episcoporum et optimatum magna vestre maiestati,
ut pro dignitate eam exciperent, ad fines usque regni obviam pro-
dierent. Nos, qui Bude tutele gratia remansimus, nunc demum 23
serenitati tue occurrimus, ut et fortune tue congratulemur et pu-
blice gauderemus utilitati. Te obstinatissimo bonorum omnium
consensu regem delegimus delectumque et declaratum faustis om-
nium gentium cognominationibus acclamavimus, quandoquidem
post divi Mathie obitum e tot finitimis principibus nemo magis
Ungaricis rebus succurrebat idoneus. Tu solus prudentia, gravi- 24
tate, potentia, item probitate, iustitia, religione ac nobilitate de-
mum generis ex hereditario iure potissimus omnium occurristi.
Quare non tam nostra suffragia et populorum vota, quam propi-
tia Ungarice gentis numina te nobis regem designarunt. Pro- 25
inde hilari fortique animo datum fato regnum adi, acceptas dudum
habenas pro sapientia tua dirige ac moderare, gentem belli-
cosissimam fidei tue a deo commissam, quando omnis potestas
a deo est, ad pacandum protegendumque regnum et Christia-
nam rempublicam defensandam dispone. Non modo regnum, sed 26
materiam immortalitatis ingentem sortitus es, princeps serenis-

sime. Non deerunt nervi bellorum optimique duces et bellatores validissimi, quos magna belli fulmina et Christiane dicionis clypeos vere possimus appellare, quorum ope maximum quodque genus immortalitatis et glorie, ni tibi defueris, consequi poteris. Venis igitur omnibus optatissimus. Proinde faustissimis acceptum regnum auspiciis forti animo gubernas, ut et regem felicissimum, maximum liberatorem, amplificatorem prestantissimum et orthodoxe fidei propugnatorem clarissimum perpetuo celebrare queat universa posteritas.

Hic Urbanus brevitate amator verba facere iussus pauca subiecit: Posteaquam, inclite princeps, regni potestatem et reipublice summam fidei sapientieque tue haud imprudenter illegitimeque commisimus, nil magis optamus et nuncupatissimis a deo maximo votis petimus, quam ut tue dignitati, expectationi nostre Pannoniceque spei et saluti satis facias. Qua in re ne plus quidem difficultatis, quam facultatis est, quando (ut paulo ante dictum), si tute tibi non defueris, si ab ingenitis avitisque virtutibus non defeceris, omnia, que tibi nobisque sunt usui, abunde adsunt; quin etiam cuncta fortune tue numina aspiratura confidimus, quia te pientissimum religiosissimumque cognovimus; fidelitatem ubique nostram exploratam habebis. Quare tuam cum salute nostra dignitatem maiestati tue commendamus, ut, postquam utrinque bene sperare licet, pariter salutis et glorie studeamus. Ad hec rex pauca profatus omnes de se bene sperare iubet et, quando se non tam sue, quam aliene natum esse utilitati intelligit, se impensissime quotidie enixurum, ut expectationi gentium et Ungarorum spei cumulatissime satisfaciat.

Ad hec iunctis agminibus suburbia nove Bude subeunt, ubi pertisacium manus Iudeorum occurrit, Mosis tabulas offert supplicemque ex more postulat, ut privilegia a divis regibus quondam impetrata posthac etiam inviolata serventur. Sacrosanctas rex tabulas preveneratur, se ultro servaturum pollicetur, ne vivum et hostile orthodoxe fidei testimonium preferat. Secundum Iudeos omnes magistratum ordines et collegia sacerdotum antistitesque patrios deos et numinum simulachra preferentes occurrunt eumque cum sacris rhythmis et faustis acclamationibus excipiunt. Ad portam urbis sub purpurea fimbriataque umbella regalibus circum ventilantibus armis a supremo admittitur magistratu. Curiam et publicum carcerem pretervectus exclamantem noxiorum multitudinem impunitate donavit. In arcem demum regiamque ducitur a Blasio procuratore redditam, quod pridie eius diei, quo divi Laurentii solemnia celebrantur, factum est.

Albertus frater, qui ceptis nullo pacto cedere volebat, longum iter cum octo milibus Polonorum emensus in Pesthano ad Danubium agro superiore die castra locarat. Ecce diversis rex impiger periculis se circumventum intelligit et se non tam regnum amplissimum, quam fluctuantis maris imperium sortiturum esse sentit. Hinc Maximilianus cognationis immemor iam finibus im-

minet, hinc frater pre oculis instat et pervicaciorē infestiorēque arimum prefert, in inferiori Ungaria Turci varia bella moliantur nec intestine quidem factiones et Ungarorum insidie deerant, que fidem nusquam tutam esse patiebatur. Et, cum hinc Alemani, hinc Poloni cuncta hominum studia labefactarent inverterentque, promissis et minis rem ubique formidolosam esse cogebant. Quare de proximo et perquam familiari primum hoste, mox de Maximiliano et Turcis intestinisque malis decernendum esse censet. Ad Albertum Ioannes episcopus Varadiensis mittitur, qui ita rem egit et ingentes eius spiritus composita oratione repressit spemque auxit in posterum dignitatis, ut quinto post die, quam venerat, a Danubii ripa castra moverit. Fratrem cum exercitu pedem retro ferentem et indignabundum, cum minime cepta succederent, et viam ad quintum lapidem regressum rex misso subinde nuncio remoratur, ut fraternum sibi conciliaret animum et omnem a suo regno iniuriam propulsaret. Mox Buda profectus in colloquium; paret Albertus et, cum inter utraque castra ad prestitutum locum convenissent, is minor natu pro dignitate preveneratur. Inito deinde colloquio et amotis arbitris rex fratris pertinaciam et impietatem indulgentissimi more patris incusat eum neque legitime declaratum neque ab optimatibus admissum; nec fas nec equum esse aut temeraria paucorum proclamatione aut vi destinatum primigenio regnum fratri adimere et violata sanguinis charitate ius imperii occupare. Proinde hortari et orare, ut non tam fratri, quam iustitie et equitati cedat, immo, quibuscunque rebus possit, adversus tot hostium impetus faveat et opituletur. Demum polliceri se in referenda gratia ingratum non futurum, immo pacato Ungarie regno se, uti primo ipse potiat, omnino permissurum. Contra instat Albertus, nonnulla confutare nititur; tandem se regno cessurum, ut aiunt, pollicetur, si pro rependenda expeditionis impensa Transylvanie regnum sibi concedatur. Ad hec Wladislaus aliquantis per commotus alienandarum regni provincialium potestatem non suam, sed procerum esse et nobilitati. Re tandem infecta colloquium diremit. Insequenti quoque die, ne qua ex parte fraterne pietatis violaret officium, Varadiensem et Stephanum Bathora remisit, ut, quacunquē arte possent, pacem conficerent. Ii cum bis terve hoc iter emensi Albertum revisissent, datis verbis et spe aliqua condicionis haudquaquam inutilis pacem tandem cum eo fecere; condiciones eius nusquam edite. Initam pacem Alemani egre ferebant, quando spem omnem in fraterna discordia collocarant.

Dum intestina factione dissidioque laborabat Ungaria, ecce magna Australibus deficiendi datur occasio. Populi suapte natura Ungarorum inimici ac annos aliquot eorum iuga passi in pristinam libertatem se vindicare student et Neapolitani ac Viennenses imprimis, utrique invitis arcis utriusque presidii Maximiliani copias admisere admissisque auxiliis ab Ungaris ultro defecere. Viennenses, ne peierasse viderentur, cum in divi Mathie

regis verba iurassent se Ungarie regibus perpetuo parituros fide-
 liaque semper obsequia prestituros, se a Maximiliano deceptos
 ingenue fatebantur. Eum aiebant ad urbis optimates decem- 48
 viratumque scripsisse se Ungarie regem omnino futurum, quando
 sibi cum Corvino convenerat, cuius Austria erat, et cum omnibus
 fere proceribus Ungarorum nullum alium, quam ipsum regem esse
 passuros; quare citra periurii ac violati federis infamiam ad se
 tuto deficere posse, quando non ad alium, quam legitimum Un-
 garie regem deficere viderentur. Verba danti senatus temere 49
 credit, immo sub hoc pretextu patiebatur haud egre falli; quin
 etiam videbat populum Ungaris infestissimum in obsequio ultra
 retineri non posse. Primores tantum aliqui in fide permansis- 50
 sent, quibus imperiosus Maximiliani dominatus formidolosus
 erat et ipsi Ungarice factionis esse putabantur. Stephanus Se-
 pusiensis comes Augustalis, quem Austriam cum imperio tene-
 re supra diximus, multis ante diebus, cum urbem pere-
 grino sensim milite compleri cerneret, imminentem veritus
 defectionem decemviratum increpuit, quod nova moliretur.
 Contra illi se interregni tempore, cum validum urbi presidium non 51
 foret impositum, fluctuantibus rebus prospicere oportere, ne quid
 republica detrimenti pateretur, peregrinum inductorasse militem;
 hinc plebi adcaustus animus, que Ungarorum imperium ultra pati
 non poterat. Quare mox vulgo loqui revocandum esse Maximilianum 52
 unicum Noricorum assertorem, Ungarorum iugum e cervi-
 cibus omnino excutiendum, in dies per contumelias in vicis et
 compitis pugnam inire. Stephanus re desperata et munita arce
 necessarium abitum causatus, ne obcluderetur, excessit. Cum 53
 parvo Maximilianus equitatu XI. Kalend. Septemb. Viennam
 cum maximo populorum plausu invectus est. Et consalutatis diis
 patriis in divi Stephani basilica libertatis hymnus publice decan-
 tatus. In sequenti die arx obsidetur et, quo artius oppugnatur, eo 54
 pertinacius illa resistit; validissimo munita presidio admotis
 machinis undique aeneis nunquam ad deditionem faciendam redi-
 gi potuit, donec fractis menibus in mediam hostes aulam insi-
 luere. Maximilianus, cum ante alios acerrime pugnaret, unum 55
 adverso corpore vulnus accepit, presidarii vero, ubi rem despe-
 ratam vident, deditionem tandem fecere omnes et ab hoste mitius
 opinione tractati. Neapolitani quoque idem fecere, obsessam ar- 56
 cem ad inediam redegere, quare, cum nulla a Corvino subsidia
 mitterentur, in deditionem accepere; tutis corporibus et impedi-
 mentis omnes eque dimissi. Pruchi civitas non longe remota 57
 sitaque in finibus Austrie mox Maximiliani factione deficit.
 Cui Terzanus, qui arcem cum presidio tenebat, in proximam
 prima luce edem prodiisset, ex composito impetu a civibus capi-
 tur et coniectus in vincula arcem dedere cogitur.

Paucis ante diebus Kalend. circiter Augustis orator Ungaro- 58
 rum, qui a Mathia rege Constantinopolim missus erat, a Turco-
 rum imperatore rediit; se ab eo honorifice exceptum et bene trac-

tatum deque regis morte primo commonefactum fuisse retulit. Quin etiam adiecit Turcum Mathie mortem amice condoluisse neque accepti ab illo beneficii fore immemorem, quippe qui defuncto patre, cum multa per interregni occasionem potuisset, nulla tamen bella moliri voluit; insuper dixisse, neminem ex orbis regibus se preter Mathiam invictissimum reformidasse et ingenue polliceri, si opus fuerit, se filio, ut paterno regno potiatur, quadraginta hominum milia sponte missurum. Quarto Kalen. Septemb. coronam sacram a Vicegradu pontifex Zagrabiensis Budam in edem dive genitricis detulit, cui omnes ordines et sacerdotum collegia occurrere. Mox sacris rite peractis a duobus creatis asservatoribus, quorum alter Urbanus, Stephanus Bathor alter erat, triumphali curru elatis manibus invecta et subsequente cum frequentissima procerum manu rege in arcem regiam delata ibique admotis excubiis in coronationis usque diem est recondita. Georgius Chanadiensis episcopus custodie preficitur.

Nondum Augustus mensis exactus erat, cum Stephanus Syriensis episcopus et Ioannes Selemberg Bohemie cancellarius, ut aiunt, ad Maximilianum a Wladislao missi sunt, quibus ea pre ceteris mandata data, ut competitori ambitiosissimo cognatoque principi significant se legitime regem esse declaratum et nulla in comitiis Maximiliano patrive Augusto suffragia reddita. Quare pro mutua necessitudine sanguinis impensius orare, ut is pacando et potiundo regno faveret, quin etiam polliceri, quibuscumque rebus opus fuerit, se presto Cesari semper affuturum nullumque gratissimi principis officium unquam pretermisurum. Ii eo die Viennam pervenere, quo Maximilianus expugnato Claustrumburgo in urbem cum exercitu se receperat. Oratoribus quam primum datus est aditus, qui, cum Wladislai serenissimi Ungarie Bohemique regis nomine cum decora prefatione salutassent, sic egre tulit, ut se continere nequiverit, quin vultum obduceret. Mandata tamen ex ordine referentes ne iniquis quidem auribus audivit; omnibus in rebus benigne satisfecit, nisi in his, que ad ius regni pertinerent; ingenue respondit se nunquam regno sibi debito facile cessurum, quin etiam potiozem optimatum numerum clam suarum esse partium et, quamvis ab humili multitudine gentis vitio parum optaretur, facile tamen et bello et suarum partium auxiliis eam in sententiam suam perbrevis redacturum; ne Polonos quidem sibi defuturos, qui paria secum stipendia facient; nec initam dudum pacem esse duraturam; sat Wladislao Bohemie regi adiecta sibi Moravia, Silesia Lusatiique provincia esse terrarum; haudquaquam equum et fas esse unum omnibus imperare. Paucis post diebus festinantibus oratoribus sat honeste tractatis dimissio data, qui, ut ille cederet, nullo pacto assequi potuere. Budam iter intenderent, regem cum omnibus optimatum antistitumque ordinibus ad Albam Regalem coronandi gratia concedere acceperunt. Quare declinato aliquantum itinere ipsi quoque ad Albam contendere et Maximiliani retulere responsa. At ille interea

omnes ingenii nervos magis intendere, ne rite coronaretur neve coronatus regno potiretur. Quare undique auxilia cogere, maximum habere delectum et peregrinum inductorare militem, invertere studia procerum eosque variis promissis ac muneribus allicere, in dies passim serere discordias et alere, quo facilius oneratis Wladislaï viribus Ungaria potiretur. Artibus Alemanni haud parum 69 et consilio pollent, quod, si armis, robore et tolerantia militari iuxta pollerent et ipsi quoque concordēs fuissent, verum sibi imperium compararent, sed suis sepe artibus occidunt et hostili virtute adacti succumbunt. Atqui de legitima Wladislaï coronatione ac eius ordine est agendum.

Imprimis Albam dudum ingressurus pro explicatis optimatum 70 ordinibus tale profecto spectaculum exhibuit, quod ubique gentium dignissimum foret habitum, universam enim Bohemie et potiozem Ungarie nobilitatem ibi cernere erat. Prefecti provinci- 71 arum, tribuni militum et legati legionum, centuriones et chiliarche cum florentissima procerum iuventute regem anteibant, antistites ex ordine subsequebantur. Ibi varios et gemmatis habitus toto 72 orbe spectabiles, ibi phaleros et supra hominum opinionem ex cultos equos non solum auro et argento, sed lapillis onustos spectare licebat. Se quisque certatim preter omnem luxuriam exornarat, ut maiestati regie congratulando iactaret. Opes hic 73 Scytharum omnes effusas reputasses. Augebant admirationem et arma, quando aureas argenteasque galeas et thoraces gemmatis insigneque more cristati gestabant. Varia ex auro argentove animalia et discintillantia pre labillis ephippia ferebant. In ex- 74 tremo agmine Budini cives erant modestius ornati, quibus mos est inter coronandum templi postes una cum Albinis et instructa acie tueri. Cum plerique optimates et imprimis metropolița Colociensis et dux Laurentius abessent, coronatio aliquantulum prorogata, ne cui excusationis causa prepropera festinatione daretur, neque ii tandem affuere. Undecimo Kalend. Octobris rex ita rite coronatur. E proximis Dominici antistitis edibus, ubi residebat, precedente honestissimo comitatu et universo pontificum ordine in pontificio cultu progrediente decreto capite demissisque crinibus paludatus rex in dive genitricis basilicam prodit; a dextra Urbanus Agriensis episcopus, a sinistra Sigismundus, 75 Quinqueecclesiensis erat. Ante hos Ioannes Corvinus elatis manibus sacrum diadema preferens, cuius latera hinc Stephanus Bathor, qui sceptrum regale, et Ioannes Sancti Georgii comes pommum aureum ferens claudebat. Mox istos Stephanus Syrmienis episcopus auream pacem et prior Aurane crucem gerens anteibat. 76 Quin et Paulus Kinisius cum stricto gladio et Mathias Gerebus 77 cum ense vagina recondito aurea, item Ladislaus veteris palatini filius, magister agazonum cum equo et Ladislaus Losontius cum regali vexillo precedebant. Ceremoniarum ordinis prefectura 78 Ioanni episcopo Varadiensi tradita, Osvaldo Zagradiensi veluti metropolitano sacrorum operatio commendata, cum Hippolytus

Strigoniensis metropolita, cuius hoc sacrum munus erat, ob immaturam adhuc etatem non adesset; quod haud ab re factum est, ne absentia dignitati sue derogare videretur. Et quamvis ipse non venerit, validissimum tamen equitatum, ut par erat, misit. At, ubi in basilicam perventum est, parato suggestu procurante cuncta Ioanne Varadiensi omnes pro dignitate presidente in solio rege in subselliis consedere. Instructi vero ad mysteria pontifices in gradibus pre ara magna constructis, supra quam gladium strictum, sceptrum et coronam ceteraque insignia regis imposuere, item et arcanum exorcismorum oleum, sine quo regalia initia fieri rite nequeunt. Wladislaus omnium religiosissimus ad sumenda hec insignia se optime prepararat; eadem hebdomade alternis diebus ieiunia tria iam habuerat quotidianaque in deum resipiscentia tanti regni molem obiturus divinam opem implorat haud inscius traditam a deo potestatem sine divino presidio geri non posse. Diebus aliquot ad deum ingemuerat, ut, quem regem is elegerat, suis auspiciis comprobaret et una cum regno tueretur in divinoque semper obsequio retineret.

Post consensum igitur omnium, cum Zagabriensis, qui metropolitani loco in coronatione fungebatur, ante magnam aram presideret, rex paludatus adhuc cum pontificibus, qui eius latera claudebant, reliquaque manu principum e solio descendit et occurrentibus in pontificio habitu duobus episcopis ad metropolitanum ducitur. Constitutus ante ipsum ex more preveneratur. Mox e ductoribus episcopis alter, Sacrosancta, inquit, reverende pater, ecclesia postulat, ut hunc delectum militem in regalem efferas dignitatem. At percontanti illi, an eo munere dignus esset, continuo est ab omnibus acclamatum pro explorata viri sapientia et virtute iam esse dignissimum et reipublice salutarem.

Post hec metropolitanus sacrosancti patris officio fungitur admo.netque, ut, cum preclarum inter mortales locum invenerit, sed periculis, laboribus sollicitudineque perpetuo refertum, secum ipse reputet, cum omnis sit a deo potestas, de grege sibi commisso deo quoque rationem reddere oportere; pietatem usquequaque servandam; deum tota mente complectendum, colendum puro corde; orthodoxam fidem, quam ab incunabulis hausit, ad mortem usque constantissime retinendam et pro virili parte defersandam; Christi vicarios et pontifices omnes pro dignitate observandos; ecclesiasticam ubique gentium libertatem asserendam; divina et humana eque curanda; iustitiam citra personarum discrimen ubique servandam; exornandos esse bonos et malos nulla impunitate donandos; miserabile quodlibet genus hominum ab iniquissimo quoque detrimento vindicandum; faciles adeuntibus aures adhibendas et mansuetudinem cum affabilitate prestandam, nihil denique patrandum, quod sit a regia dignitate alienum, et regnum sue fidei commissum ita esse gubernandum, ut non ad privatam, sed publicam utilitatem regnasse videatur; premium denique rei bene geste non in terris, sed in celo postulandum.

Contra rex harum rerum admonitus, Cum divinis, inquit, 88
 auspiciis me ad regendam Ungariam evocatum esse sentiam, im-
 primis testor deum optimum maximum ceterosque celestium
 numinum ordines, deinde vos omnes, qui nunc adestis, me iusti-
 tiam, leges et pietatem pacemque omnibus cum sacrosanctis, cum
 profanis ceterisque hominibus, qui qualiscunque fortune perso-
 nam gerunt et sub mea ditione versantur, quantum in me situm
 est, et fidelissime et integerrime servaturum, pontificibus maximis
 legitimum semper honorem exhibiturum et divina ac humana
 iuxta curaturum, ecclesiarum iura tutaturum et antistibus pro-
 ceribusque nostris debitum semper honorem impensurum, illud po-
 stremo toto corde ac summo studio enixurum, ne quid unquam
 detrimenti respublica temere patiatur.

Mox in admota propius evangelia rite iuravit, ut dicta 89
 iureiurando et rata et firma ab omnibus haberentur. Genibus de-
 inde flexis implorande divine benedictionis gratia ante metropoli-
 tani pedes procidit. Contra ille assurgens ingeniculatis omnibus 90
 elatis in celum manibus et deposita mitra alta voce precatus,
 Omnipotens, inquit, sempiternus deus, creator omnium, imperator
 angelorum, rex regum et dominus dominantium, qui fidelem
 Abraham de hostibus triumphare fecisti, tribuisti variam Mosi
 Iosueque populi tui ductoribus victoriam humilemque David ad
 regni fastigia evexisti, quin etiam Salomonem ineffabilis sa-
 pientie pacisque munere ditasti, in preces nostras, quesumus, respice,
 et super hunc dilectum tuum famulum, quem tuo nomine
 veneramur optavimusque regem, tuarum gratiarum dona diffunde
 ac dextera potentie tue domi militieque tuere, serva in sanctissimo
 servitio tuo ac presta, ut ubique gentium iustitiam cum religione
 retineat inviolatam et tuo numine fretus exoptatam de ortho-
 doxe fidei hostibus victoriam et opima spolia referat. Quod ut 91
 a clementia tue maiestatis imploremus, te per Christum domi-
 num et deum nostrum, te per tuum filium unigenitum, te per
 sempiterni regni collegam intimum et consubstantialem nuncupa-
 tissimis votis comprecamur.

Post hec inclinato ante magnam aram metropolitano et pro- 92
 strato ad levam eius rege recinente choro sacre preces effuse et
 nuncupata vota. Quod ubi factum est, metropolitanus resumpta
 mitra in proxima sede desedit. Rex a pontificum corona circum- 93
 septus ante illum ingeniculatur et exorto brachio humeroque
 arcano catechumenorum oleo priscorum regum more, veluti David
 a Samuele propheta, delinitur. Inter deliniendum metropolitanus
 ista precando precatur. Christus, inquit, optimus maximus, filius 94
 dei vivi, qui a patre oleo exultationis delibutus est, pre partici-
 pibus suis ipse per presentem sancte unctionis infusionem paracleti
 spiritus tibi benedictionem demittat eandemque ad cordis usque
 intima transfundat, ut exacta terrestris regni gubernatione preclara
 in eternum cum regum rege corregnare merearis in celis. Intentis 95
 deinde in celum oculis ita comprecatur: Omnipotens et sempi-

terne deus, qui reges populi tui, ut sacro misericordie tue oleo inungerentur, edixisti; manibus nostris vim tue benedictionis concede, quesumus, et Wladislao famulo tuo, quem sub tuo numine regem inungimus, dignam unctionis efficaciam et virtutem infunde, ut munita dextera et corroborato humero fortiter iuste ac sapienter delegatum sibi regnum tuis auspiciis gubernare videatur tuamque sacrosanctam fidem longe lateque tueatur, quod ut a clementia tua impetremus, te per filium tuum unigenitum exoramus.

Postquam rex sacris regalibus initiatus est, a pontificibus turbaque procerum in solium reducitur. Metropolitanus subinde sacris occipit operari et inita confessione sacer chorus concinere cepit. Interea rex in sacrarium relatus deposito paludamento regali divi Stephani regis habitu aureisque cothurnis induitur; pallium e serico factum uranei coloris erat, cui dei thronus et apostoli omnes cum divina maiestate ex auro contexti in palmate vestis speciem, quod non tam vetustate et censu, quam religione picture spectabile videbatur.

Regali ac sacro instructus habitu solium repetit, ubi postquam Alleluia concinuit chorus, ad magnam aram ex more reducitur metropolitanumque preveneratur. Tunc ille sumpto ex ara stricto gladio, quem diximus, Accipe, inquit, gladium divorum apostolorum auctoritate consecratum et divino numine tibi destinatum; super femur tuum accinge ac regna, cuius vi equitatem exerce, protere iniquitatem, sacrosanctam ecclesiam tuere, protege fideles populos et hereticos ac hostes Christiani nominis iuxta perseguere, defende viduas et pupillos, instaure collapsa, instaurata conserva, a facinorosis dignas penas exige et bene merentibus debitum honorem impende. Omnia igitur consultis auspiciis et divino numine dispone, ut egregius iustitie cultor cum servatore humani generis, cuius vicem geris in populis, regnare perpetuo mereare.

Cum ita dixisset, ensem in vagina reconditum illi statim accinxit. Super femur, inquit, tuum accingere gladio tuo, potentissime, illudque menti altius imprime sacrosanctos viros non gladio, sed fide regna vicisse.

Secundum metropolitani orationem rex protinus ensem accinctus assurgit educitque ac fortiter vibrat, mox leva manica tersum recondit. Post hec repetitum pro dignitate metropolitanum genu flexo preveneratur. Deinde subadmiculantibus omnibus pontificio habitu episcopi acceptam ex ara coronam regi metropolitanus imponens, Coronam, inquit, sacram accipe ab indignorum manibus episcoporum tuo capiti divine trinitatis nomine inditam. Hanc sanctitatis gloriam et honorem ac opus fortitudinis esse crede, quin etiam initiis istis te ministerii nostri non expertem intellige, quippe qui, veluti nos spiritualium pasturam gerimus, ita et in externarum rerum prefectura te adversus omnes Christiane plebis hostes tue fidei commisse intrepidum fortissimumque reddas clarissimusque propugnator adsistas, ne regno tibi delegato indignus esse videare.

Hec ubi dixit, regale sceptrum porrigens, Virtutis, inquit, et
 veritatis virgam accipe, qua te facinorosos proterere, fovere pios
 et errantes dirigere, collabantes data dextera remorari, depri-
 mēre superbos et humanos efferre, tueri probitatem et iniquitatem
 insectari scias oportere. Divinum illud dictum tecum quotidie
 reputa: virga equitatis virga regni tui. Et ideo dilige iustitiam
 et iniquitatem odio habe, quoniam propterea quidem te unxit deus
 exultationis oleo pre participibus suis, ut sua unctionis iura ser-
 vando cum herede suo filio te perpetuo regnare posse sentiamus.

Surgenti deinde regi reconditus a latere ensis amovetur ensi-
 feroque Mathie datur, qui continue gestet eum ante regem; et
 rex in capite sacrum diadema et dextera sceptrum gestans, a me-
 tropolitano in regale solum reducit et collocatur, quem regiam
 maiestatem omni ex parte referentem his metropolitanus allo-
 quitur: Sta hic, rex inclyte, ac regna locumque nunc tibi a deo
 delegatum retine. Te per omnipotentis dei auctoritatem et per
 hanc sanctam coronationem duodenorum apostolorum ceterorum-
 que divorum auspiciis ministerio meo tibi traditam vehementer
 oramus, ut, quanto sacrum collegium magne are propinquius
 aspicias, tanto potiolem ubique gentium honorem tuis antistitibus
 impendas et, veluti te Iesus dei hominisque medius huc evexit,
 ita, sicut fas et equum est, cleri et plebis rationem habe et
 utriusque ius pro dignitate tuere. Vix ista dixerat, cum sacer
 chorus ingentes deo laudes gratiasque concinere cepit. Secundum
 hymni concentum metropolitanus exclamans ait Firmetur manus
 tua et exaltetur dextera tua et iudicium preparatio sedis tue.

Deinde per Christum optimum maximum ceterosque divos
 faustissima queque precatur. Quod ubi factum est, ad aram
 revertitur prosequiturque solemnja et, cum ad communionem per-
 ventum est, se regemque sanctissima eucharistia reficit munitque.

Et sacris rite peractis cum universa rex multitudine ad divi
 Petri basilicam contendit ibique in parato solio residet, dum ali-
 quantisper ius dicit. Hinc profectus, extra urbem in suburbium
 magnum prodit et in edito loco paratum podium cum instructo
 quorundam procerum ordine conscendit; inter eundem vero cum
 numismatis sparsa missilia. In frequentissima contione hic ab om-
 nibus postulatum, ut cuncta regni iura privilegiaque a divo con-
 cessa principibus vel maxime ab Andrea rege cum ceteris con-
 ditionibus inviolata serventur. Stephanus Bathor reipublice nomine
 id in pulpito postulavit, ut a legitimo et coronato rege cuncta
 magis rata firmaque haberentur.

Tunc rex indicto silentio, Nihil, inquit, proceres populi-
 que mei, reges omnes magis addecere videtur, ut in veritate et equi-
 tate gubernent, quam pre oculis imprimis semper habere deum,
 iustitiam integritatemque ubique retinere, promissa prestare. In
 divinam sapientiam oculi nobis assiduo intendendi, ut, unde munus
 humanum habemus et imperium, inde lucem et gratiam cum bene-
 merendi facultate hauriamus nihilque faciamus, quod non regi

sit persona dignum; nihil etiam moliamur, quod a publica sit utilitate et salute alienum. Nostris hoc maxime pectoribus altius 115
insidere debet, quod, sicut nos et olim progenitores nostros clementissimus deus reipublice vestre preesse voluit, ita et vos divinam voluntatem nunc vestris suffragiis communique consensu comprobastis. Quare eo vehementius enitendum, ut dignitati nostre et expectationi vestre satisfaciamus. Vos omnes de Wladislao bene 116
sperare iubemus et patria semper numina exorare, ut, quem vobis regem iudicio vestro approbatum dederunt, eidem quoque in vestrarum rerum moderatione cum celestis clementie dexteritate semper adsint et ceptis omnibus domi et militie iuxta faveant adsitque imprimis huiusce patrona regni divina genitrix, sub cuius tutela omnem reipublice interitum avertemus. Posthec nos omnibus 117
equos pro dignitate futuros existimate, quandoquidem non latet veros principes, a quo imperium acceperunt, ipsum deum imitari oportere rerum omnium salutem eque curantem redundantiamque sue bonitatis in res omnes effundentem, cum bonum quodlibet tanto prestantius esse videatur, quanto profusius impartitur. Nihil 118
principe indignius esse censemus, quam privatam publice utilitatem anteferre. Is tyrannidis mos est, que ad publicum exitium exorta, non regni, quod ad commune commodum inventum est. Qui ad salutem publicam natus est, publice studeat utilitati et bonum pastorem imitetur, qui pro suis ovibus animam exponere non veretur. Nobis igitur omnino dabitur opera, ut meorum more 119
progenitorum, qui paribus auspiciis potiti sunt, publice impensius, quam private rei curam geramus, nullos labores, nulla pericula pro salute vestra detrectemus, nihil quoque ducamus antiquius, quam de vestra republica bene mereri, ut, cum humanis excesserimus, de commissis pasture ovibus bonam deo orationem reddere possimus. Quare, cum iustitie sit officium suum cuique ius 120
reddere, proceres, ultro pollicemur equam deo mentem, cultum et honorem, quantum humana facultate fieri potest, Wladislaum omnino prestiturum, divina et humana eque servaturum, reipublice vestre regieque maiestati domi forisque, nisi vobis ipsi defueritis, nunquam defuturum, in dicendo iure legitimam cuique impensurum equitatem, miserabilium personarum rationem habiturum. Proinde, quod prestanda promissa postulatis, 121
illud scitote omnes, qui adestis, nos non ad solvendam legem, sed ad implendam ad vos venisse, non ad rescindenda antiquandaque decreta privilegiaque vestra, sed instauranda, non ad insolita vectigalia imponenda, sed levandam rempublicam ere alieno gravatam, non ad propaganda inutilia bella, sed ad pacem quietemque fundandam, non denique ad violanda vel minima quidem ex parte promissa, sed conservanda pervenimus. Utinam, qualem animum 122
in vos instituimus, talem in vobis erga nos ipsi reperiamus. Itaque, 123
si deus divaque genitrix patrona nostra principem integrum, bonum regem, parentem pietissimum indulgentissimumque patrem, moderatorem denique avaritie et iniquitatis expertem contulit ve-

stris suffragiis approbatum, date, quesumus, operam, ut edicta servetis, faciatis imperata et ubique grata nobis prestetis obsequia; utrinque illud semper enitemur, ut quotidianis sic utrinque certemus officiis, ut finitimi omnes difficulter intelligant, ane vos meliorem principem, an meliores nos populos invenerimus. Quod autem de prestandis interiecto iureiurando promissis exposcitis, sic omnes habete: Cum nihil maiestatem regiam magis ledere videatur, quam rata pro irritis et promissa pro vanis habere neque constare verbis neque fidei habere rationem, deos omnes hominesque testamur et hoc sacrosancte crucis nūmen, in qua servator humani generis ultro pependit, supplices invocamus iuramusque nos inito divinis auspiciis et beneficio vestro nuperrime regno, quecunque in Ungarie finibus pacta iam acceperimus, eadem omnia cum ceteris condicionibus diplomate nostro confirmatis integra semper et inviolata servaturos nihilque molituros, quam ut integerrimum indulgentissimumque principem decet: de republica bene mereri ac nihil denique ipsa tyrannide magis esse abominaturos.

Cum ista dixisset, iureirando deosculata cruce promissa omnia confirmavit; ingens undique plausus attollitur.

Cum in habitu regie maiestatis et coronatus in pallio divi Stephani esset, mirabile de se spectaculum exhibuit. Dum sacris insignibus initiabatur, nunquam se lacrimis abstinere potuit. Soluta contione reversus haud procul in suburbii tumulum accepto stricto gladio, quem Paulus preferebat, ad solis exortum et occasum, item ad meridiem et septentrionem pro defensando regno ter eo vibrato bellum ex more interminatur Romanam quoque consuetudinem imitatus, cum a columna campi Martii in partem futuri belli consul hastam iacere consuevisset. Relatus in aulam cum eodem habitu in medio suorum principum coronatus accubuit et cum ea maiestate presedit, ut verum omni ex parte regem ageret. Respirabant omnes, quin in eum oculos plane converterant et maximam quanque spem de rege concipiebant, cum viri gravitatem intuerentur, quin et multi, qui ante nutarant, confirmari ocepere. Nec id quidem ausim infitari affuisse nonnullos eosque perpaucos, qui potius explorandi gratia, quam officii advenere; inter multos quoque diu simulatum et dissimulatum fuisse. Multi eo die equestris ordinis dignitate donati.

Posteaquam verum legitimumque regem Ungari statuere, cum undique bella imminerent, de sortiendis provinciis agceptum est. Quare die noctuque senatus habebatur. Legatus apostolicus, qui celebrationi huic affuerat, et orator Ferdinandi regis in Italiam subinde dimissi. Ioannes Vespriniensis episcopus cum se hostibus Alemanis finitimum esse diceret rebusque suis admodum timeret, primus ex episcopis a rege missionem accepit; ceteri dies circiter octo apud eum Albe remansere, donec gravioribus bene rebus prospiceretur. Aulica munera ita partiri placuit: Stephanus Bathor magistratum curie, Syrmiensis antistes preturam

regiam et loco regie maiestatis dicendi iuris potestatem, Petrus Gerebus regalis aule prefecturam, palatini filius stabuli curam, Losontius vexilliferatum, Zagabriensis deinde pontifex, cum se sponte Urbanus antiquo munere abdicasset, questuram assecutus est. Provincias imminuentibus undique bellis hoc modo sortiti: 135 rex cum Ioanne Corvino Laurentioque duce adversus Maximilianum et Alemanos imperator designatur, Stephano ulterior Ungaria adversus Polonos parum ab Alberto pace servata, Paulo in Turcos expeditio obtigit, qui Dalmatiam quotidie incursabant. Thomas Iauriensis episcopus, cum prudentia et arte polleret nullisque laboribus et vigiliis defatigari posset, quare Matthie regi tantopere paulo ante placuerat, supremus a Wladislao secretarius declaratus est. 136

Ioannes Varadiensis episcopus, qui una cum Urbano apud 135 Mathiam semper obtinuerat principatum, coronato e sententia sua rege, cum se patrie et humane glorie satisfacisse putasset, preter omnium opinionem omissa mortalium rerum cura ad divi Francisci collegia invito rege confugit. Facinus de se preclarissimum edidit 136 per omnia tempora commemorandum, quandoquidem de activa contemplativaque vita iuxta triumphare studuit; se omnibus honoribus perfunctum esse senserat, quibus noster animus humanarum rerum cupiditate solet irretiri. Quasunque legationes maximas 137 obierat, tam honorifice gessit, uti ceteros sui temporis oratores apparatu, prudentia, liberalitate ac eloquentia superaret. Honestissima semper et perquam culta familiarium multitudine delectatus est; tantum sibi ex divi Mathie beneficentia divitiarum oppidorumque compararat, ut ad centum aureorum milia preter villas et oppida possideret. Unus tantum e sorore nepos supererat et 138 tante quidem indolis, ut nec avunculo nec pari dominatu videretur indignus. In salutarem igitur incidit respicientiam:

En stultam mortalium sapientiam, en irritos hominum labores, en perquam vanum subtilissimumque finem. 140 Quid ex his tandem sperare licebat preter maximum pontificatum? altius enim evehi non poteram. Quid demum consecuti sumus preter catenatos labores perpetuamque procellam et eternam spiritus afflictionem? Valeant hec omnia, que me mei ipsius immemorem effecere, que me terrestribus infodere miseriis, que ad divini numinis vultum nunquam suspicere permisere. Humanis ipse rebus ultro renuncio, me ab omni misera vindico condicione et divini numinis dexteritate iter illud inibo, quo me, ni fallor, ab omni mortalitate iam asseram. Cuncta recensui voluptatum agmina, ambitionis omnia munera pregustavi, formidolosa divitiarum fomenta possedi, clientium salutationes, anteaambulorum turbas, familiarium multitudinem non ignoravi neque popularis aura nec gratia principum nec plausus populorum nec congratulationes amicorum nec cultus assiduus domi forisque servatus mihi defuit. Quid 144 tandem solide utilitatis ex his legere licuit? nempe nihil preter mentis detrimentum, defectum interitumve animi et assiduam

spiritus afflictionem. Cedamus igitur terrestri patria et momentaneis his rebus ultro renunciemus, ne, dum mortalium amore rapimur, mortem quoque perpetuam nobis comparemus. Sat lusum et insanitum est, sat in ridiculoso errore versatum, sat corpori denique sit indultum; nunc anime, nunc immortalitatis habenda ratio, ne animantium more vivere videamur. Postquam in hoc assiduo bello mortalium nemo fere tuto vivere potest, nisi ad munitissimas arces effugiat, editiora loca petamus et ex humili genere nati vitam queramus illustriorem. Nec ab re quidem nobis factum erit, si Christum optimum maximum servatorem nostrum imitati, quanto huic vano seculo clariore viximus, tanto delitescemus obscurius, uti cumulas vane hic nostre glorie penas exolvamus; et discat exemplo quisque nostro non in rebus momentaneis et fluxis, sed stabilibus et eternis spem solidam esse collocandam. Ex humilibus exorti parentibus in pristinam humilitatem, quod reliquum est vite, redigamus, ne, cum hac etate plus sapere debeamus, in obstinata vite miseria et cecitate persistendo gravius desipere videamur. Proinde nos a quotidianis naufragiis et fortune potestate tandem asseramus, servatoris nostri humilitatem imitemur et crucem subeamus, ut, dum fragilem hanc vitam contempserimus, perpetuam nobis comparemus. Si, quot labores in servitio mortali principum toleravimus, tot in divino officio pertulissemus, iam vere beati possemus existimari. Quare vanitati omnino cedamus et salubre dei queramus obsequium.

Hac mente percitus haud aliter, atque si celesti numine foret admonitus, imprimis omnibus se sacris exuit prefecturis, se pontificata Varadiensi sponte abdicavit ad meliorem vitam emigraturus; ne amicorum quidem et familiarium orationem omisit, ut ingentiam usquequaque charitatem retineret. Cum regem nactus esset indulgentissimum et ob superiora merita sibi deditissimum, Valentino Pannonio, cui Lupo cognomen erat, episcopatum renunciavit et, ut continuo potiretur, cum autoritate regia facile impetravit. Preposituram Budensem in suburbano sitam Osvaldo episcopo Zagabriensi amicoque vetustissimo Nicolao pontifici olim suo primariam in Varadino preposituram. Alia aliis pro dignitate distribuit. Albe ab amicis dudum digressurus cuncta, que apud ipsum erant, his prodegit. Quin et gemmatos annulos, quotquot gestabat, preter pontificium in eos partitus est; ob signatorio Dominicum Albensem antistitem ultro donavit. Ioannes igitur difficulter a Wladislao rege aulice militie vacatione donatus Olmucium in Moraviam se recepit, uti, priusquam divi Francisci sacris initiaretur, rite cuncta disponeret. Familiares partim inter servitia regis, partim inter Valentini sui successoris familiam insinuavit, quem diutina experientia ita dilexit, uti filii loco semper haberet. Antequam religionis illius sumeret habitum, illic annum exegit. Interea edem Olmucii mira celeritate exedificatam et Pantheon appellatam cunctis numinibus ex voto dicavit magnificeque donavit; sacras vestes auro gemmisque onustas et multa vasorum

genera non Varadiensi solum Budensique basilice, verum et aliis mira liberalitate distribuit. Nepoti adhuc infanti e sorore villas et oppida cuncta sua virtute parta legavit. Aureum circiter quinquagies mille in sacros usus erogavit. Mox exacto anno implorata publice venia, tanquam si humanis excederet, complorante populo et collacrimantibus amicis, accitis e Silesia divi Francisci sacerdotibus sacrosanctum sumpsit habitum et ab illis exceptus conscenso curru Vratislaviam evectus est ibique in sacro Francisci collegio die noctuque in divino cultu versatur. Tantum Ungaris Bohemisque sui desiderium hac insigni emigratione reliquit, ut pientissimo quisque parente ac patrono officiosissimo se orbatum reputaret.

ANTONIUS DE BONFINIS RERUM UNGARICARUM DECADES

DECAS V.

PREFATIO.

Divo Wladislao serenissimo Ungarie Bohemieque regi.

Pervenimus tandem, princeps serenissime, ad faustissima tempora tua tanquam ad novissimum finem calcemque laborum, ubi opus nunc esset ilia ducere nec in labore succumbere nec ingenii deficere viribus. . .

Mirifice igitur cruciatur Antonius, quod est apoplexia correptus et quod omnes sui sensus et ingenii vires elanguent servitiique tempora pereunt et hoc virtutum tuarum spectaculo frui non potest.

LIBER I.

Vixdum Wladislaus rex Albe coronatus Budam se cum universo pontificum procerumque comitatu receperat, cum varii ex omni regni parte tumultus et graves bellorum metus emergunt. Nam et Iacobus Sekellius defectione ad Maximilianum inita ad lacum Balatonem oppidulum occupasse ac in Vesprinjensi agro res novas moliri nunciabatur et crebre quotidie Turcorum incursiones in provinciam ac populationes afferebantur; quin etiam Polonorum Germanorumque exercitus regni finibus imminentes maiorem in dies metum iniiciebant, cum Albertus regis frater pace ea, cuius sibi condiciones non essent servate, haud standum existimaret et Maximilianus a suis impulsus Wladislaum ad illud regnum rite evocatum iniquissimo animo ferret, cuius ipse incredibili cupiditate flagrasset. Accedebat preterea non levissimi momenti res, quod Beatrix, que Mathie regis fuerat uxor, Wladislai matrimonium prope impatienti animo appetebat, ut in pristina dignitate maneret; que si mulier despiceretur, haud cuique dubium erat, quin, quorum se partibus adiunxisset, eisdem regnum etiam opibus et copiis suis conciliatura esset. Quin etiam Ioannis Corvini adolescentia timorem non mediocrem faciebat, quem Maximilianus per Iacobum Sekellium quotidie premiis et pollicitationibus ad defectionem sollicitabat. Cuius rei legati quoque assidue missi suspicionem augebant.

Igitur rex his tantis subito difficultatibus obiectis omnibus mature, quoad possit, sibi occurrendum ratus Sigismundum Quinqueecclesiarum antistitem, qui secum Budam accesserat, quod eum multum apud Corvinum valere auctoritate intelligebat, Tatam ad retinendum in officio adolescentem e vestigio mittit; regine vero nuptias in dies acrius flagitanti, easque nisi assequatur, exitium prope regno Hungarie minitanti, quod tandem responsum det, etiam atque etiam consultandum cum patribus putat. Cum autem de ea re consilium agitaretur, nemo reperiebatur proter paucos, quos pecuniis et prefecturis ipsa sibi devinxerat, cui coniugium eiusmodi probaretur. Regem mulieris imprimis etas ac nota sterilitas deterrebat, patres, quod timendum putabant, ne peregrinis gentibus regnum communicatum brevi ad nominis interitum perveniret; Bohemi preter cetera decretum etiam publicum proferebant, quo cautum erat, ne cui Bohemie regi viduam ducere liceret. Quia vero, si postulantis regine condicio aperte respueretur, nemini dubitandum videbatur, quin statim bellum illa esset maximum tum suis, tum aliorum opibus conflatura, haudquaquam sponsalium spe deiciendam eam existimabant, quoad regnum esset abs tot imminentium bellorum fervoribus exolutum.

Rex autem instante vehementius in dies muliere atque procerum, quos poterat, animos muneribus et pecuniis corruptente veritus, ne, si consilium patrum secutus falsis reginam promissis tenuisset, parum sincera fide rexisse tandem videretur, IIII. Nonas Octobris patribus procerumque principibus secreto accitis ita omnes est allocutus:

Cum me regem declaratum Ungarorum nonnulli hortati essent, ut Beatricem Aragoniam mihi desponderem uxorem, eorum haudquaquam, ut vere dicam, ab initio consilium improbavi, sic enim fore videbam, ut ducentis aureorum milibus ab ea nomine dotis acceptis et trecentis milibus, que ex dote et sortis ei iure debentur, quemadmodum ipsa pollicebatur, regno remissis non Bohemico solum exercitui, cui Mathias rex multa stipendia debebat, satisfacere, sed Polonis etiam et Germanis, qui regnum prope ex composito invaserunt, facilius possem occurrere. Post autem, cum eadem nullis talibus promissis expletis meum etiam adhuc matrimonium affectaret meque, si suam condicionem abnuerem, bello persecuturam atque ad hostes nostros accessuram eisque Zolium, Dyosgyurum ac Strigonium tradituram se ostenderet neque externos iam solum principes amicos ac necessarios suos ad belli societatem alliceret, sed, qui mihi studerent meque ab eo matrimonio deterrent, hostium prope omnes numero duceret, fateor me cum tanta rei indignitate, tum multo magis perspecta mulieris sterilitate commotum a pristina omnino sententia destitisse et, si quam spem nuptiarum obieci, me id ipsum communis salutis causa vel auctoribus vobis egisse, cum dimissis omnibus Bohemicis copiis nullo alio modo infesta regine arma mihi ac regno meo imminetia pro-

pulsare commodius possem. Nunc vero, cum vos in eadem per- 14
stare sententia videam, ut, quo facilius mulieris potentissime in-
sidie declinentur, eius sponsalia simulentur atque ars arte quodam-
modo deludatur, faciam quod vobis placere sentio. Si illud 15
autem apud vos testatum relinquo me non tam iudicio meo, quam
auctoritate vestra ad hanc consilii rationem accedere, id, quod
vobis predictum volo, ne quis me fortassis contra dignitatem regi-
am ut perfidiosum aliquando insimulare aut huius me consilii, si
quid propterea durius accidisset, auctorem reprehendere iuste
cessit.

Cum omnes assensi essent, haud ita multo post instante mu- 16
liere sponsalia in hec verba paucis adhibitis testibus paciscitur, ut
diceret spondere se reginam ex antistitum procerumque voluntate
ducturum. Post autem, cum ad tutandum regnum propediem 17
egressurus crebris ab ea quotidie nunciis vocaretur, instantium
bellorum molem causatus egre tandem ad eam ita accessit, ut nul-
lum tamen ei sponsi signum ediderit, non risum, non iocum; non
oscula, non blanditias ulla attulerit, sed quasi alienus cum aliena
presentibus semper arbitris locutus ab eadem aliquando blandiente
tristi ipse severoque vultu discesserit.

Sigismundus, cum confirmato Corvino reversus optimates 18
de novis se absente vectigalibus decrevisse eosque mirifice inter
se dissidere animis comperisset, impendentem calamitatem per-
spiciens domum regressus prorsus se a publicis negotiis omnibus
avocavit. Nondum mensis Octobris erat exactus, cum nove de- 19
fectiones et incendia ex omnibus regni partibus audiuntur, Sem-
pernium Austrie finitimum interpositis condicionibus nonnullis
Cesari deditioem fecisse, Sabariam a Germanis diligentius ob-
sessam propediem in manus hostium esse venturam, lauriensibus
obsidionis periculum imminere, quos preter arcem nec murus nec
fossa ulla protegeret; Albertum cum exercitu Polonorum contra 20
federa Cassoviam obsidere, quadringentos Beatricis equites ex-
peditos Blasii Magiar, qui aperte ad Albertum defecerat, arte
partim cesos, partim captos fuisse; ad hec Turcos Modrusiam
usque quotidie per Croatiam excursare et magna populis detri-
menta inferre. Nec multo post Sabaria capta et arx Neapolitana 21
subsidio destituta, cum urbs antea rebellasset, Maximiliano se
tradidisse nunciatur. Interea Albertus Maximiliano adiunctus ob- 22
sidione Cassovie non contentus, quod oppidum munitissimum
facile rei frumentarie difficultate sperabat se in potestatem posse
redigere, cum ulteriorem Ungariam fluctuante ubique regno ad-
oriri statuisset, provinciam longe lateque depopulatur et ad
Varadinum et Agriam usque excurrans urbem nullis menibus aut
fossis vallatam magna ex parte succendit; inde ab arce repulsus
agros vastat, pecora abigit, vicos incendit agrestesque imperium
detrectantes captivos abducit. Castrum autem Ferreum a septin- 23
gentis militibus Suevis imperante Cesare parum prospero conatu
est obsessum, nam presidium repentina eruptione facta, qui ob-

sistere conati sunt, alios concidit, alios vulneribus affecit, reliqui sese fuge mandarunt.

Principio inde Novembris mensis Ioannes Vitesius Vesprinii antistes regem senatumque misso prope nuncio certum facit sese assidue a Maximiliano ad defectionem sollicitari, idque ni faciat, bello atque ipsius urbis excidio perterreri; orare eos, ut celeriter tumultuarium ad se mittant exercitum, cuius auxilio datam semel regi fidem usque ad extremum tueri possit. Responsum a 25 rege patribusque datur, ut ipse oppidum pro tempore omnium necessariorum rerum apparatu communiat, ne prima occupari impressione hostium possit, subsidium sese idoneum in tempore summissuros. Preterea iubetur bono animo esse presentiumque 26 temporum rationem habere, quibus tam multis undique ingruentibus bellis et erarium exhaustum et principum distractos in diversas partes animos animadvertere possit. Rex inde suadentibus patribus et re ipsa cogente prorogatis Beatricis nuptiis (quod sibi tum non de sponsalibus celebrandis, sed de propria salute defendenda cogitandum esse mulieri responderet) paucis post diebus cum Urbano Agriensi, Thoma secretario Iauriensi et Stephano Batoreo et proceribus regulisque nonnullis se Posonium confert, ut inde inauctorato nigrorum veteranorum exercitu in Austrie fines incurrat, dumque ipse ei rei cum ceteris optimatibus studet, Urbanum, cui ex paternis amicis uni ob exploratam fidem optima- que consilia Corvinus se ut alteri parenti dicarat ac Tatam Comaromiumque commiserat, Comaromium ad nutantem adolescentis animum confirmandum dimittit.

Vespriniensis antistes, uti auxilium differri et erarii angustias iactari audivit, de sua magis, quam de publica salute sollicitus varia secum agitare animo consilia cepit. Accedebant ad incitandum hominis animum insignes etiam quedam iniurie, quod et raro in consilium a patribus adhibebatur et a vicino quodam regulo parum humaniter tractabatur. Eo magis Cesar in suis 30 instare ac nunc litteris, modo nunciis hominem, ut fortunis suis consulat, admonere Wladislaum non Romanum modo imperium, sed suos et ipsius prope omnes habere infestos, magnum iam optimatum numerum ad suas partes transisse neque eum primum defectionis initurum consilium dicere. Pollicetur inde pontificatum 31 Viennensem aliaque multa munera se daturum, si defecerit; sin minus, extremum contra comminatur exitium. Hec cum ei mandata Iacobus Sekellius attulisset ac diploma incolumitatis Cesaris fide interposita reddidisset, persuadet, ut secum in castra concedat. Quo ubi venit, liberalissime a cunctis est exceptus 32 pactusque, ut in quacunque fortuna periculum sibi a duobus pontificatibus prestaretur, Maximiliano Vesprinium tradit. Maximilianus 33 presidio in oppido imposito castrisque in agris locatis Ladislaum Canisaium in Simigiensem agrum cum expeditis equitibus paucisque peditibus mittit, ut pagos oppidaque eius omnia ad deditionem impelleret sub imperiumque redigeret; quo cum ve-

nisset, resistentes ac mandata facere recusantes spoliavit, obedi-
entes nullo detrimento affectos commeatum tantum deferre in
castra iussit. Hinc cum se ad Maximilianum contulisset, fratrem
tamen Wladislao reliquerat eo consilio, uti, cum Austrie essent
finitimi, in utram se partem victoria inclinasset, in tuto res suas
haberent atque alter alterius fortuna se tueretur.

Vesprinii defectione et Germanorum adventu audito non ³⁵
minimum regis patrumque animi perculsi sunt; movebat autem
eos imprimis Regalis Albe propinquitas, que si in manus hostium
pervenisset, nihil aliud ad expugnandum regnum, quam Buda
oppidum haudquaquam munitum supereset. Itaque nullam sibi
muniende Albe moram interponendam rati eius rei causa Step-
hanum Bathoreum et Paulum Kinisium cum exercitu mittunt.
Quo cum illi accessissent, egre a civibus intra oppidum sunt
admissi, qui magnitudine pecuniarum deterriti, quas in munitione
omnis generis comparandis impendi intelligebant oportere (quippe
ob diurnam pacem omnium ibi rerum, que ad bellum usui erant,
summa esset difficultas), munitionem eam attingendam esse nega-
bant, cum dicerent modo urbem loci natura satis munitam esse,
quam ne Scytharum quidem exercitus, cum totam Ungariam per-
vasissent, expugnare potuissent, modo populi frequentia abunde
defensam, in quam se ex agris oppidisque vicinis plerique omnes
rebus his timentes contulissent. Quo factum est, ut quingentorum
quingenta quinque militum presidium egre receperint.

Maximilianus interea contractis undique copiis Albam versus
exercitum ducit, quod modico eam presidio teneri audierat; con-
festim, ne hostibus sibi consulendi tempus concedat, oppidum
ipsum adoriri constituit. Quibus de rebus rex certior factus vete- ⁴⁰
ranorum exercitum, quem militie sacramento devinxerat, ex-
templo Danubium transire iubet, ut hostibus ad Albam occurreret,
qui ad octo milia esse ferebantur; ipse coacto Ungarorum exercitu
mox subsequi instituit, ut unico, si fieri posset, de regno prelio
dimicaret. Exercitus, cum in Moravia post Mathie regis ex- ⁴¹
stativa habuisset ac in flumine traiciendo multum temporis con-
sumpsisset, ad tempus adesse non potuit, nam Maximilianus, cum
magnis eo pervenire itineribus maturasset, iam lacunam traiecerat
et in planitie, que est in conspectu urbis, castra posuerat. Step- ⁴²
hanus et Paulus menibus urbis diffisi, ut se ad meliora reipublice
tempora reservarent, ea egressi primo Tatam, inde Budam se
recipiunt. Maximilianus premissis exploratoribus, qui sibi certa ⁴³
de urbis munitionibus referant, suburbium incensum esse co-
gnoscit, ne ab ea parte urbs expugnari posset (hec enim intra
duas amplissimas paludes collocata duos tantum aditus habet,
unum, qui ad Budam, alterum, qui ad Balatonem lacum spectat,
ceterum aque limique impedimento adiri haudquaquam potest);
preterea in muris nec saxa nec pluteos nec insidiosa ulla
tormentorum loca neque omnino ullum urbis propugnatorem
conspici; oppidanos ipsos cum rei militaris ignaros, tum mirum
in modum desidie deditos exiguo urbem presidio commisisse.

Quibus de rebus ad oppidum subito adoriendum accensus 4.1
 Suevis peditibus expugnandam sibi urbem prede pactione suscipi-
 entibus summam eius rei potestatem permittit. Suevi hastatis et 4.5
 gravis armature premissis militibus et machinariis post se sub-
 sequi iussis, cum in suburbium pervenissent, cum parva presidii
 manu temere ex oppido obviam egressi prelium commiserunt,
 quos ex equis infesta hasta se acrius inferentes cum presidium
 fraxinea lancea pedes circiter viginti longa comminus manum con-
 serere aliquandiu prohibuisset et precedentem phalangem pro-
 texisset, tandem machinariis omnia fumo et strepitu involventibus
 consternatum in urbem se recipere est compulsus Suevis adeo
 cupide insequentibus, ut nonnulli cum iis mixti intra portam urbis
 irruerint. Cuius prelii eventu in spem potiunde urbis omnes 4.6
 erecti validissimo dimisso propugnaculo, quod ante urbis aditum
 fuerat excitatum, ad menia quanquam lata fossa et aqua usque
 ad pectora alta munita repente convolant et, cum sagittarii
 machinariique pro fossa stantes consistere in muris defendendi
 causa non permetterent, hastati fossa limoso vado traiecta lanceas
 pro scalis menibus admovent iisque innixi celeriter in muros
 ascendunt. Oppidanos et spectata suorum turpi in urbem fuga 4.7
 iam antea avaritie ignavieque sue ceperat penitere et post con-
 specto repente in muro hoste desperata salute certaminis ac
 defensionis omne consilium abiecerunt; trecenti tantum ex iis
 equites, qui in presidio urbis erant, forum versus se cum paucis
 civibus eo animo conferunt, ut, si facultas pugne detur, ne tantam
 hosti victoriam concedant. Porta ab iis, qui proxima menia occu- 4.8
 parant, refracta cataphracti statim intromissi in via lata, que fert
 in forum, acerrimum cum oppidanis et presidio prelium inierunt
 adeoque obstinatis animis pugnarunt, ut ex presidio omnes non
 sine maximo mulierum puerorumque plorantium strepitu, qualis
 edi in captis urbibus solet, ceciderint. Inde in forum venientes, 4.9
 in quecunque incidunt, ferro seviunt, in foro autem sacerdotes
 quosdam pro templo dive genitricis acriter dimicantes crudelis-
 sime trucidant. Inde ad diripiendam conversi urbem, ut stipen- 5.0
 diorum superiorum, detrimenta sarcirent, civibus omnibus una cum
 uxoribus et liberis captivis factis non solum in bona fortunasque
 eorum invadunt, sed ne matronarum quidem ac virginum pudicitie
 parcunt. Fuerunt etiam, qui in dive genitricis edem et in sanc- 5.1
 torum sacella regum irruerunt, quorum quidem cum tres, ut
 aiunt, supra divi Mathie sepulchrum obtruncassent, lanceis tabi-
 dum etiam cadaver eius revellere sunt conati. Alii sacrarii postes 5.2
 perfringendos aggressi, quod gemmatis reliquiis divorum sacrisque
 vestibis refertissimum esse audierant, Cesaris edicto renun-
 ciato, qui gravius in eos se animadversurum edixerat, qui aut
 sacris edibus manus attulissent aut inermem aliquem ferro lesis-
 sent, conatu destiterunt seque inde ad Dominicum urbis anti-
 stitem oppugnandum contulerunt, qui nonnullis civibus secum
 sumptis in altissimam basilice sue turrim adventante hoste con-

fugerat eoque universam templi suppellectilem, que pretiosissima erat, comportarat.

His rebus gestis Maximilianus postridie urbem ovans ingreditur innumera principum nobiliumque Germanorum turba stipatus ex Ungarorum Iacobo Sekelio, Nicolao Zecchio, Ladislao Kanisio aliisque nonnullis, qui Wladislaum regem reliquerant. Inter continentes militum plausus et faustas suorum acclamations ductus ea via est, in qua cum presidio et cum civibus dimicatum atrocissime demonstravimus, quod eo fuit consilio administratum, ut cadaveribus omnium adhuc, ubi quisque eorum ceciderat, iacentibus pretereunti se quisque Cesari commode posset ostentare, cum alii trecentos, alii plures sua se manu interfecisse iactarent. Quam stragem iniquissimis oculis Cesar dicitur aspexisse sive, quod putaret imperatorem Augustalia propediem ornamenta sumpturnum non crudelitate, sed mansuetudine imperii rudimenta ponere oportere, sive, quod vereretur, ne lahantes adhuc Ungarorum animos prorsus a se huius immanitate victorie avertissent, quorum esse ingenia sciret, ut lenitate facilius, quam inclementia flecterentur. Querentique ei, cur adeo crudeliter in Christianos et cognatos homines se gessissent, responsum datum est cesorum se pertinacia fuisse adactos, qui constanter usque ad extremum arma retinuisent. Inde omnibus cadaveribus sepulture mandari iussis in forum profectus inque basilicam ingrediens valde perturbatus est animo, cum sibi equus repente corrui, quo facto eorum expiatum scelus vulgo putarunt, qui sacrilegas deorum fanis manus intulerant.

Interea Dominicus antistes impetrata sibi suisque et suppellectili sacre incolumitate turri egreditur atque haud ita multo post, cum ditissimus esse predicaretur et qui regales divi Mathie thesauros perpetuo custodisset, fortunis omnibus evertitur atque basilice sue etiam renunciare compellitur. Milites vero prede intenti occultum locum nullum, quem non excusserint, reliquum fecerunt usque adeo, ut, cum edium etiam fundamenta passim effoderent, in vinaria cella quadam sub fornice nummorum aureorum sex et triginta milia nonnulli repererint. Cum autem locupletatis nobilissima preda militibus tribuni militum equitum invidia flagrantium obsequi voluntati et servire commodis cuperent, edixerunt, uti universa in forum preda comportaretur, quo equalis eius inter omnes partitio iniretur. Rebus igitur omnibus, que occultari non potuerunt, in publicum delatis distributio non pro meritis virtutis, sed pro gradibus honoris est instituta, quod ipsum Suevi imprimis, qui urbis expugnationem huius pactione prede sibi depoposcerant, adeo egre tulerunt, ut se posthac neque dicto audientes futuros esse professi sint. Post diem octavum Cesar, ut pristinum civitatis statum, quoquomodo posset, reduceret, edictum proposuit, ut civium quisque suas domos repeteret et urbem revocatis civibus institutisque frequentaret; daturum se operam, ut in posterum suam in se neque clementiam

neque equitatem desiderarent. Id quod pauperrimus pro se quisque studiose fecit, nam, qui rem haberent, pecunie, quam multabatur, magnitudine se in libertatem vindicare nemo potuit. Hunc in modum Alba XIII. Kal. Octob. est capta salutis anno 63 MCCCCXC. sexagesimo fere die, postquam in ea donatus corona 64 incredibili cum omni gratulatione rex fuerat. Quare adeo permoti 64 Ungari sunt, ut huius unius urbis iactura omnem suam ex preclaris ante partis victoriis belli gloriam ad nihilum recidisse existimarent. Quamvis id non tam hostium virtuti, quam pravis factionum suarum studiis omnes tribuerent, quod Germani sine Ungarorum ductu nunquam regni fines intrare ausuri fuissent, neque preterea deessent, qui propterea neglectam esse Albam interpretarentur, ut Wladislao sarciendorum damnorum, que tam multis ereptis oppidis Maximiliano illata erant, et reddende ei Austrie necessitas augetur.

Capta Alba statim Cesar ad Budam oppugnandam animum 66 cogitationemque omnem intendit, quam si subito aggressus esset nullo tum presidio et munitione firmatam et vicine imprimis urbis calamitate perterritam, haud cuiquam dubitandum videbatur, quin in potestatem et imperium nullo negotio redacturus fuisset. Verum, quo minus id faceret, moram militum seditio attulit, qui ipsum exercitum eo adducentem sequi noluerunt. Itaque, dum 67 Albe seditione sedanda et rebus componendis tempus terit, 67 Bathoreus et Kinisius ad eam muniendam a rege missi universa ex finitimis pagis in urbem rustica turba compulsa et vino, frumento, armentis ceterisque eius generis omnibus comportatis et menibus per cives dies noctesque egregie laborantes reparatis et vallo fossaque firmatis in eum locum rem adduxerant, ut se Cesaris victoris impetum per se sustinere posse non diffiderent, nedum si se rex adiunxisset, qui in dies cum ornatissimo exercitu Bohemorum a Pisonio affore dicebatur.

Hoc tanto militum incommodo obiecto et preterea difficultate 68 pecuniarum incredibili cum se circumventum Cesar animadverteret, ad Sigismundum Quinqueecclesiensem episcopum, quem hominem esse ditissimum ea tempestate noverat, litteras mittit rogatque, ut suis se partibus adiungere ac duo et triginta milia nummum aureum sibi commodare velit, quibus seditioso reconciliato milite clarissimam persequi victoriam queat. Pro 69 tanto beneficio Saltzburgensem episcopatum et multas civitates pollicetur et, ut promissis fides sit, Germanorum principum obsequientia atque ingenii dexteritate admirabili preditus officii ac dignitatis sue non immemor brevi respondet datam semel Wladislao fidem fallere nefas esse existimare neque id a bono viro aliquo committendum esse censere; pecunie, quam det, copiam nullam sibi suppetere et, si qua adsit, eam in tanta rerum omnium perturbatione pro sua et suorum salute tuenda, si quid durius contigisset, conservandam iudicare; se, quando inter duos

clarissimos reges tanta exarserit de potestate contentio, daturum operam, ut in privato sit ac neutrius fortunam suis aut studiis aut copiis subleuet.

Hoc ubi Maximilianus accepit, quanquam ea re precipue 71
angebatur, quod cupidissimos prede milites egre continere a
populationibus posset et preterea relicto Albe presidio ex iis
locis castra movisset, antistitis tamen prudens responsum homi-
nisque prope priscam integritatem laudavit haud parvam se rem
assecutum arbitratus, si presulem potentissimum a Wladislai par-
tibus avertisset, qui, si opes ad eum suas contulisset, satis
apparebat maximum secum ad victoriam momentum esse allatu-
rum. Post autem, cum Wladislaum iam Danubium exercitum 72
traduxisse ac Budam adventare eamque urbem omni bellico
apparatu instructam per se satis vel gravissimi belli sustinere
vim posse accepit, magna spe eiectus se in Vespriniensem agrum
recepit ibique Pauli castellum, quod opulentissimum esse fama
erat, cohorte una immissa paucis diebus ad deditionem com-
pulsit. Inde motis Viennam versus castris Suevorum militum, 73
qui imperata facere recusarant, sibi castigandam contumaciam
ratus ex prefectis alios in itinere suspendit, aliis post Vienne
caput detruncavit; ex militibus vero nonnullis turpissimo mortis 74
genere, ut ceteris documento essent, affectis, quibusdam cum
ignominia dimissis reliqui exercitus partem in Illyricum ultra
Dravum, partem in Simigiensem et Vespriniensem Albanumque
agrum in hiberna dimisit.

Wladislaus salute Beatrici dicta, quod per Strigoniensem 75
agrum iter habebat, Budam pervenit auditoque Maximiliani dis-
cessu, quamvis de recipienda per hiemem Alba cogitaret, Alberto
tamen fratri Cassoviam obsidenti finitimorumque populorum
agros devastanti prius sibi occurrendum existimavit. Valentinus 76
antistes Varadiensis, qui pontificio ante munere a rege ornatus,
ut grati hominis officium prestaret, Budam se cum instructo
equitatu contulerat ac suis copiis ad eam muniendam suppeditatis
egregie perterritos civium animos confirmaverat, adveniēti regi
obviam progressus cum ingentem vim pecunie commodavit, tum
vero eius lateri semper affixus nullum officii genus, quo aut
virtutem aut fidem suam declararet, reliquit. Cum rempublicam
in summum discrimen adductam tam multis undique hostibus ad
universum prope Ungarorum nomen delendum una coortis et
in medio iam prope regno versantibus videret, delectum maxima
cura habendum censet. Rex proceres pro virili singulos cum suis 78
copiis convenire ad certam diem iubet, ipse cum exercitu iam
sevientē hieme Cassoviam versus profectus ad Agriam substitit,
ut inde Cassoviensium animos confirmaret, quo et alii omnes
ad diem dictam diligentissime convenerunt, quos vel presentis
periculi magnitudo vel amisse modo per ignaviam Albe infamia
commovebat. Postremus omnium Corvinus accessit Comaronii 79
aliquantulum commoratus, dum legatos a Maximiliano ad se

tentandum; (sed frustra Urbano contranitante et de officio suo eum quotidie admonente) missos audit.

Vix Kinisius in inferiorem Ungariam, quam cum imperio obtinebat, ut regni fines contra Turcorum impetum tueretur, venerat, cum variorum incommodorum nuncii afferuntur duo Albe Grece propugnacula a Turcis esse capta; parum abfuisse, quin urbs in potestatem pervenerit; bani Illyrici animum titubare; Zagrabiam sese Germanorum fidei permisisse; duo Osvaldi episcopi castella per vim occupata; priorem Aurane cruciferorum et Khishorvatum cum plerisque aliis ad Maximilianum defectione facta provinciam populari et varia oppida bello tentare. In tantis malis illud bonum proponebatur, quod multos ob propriam utilitatem coactos fidem haudquaquam prestituros constabat, quam opinionem ipsius quoque rei eventus comprobavit, siquidem banus et comes Carolus acceptis a Maximiliano pecuniis tamen cum Berardino Frangepano fidem servarunt. Regi Cassoviam contententi Stephanus comes Sepusiensis cum firmissimo equitatu et peditum quattuor milibus et quingentis presto fuit. Quem ubi rex adventare audivit, quod ducem esse fortissimum et principem domi forisque clarissimum et imprimis regie maiestatis defensorem acerrimum sciret, obviam ei ad secundum lapidem prodiit ac maximum procul eius exercitum conspicatus fidemque simul et potentiam principis admiratus clara voce, *Salve*, inquit, comes optime, quem vere hodie unicum Ungarie presidium possumus appellare, quod in extremis periculis et reipublice et regi eam animi alacritatem officiumque prestiteris, quod si omnes, quos equum erat, adhibuissent, haud profecto in tantis angustiis versaremur. Hominem deinde gaudio prope confusum et equo, ut regiam de more maiestatem veneraretur, descendere conantem retinuit et data dextera familiariter amplexatus, ut idem deinceps reliqui optimates et prefecti facerent, provocavit eumque secum in castra reduxit. Inde propius urbem promotis castris, quod eam acius in dies premi audiebat exercitumque ita auctum videbat (erat enim XVI. milium numerus), ut iusto iam cum hostibus certamine confligere posset, de committendo prelio cogitare instituit. Cui Albertus, ut terrorem incuteret, subito occurrens castra ita vicina, ut facile inter se conspici possent, opposuit. Hic tum legatis ultro citroque de concilianda pace mittendis multi dies obstinatis utrinque animis frustra consumpti sunt, dum Poloni Albertum regem iure ad regnum evocatum contententes iusti belli impensas et regni civitates aliquot poscunt, Ungari vero hec omnia pernegantes pro vastatis direptisque contra ius fasque agris suis ingentem ab eis vicissim pecuniarum vim repetunt.

Per eos dies adeo seva hiemis tempestas imbrum, nivis, frigoris et ventorum continuatione oborta est, ut acriorem nullam unquam illis locis fuisse constaret, neque enim equi solum, iumenta et reliqua pecora, sed homines quoque multi vi frigoris obriguerunt, cum uno die coloni fere centum, qui lignatum pabulatumque

exierant, occubuerint, multi passim rigore extincti reperti sint, multi tepido iumentorum afflatu egre sibi salutem quesierint; quin etiam sepe accidit, ut pre nivium altitudine e castris curru equove nemo prodire potuerit. Adde, quod secunda noctis vigilia adeo vehemens spirare ventus cepit, ut tabernacula multa evulserit ac diripuerit et, homines equosque, parum abfuerit, quin asportarit, ignem vero, quem non frequentia nivis extinxerat, per aera repente abstulerit. Bathoreus quidem direpto tabernaculo egre a suis est conservatus; nam regem multitudo sagata valli in modum circumstans vix a tanta tempestatis contumelia vindicavit. Neque vero in Ungaria solum (quod quidam ad crudele fratrum inter se dissidium ominando trahebant), sed in tota etiam Europa eadem est feditas hiemis pergrassata.

In his angustiis nihil tamen Ungarorum exercitus ardentius perpetuo cupere, quam ut, quoniam pacem habere honestam non poterat, bellum gereret gloriosum, seque, quia iusta arma et pro regni salute tuenda sumpsisset iniuriamque potius defenderet, quam inferret, sine dubio deos propitios et duri certaminis socios habiturum pro explorato habere. Ita prelio hosti indicto omnes in posterum diem se ad pugnam comparare a rege iubentur. Ubi illuxit, cum exercitus ambo ad prelium instructi in magna planitie adversis frontibus constitissent, dux uterque suos ad virtutem retinendam hortatus est. Wladislaus quidem cataphracto insidens equo et aurata galea et stature proceritate corporisque pulchritudine longe ante alios conspicuus Ungaros in hunc allocutus est modum:

Nunquam nostre familie miserum adeo tristeque fatum esse credidissem, ut iisdem parentibus orti ad acerbam armorum inter se contentionem descenderent, nisi me ipsum ad hoc certamen adverse fortune vis adduxisset. Quanquam in summo dolore, quem ego ex hac calamitate capio, ea me res valde consolatur, quod ab eiusmodi me dimicatione semper refugisse neque nunc ad faciendam, verum ad propulsandam iniuriam arma cepisse nemo vestrum ignorat. Quam meam voluntatem quotidiane quoque ad fratrem legationes a me de concordia et compositione misse declarant, quibus eum, quantum potui, ut vestre voluntati et maioris fratris etati concederet, obtestatus eundem a tanto furore, ut me regem a vobis rite declaratum bello prosequeretur, avocare conatus sum, quas ille ita respuit, ut, quem defendere cum capitis sui periculo fraterne charitatis admonere sensus debuit, is me in extremum etiam dignitatis salutisque periculum adducere non dubitarit. Atque utinam res ita tulisset, ut ego unus hanc tantam subire dimicationem urbis vestrisque rebus in tuto collocatis possem; nulli profecto me certamini alacrius obtulissem. Sed me angit preter modum et excruciat eximius quidam amor vestri, quos eque, ac fratres filiosque, ut diligam, et vestra erga me immortalia beneficia et ipsum regie dignitatis nomen hortantur, cum tantum regnum in tantam contentionem mee tuende digni-

tatis causa adductum esse intelligo. Dignitatis meae, dixi? inmo vero finium vestrorum, quos ille villis incensis, pecoribus abactis, agris vastatis agrestibusque vexatis infestissimos reddidit, quae quidem omnia vos ea virtute ab extrema prohibere iniuria debetis, qua maiores vestri vobis quondam homines acerrimi atque omnium sine dubio fortissimi pepererunt pro explorato habentes deum in tam iusto certamine vobis, ut semper alias, affuturum ac nobiscum tantarum auctores iniuriarum esse ulturum. Equidem, 100 quod ad me attinet, preclare mecum actum iri existimaturus sum, si in hac ipse acie pro vestra proque regni huius amplitudine defendenda cecidero. Nunc vestrum est, ne mihi vel amoris vel virtutis magnitudine concessisse videamini, operam dare, quod nifeceritis, pro certo habetote Ungarici regni nomen extinctum in Polonorum Germanorumque dicionem subito concessurum, quod, per deum hominumque fidem, ne accidat, vos, queso, avite memores glorie prohibete.

Dum hec apud Ungaros Wladislaus loquitur, non minore 102 cum animi impetu apud Polonos Albertus agebat eos obtestans, ne se ducem suum possessione regni amplissimi spoliari et primo comitiorum die regem ab Ungaris declaratum a fratre per iniuriam paterentur excludi; venisse diem illam, qua, si pristinam virtutem adhibere vellent, simul et sua iura tueri et ipsorum servire utilitatibus possent; neque enim finem ullum apparere cupiditatis 103 eius, qui Bohemie, Moravie Silesieque regno non contentus adhuc ulteriorem et citeriorem Ungariam inhiaret, ut imperium ab Oceano usque ad Adriaticum mare perduceret, qui ita proprio principatui studeret, ut nihil de amantissimi fratris rationibus cogitaret, quas quidem se illorum presertim virtute fideque fretum aut victorem illo die defensurum aut ibi cum iis victum honestissimam mortem appetiturum.

His verbis militum animis utrinque accensis cum acies ad 104 prelium instructe signo pugne dato magno impetu procurrissent ac promotis ordinibus aeneae utrinque machine intonare cepissent, multe res inciderunt, quae Alberti aliquantum preferocem animum retardarint. Nam et Cassovienses, ubi eum castris egressum in acie stare a menibus prospexerunt, oppido sese prope eicientes presidio interfecto duodecim a Polonis extractas adversus se turre deturbarant aeneorumque tormentorum, cum subsidio recurrere ipsi in acie impediti non possent, potiti erant et Tartarum quandam, qui ante etiam equo progressus ad singulare certamen Ungarorum fortissimum quenque iactantius provocarat, Iakzith, qui ei sese pugne obtulerat, hasta equo deiectum gloriosissime interfecerat et post regium edictum, quo impunitatem omnibus ad sese tridui spatio redeuntibus proposuerat, ipse relictus a multis fuerat.

Quae omnia secum ipse animo versans de pacis cogitare 106 demum conditionibus cepit. Quamobrem epistolam subito ad regem in iaculo illigatam per puerum misit, quae ab eo colloquium po-

stulavit. Perfecta Wladislaus epistola letus, quod ad sanitatem 107
redire frater videretur, haudquaquam expeditum colloquium ab-
nuit. Ita subito inter duas acies tabernaculo constituto duces
ambo proceribus latera suis cuiusque tegentibus processerunt.
Alberto ex equo desilienti, ut fratrem pro regni dignitate venera- 108
retur, Wladislaus pari eum honore afficiens dexteram porrexit
statimque, Cur me hostili odio, Alberte, prosequeris? inquit.
Cui ille: Non te, domine, persequor, sed hos (Ungaros designans),
qui me ad regnum capessendum accersiverunt fidemque fefelle-
runt.

Hisque dictis tabernaculum ambo subierunt et de composi- 109
tione agere solo Varadiensi antistite, qui a regio latere nunquam
discedebat, utrunque propius observante ceperunt. Wladislaus de 110
fratris impietate et audacia queri, sed parentum institutum multo
acrius increpare, qui tam grave inter fratres bellum suscitatum
aluisset et cum Maximiliano adversus Ungaricum regnum sibi dei
voluntate et humano iure concessum conspirassent. Albertus 111
contra se purgare ac rerum omnium culpam in Ungaros detor-
quere, qui se non modo e Polonia evocassent, sed armis, commea-
tibus oppidisque oblatis se prius etiam suffragiis regem creas-
sent. Ita placatis mutua criminum purgatione amborum animis pax 112
composita est in has, ut vulgo ferebatur, condiciones (neque enim
pro certis in vulgus unquam emanarunt), ut ne quid iuris in Un-
garie regno Alberto esset, ut Wladislaus civitates Alberto quasdam
in Silesia et tria quotannis aureorum milia daret cum eo, ut, quotiens
opus esset, eius sibi uti opera liceret. Qua re animadversa Varadi- 113
ensis antistes subito utrunque amplexus ad mutua oscula invitavit
inquiens: Amate inter vos et fraternam pietatem colite, si vestram
et populorum vestrorum salutis curam habetis. Pacem in perpetuum
inite, si vestra regna eterna esse desideratis.

Dumque hæc manantibus pre voluptate lacrimis diceret, illi
inter se complexi osculum obtulerant. Albertus autem ad anti-
stitem conversus, Macte, inquit, Valentine, perge operam fidem-
que, quam cepisti, fratri et domino meo prestare teque, si hoc
feceris, gratiam a me non leviorẽ, quam ab illo relaturum ex-
istima. Prodeunte deinde a tabernaculo in amborum conspectum 115
exercituum rege, cum Albertus sinistrum eius latus tegeter levam-
que teneret, incredibilis quidam ab utraque parte plausus militum
pacem conclamantium sæpiusque hæc voces redintegrantium edi-
tus: Wladislao et Alberto feliciter, Casimiro et Elizabete felici- 116
ter, fratribus posterisque eorum feliciter; Christus optimus
maximus et diva genitrix ipsique patrii dñi sanctam fratrum con-
cordiam sanctumque fedus eorum in perpetuum tueantur.

Eodem inde modo exercituum amborum cohortes ac turme
per prefectos in gratiam redierunt atque Ungari Bohemique cum
Polonis se eterno tum federe coniunxerunt. Hec VIII. Kal.
Martias acta. Pace facta atque urbis obsidione soluta rex fratre 117
amplissimis donis affecto et legatis, qui ex federe oppida ei in

Silesia traderent, missis, quorum principem locum Ioannes Saïem-
burgus secretarius Bohemorum (magna tum apud regem propter
summam sapientie et fidei opinionem gratia et auctoritate) ob-
tinuit, in urbem ingressus est. Ibi civium fide et virtute, quam 119
tum in toleranda patienter obsidione, tum in munitionibus ho-
stium idoneo tempore disiciendis adhibuissent, pro contione lau-
data eosdem et libertate et quodam finitimo oppido menibus
propter perfidiam nudato et preterea equestri ordine aucta privi-
legiis multis donavit nullumque officium aut grati hominis aut
liberalissimi in omnes regis reliquum fecit. Albertus, cum se in 120
Ungarie Polonieque fines cum exercitu recepisset, Saros, Eperies
et Sibirium castella viginti milia passuum ultra Cassoviam posita,
donec promissa sibi prestarentur, in potestate retinuit.

Eodem tempore a Polonis Alberti et Bohemis Wladislai 121
militibus multa multis locis provincie detrimenta illata sunt. Tene-
bant turrim adhuc quandam adversus Cassovienses obsidione con-
structam duo milia Polonorum. Hi, cum per bellum populationibus 122
ac direptionibus agrorum assueti ne pacatis quidem rebus se con-
tinere possent, Cassoviensium perinde, atque hostium agros
pecoribus abigendis, frumentis vinisque absumendis ac sacris
etiam edibus violandis vexarunt Alberto interim se identidem,
dum hec ad eum deferrentur, purgante et militari hec licentia,
que difficile coerceri posset, se insciente et invito fieri asserente.
Bohemorum et veteranorum copie, quibus rex pacata ulteriore 123
Ungaria Budam se recipiens inter Vaciam et Agriam stativa con-
cesserat, nullis ad tempus stipendiis precedentibus pro libidine
cuncta rapere atque undecunque sibi victum querere instituerunt;
neque vero frumenta solum, pecora altiliaque diripere satis habu- 124
ere, sed colonos etiam e propriis laribus pellere et lectos, currus
ceteraque vel familiaris vel rustice rei instrumenta asportare tem-
plaque, quo agrestes homines res suas, ut essent tutiores, con-
vexerant, diripere et tormentis ac cruciatibus eos ad res abscon-
ditas ostendendas adigere ausi sunt. Eoque perniciosam eorum 125
licentia est provecta, ut cuidam sacerdoti sanctissimum Christi
corpus loculo argenteo inclusum ad moriturum hominem ferenti
nulla Christi habita ratione loculum e manibus eriperint; alii 126
vero virgines quasdam forte sponsam mariti domum deducentes,
cum in eas incidissent, vi allata stuprarint, ex quo factum est, ut
multis inedia diuturna quotidie morientibus, aliis vero vitam
duro asperoque victu sustinentibus gravis et feda pestilentia
consecuta sit.

Eadem hieme legati ab Hercule Ferrarie duce gratulandi 127
causa missi, cum Zagabriam pervenissent, interrupto a Germanis
itinere domum officio, cuius causa venerant, intermisso regressi
sunt. Despotes autem et Kyshorvatus in inferiore Pannonia ob 128
levitatem ingenii novis rebus cum vicinis studuerunt. Arx Hain- 129
burgi, cum oppidum ante a Germanis occupatum fuisset, facta a
prefecto deditio in Maximiliani potestatem pervenit, frumen-

tariene inopia rei coacto, an pecunie magnitudine adducto, parum constat. Presidium Ungarorum, quod Cornaburgo impositum erat, ut commeatu, qui in dies Danubio deveheretur, intercepto Vienne rerum omnium difficultatem afferret, a tribus milibus peditum obsessum quattuor proximis Bohemorum turmis accitis in hostes eruptionem fecit eosque non sine magna clade fudit fugavitque et castris exiit.

Maximilianus, cum post captam Albam Viennam se contu-¹³¹ lisset ac nulli rei gerende, pecuniis tantum (ut fama erat) conquirendis intentus studuisset, nunquam a patre impetrare potuit, ut ad belli suscepti reliquias reficiendas pecuniarum aliquid sibi daret. Ille enim satis se adeptum arbitratus, quod maxima ex¹³² parte Austriam recepisset, noluit filio ad id bellum sublevando eternum cum Ungaris bellum serere, quorum sensus moresque satis notos haberet. Itaque, cum Maximilianus ea spe destitutus¹³³ ad imperii sibi auxilium confugiendum putasset, concilio, quod Romanorum rex erat, frequentissimo in Vindelicis habito Germanos docuit ad imperii amplitudinem pertinere, ut longius fines producerentur et Ungaria a Bohemie rege occupata reciperetur, quam si ad se Germani traduxissent, haud profecto dubitandum esse, quin eorum potentia insuperabilis esset futura; hoc autem se nullo negotio confecturum, si sibi ad eam rem, quam petebat, pecuniam prebuissent. Responsum est a principibus nemini se¹³⁴ ad Christianos et maxime vicinos suos bello oppugnandos pecuniam suppeditaturos; Bohemie regem primarium esse imperii membrum; quid fingi iniquius posse, quam si regi optimo, septemviro electori et amico vicinoque officiosissimo arma nulla accepta iniuria inferantur. Quo ille responso et simul tumultibus Gallicis perturbatus animum ad res componendas adiecit. Itaque, priusquam in Galliam ad filium Burgundie ducem, qui ibi res novas occulte moliebatur, contenderet, pacem cum Wladislao conciliare constituit.

LIBER II.

Pacata ulteriore, ut omnes opinabantur, Ungaria restabat¹ alterum de citeriore liberanda certamen. Vesprimum multaque alia inter Savum et Dravum oppida occupata Albaque ipsa imprimis sollicitos dies noctesque animos regis et patrum habebat, quam per negligentiam suam captam Germanos tenere atque inde Budensium portis quotidie insolentius insultare equo animo ferre non poterant. Occurrebat autem, quod firmissimo presidio custodita vix sine magnis pecuniarum impensis et sine ingenti hominum cede posse recipi videbatur. Obstabat etiam summa discordia principum, que mala omnia superabat, simulque incredibilis quedam rei pecuniarie difficultas, qua fiebat, ne Bohemis satisfieri posset, qui sine stipendio se moveri ex hibernis passuri esse non videbantur. His de rebus Bude, quo se rex ea de causa³

contulerat, frequenti senatu, cum de presenti statu reipublice referretur, decretum est, ut Paulus Kinisius cum potestate regia in inferiorem Pannoniam proficisceretur atque omnes imperata facere detrectantes bello cogeret et, si commodo reipublice posset, exercitum inde primo quoque tempore ad Albam oppugnandam adduceret, pro imminentibus autem sustinendis bellis, ut vulgo pecunie conferrentur, et non modo portoria vectigaliaque, sed oppida etiam quedam regis oppignerarentur, et suis quisque merere sumptibus cogeretur.

Rex Bude, quoad hec omnia procuraret, morari coactus 4 inde Vicegradum se confert ac Bohemos milites stipendio septem et quadraginta milium nummum aureorum affectos continuo Danubium traicere et recta Albam contendere iubet, qui, cum transissent, per vicos pagosque dispersi, quod a pristina temperare licentia non poterant et regem opera sua vix carere posse intelligebant, ingentia agrestibus damna effusis populationibus intulere. Accedebat etiam vetus illud incommodum, quod Beatrix 5 acrius in dies instabat, ut, quando rex bello fratris gravissimo iam esset dei voluntate perfunctus, ad sponsalia tandem celebranda veniret. Quod ipsum si neglectum foret, ea omnes cura metusque incesserat, ne mulier desperatis rebus ad Maximilianum confugiens graviora multo bellorum incendia suscitareret. Quare auctoribus 6 patribus rex Strigonium profectus bono esse animo mulierem iubet eamque, donec reliqua pacaretur Ungaria, expectare, cum diceret bellicis se curis impeditum rei illo tempore uxorie commode inservire non posse, atque magnificis ab ea muneribus acceptis post triduum Budam regreditur, ut reliquas res, que ad bellum usui forent, expediret. Batoreus ex regis et senatus auctoritate dux belli declaratus ac primo quoque tempore impedimenta, currus tormentaque bellica premittere et Bohemorum exercitui, quod iam ad hostes accesserat, preesse et Albam obsidione cingere iussus Nonis Iun. Buda egressus ad Baannda exercitum rite lustravit ac postridie instructis agminibus Albam pervenit castraque ab ea parte, que ad Budam pertinet, locavit Kinisium ex inferiore Pannonia expectans, qui cum copiis suis ab altera parte urbem intercluderet, cum ceteras omnes vaste ac difficiles paludes obducerent.

Interea Ioannes Corvinus, qui superiore mense in Illyri- 8 cum regia ornatus auctoritate contenderat, ut quedam occupata ab hoste castella recuperaret, a principe Zagrabienese collegium, ubi basilica sita est, instar arcis editum et munitum, quod Germani tenebant, recipere conatus est. Qui locus, quoniam ad rem frumentariam omnem intercipiendam et magna afferenda detrimenta erat aptissimus, sexcentorum militum presidio tenebatur; accitoque provincie prefecto bano a suburbio collegium primo obsidet, deinde, quanquam vimineo septo fossaque accurate vallatum atque arduo obiecto colle munitum esset et ipse machinas bellicas nullas haberet, tamen oppugnare non dubitat, usque

adeo eum tum ineuntis etatis fervor, tum laudis cupiditas et rerum etiam suarum studium acuebat. Qui intus erant, ea spe nixi 10 resistebant fore, ut brevi a Iacobo Zekelio, qui in dies expectabatur, subsidio levarentur, qui cum expeditissimo equitatu haud multis post diebus accessit et prelio a Corvino acerrime ac fortissime dimicante fusus ac fugatus usque adeo adolescentis audaciam atque animum extulit, ut postridie agmine facto clivum superaverit et traiecta fossa septa partim securibus, partim igne expugnare contenderit. Hostes contra acriter omni arte obsistere, 11 saxa, tigilla ruderaque in Corvinianos devolvere eosque sulphureis tormentis propellere diu conati. Cum commissa comminus pugna multis acceptis vulneribus gravius urgerentur, veriti, ne nimia pugnandi audacia aditum sibi venie intercluderent, inter dimicandum deditionem fecere atque omnes relictis impedimentis dimissi incolumes abiere.

Kinisius autem, qui, ut supra demonstravimus, inferioris Un- 12 garie partibus cum imperio prefectus erat, ut ad obsidionem Albe, que maturabatur, adesse in tempore posset, celeriter discordes regulatorum quorundam animos inter se reconciliare conatus est acceptisque a Petro metropolita Colociensi equitibus circiter mille atque ab aliis pro cuiusque facultatibus secundo fortune eventu rem perfecit. Nam dux Laurentius, despotes et plerique 13 alii voluntati obtemperarunt. Cum autem Kishorvatus delectato imperio magno (ut res poscebat) apparatu obsideri esset ceptus, quarto ab inita obsidione die quadringenti cum Nicolao Hedervario oppido sese eiecerunt, quorum ducenti a Bohemis insequentibus capti in potestatem venerunt, reliqui a Trinka per biduum fugati se in finitima, que defecerant, oppida receperunt. Quibus rebus ex sententia administratis et nonnullis preterea villis oppidisque receptis ac lustrata pacataque provincia cum eius proceribus et exercitu haudquaquam contemnendo Kinisius 14 Quinqueecclesias est profectus. Eo veniendi causa fuit, ut Sigismundi antistitis animum exploraret, quem Maximiliani rebus studere suspicio hominum magna erat. Hic, cum se, ut supra diximus, ab omnibus publicis negotiis removisset et ad quietam vitam retulisset, tum in oppido d. Georgii erat, qui locus ad citeriorem ripam Dravi est natura et opere munitissimus, de sua suorumque salute cogitans. Positis autem in subiecta urbi planitie castris ipse 16 in urbem cum paucis quibusdam admissus facile cognovit et cives et antistitem in fide erga regem et officio pristino permanere et urbem arcemque non modo tormentis et copiis, sed commentibus etiam et bellicis operibus omnibus egregie munitas ab iis contra, quam opinabantur homines, ad regia commoda custodiri. Itaque antistite et civibus eximie collaudatis et operibus-ac munitio- 17 nibus approbatis inde confestim cum quinque milibus equitum Albam se retulit atque ex altera urbis parte consedit. Postridie, 18 cum ad regem venisset, qui et ipse triduo ante VIII. Kal. Iul. accesserat, in magno procerum conventu de rebus a se in inferiore

provincia gestis verba faciens, cum de singulorum principum fide atque officio dicere instituisset, eiusmodi Quinqueecclesiensi antistiti testimonium impertivit, ut dicere non dubitaret nullum se iudicare in toto regno aut prudentiorem aut integriorem aut fidiorem constantioremque illo principem reperiri; errare autem vehementer eos, qui de illius erga regem animo aut studio dubitarent; omnes regios duces in his rerum tempestatibus ac fluctibus aliquid sibi commissarum rerum amisisse, hunc solum sua prudentia ac diligentia res suas integras omnes ab hostium vi et insidiis defendisse oppidaque sua, quibus in muniendis custodiendisque studium suum omne posuerit. Quibus verbis, dici vix potest, quanta regem ceterosque omnes spe letitiaque perfuderit. Eodem ferme die Stephanus comes Sepusiensis, vir strenuus ac dux rei militaris peritissimus equitibus cataphractis circiter trecentis, expeditis vero ducentis, peditibus gravis armature sexcentis, levibus autem duobus (ut fama erat) milibus secum adductis ad Albam in castra regia venit, quem paucis post diebus Urbanus Agriensis antistes, qui propter infirmam valetudinem Bude remanserat, cum septingentis equitibus, alii etiam proceres (ut quisque maturime potuit) consecuti sunt.

Ita aucto ad quadraginta hominum milia exercitu urbs Batorei consilio, magno apparatu ex omni parte oppugnari est cepta. Fuit autem apparatus illius huiusmodi. Primum munitiones multas excitavit, inde, ut aeneis tormentis muros percutere tutus ipse ab hostilibus iniuriis posset, et ad portas castella duo construxit, ex quibus, per insidiosas fenestras missilibus minoribusque tormentis incautum hostem feriret; ea vero tum tigillis ac centonibus circumduxit, ne catapultis aut quavis alia machina lederentur, tum vallo etiam fossaque munivit, ne clandestina hostium eruptione aut caperentur aut incenderentur, deinde crebras, nisi a paludibus impediatur, circum urbem turres erexit easque militibus ita, ut castella, replevit, ut neminem in muris consistere defendendi causa permetteret, ex quo efficiebatur, ut urbem acrius et obsideret simul et oppugnaret. Qui autem intus erant, summo studio omnibus, quoad poterant, hostium consiliis occurrebant et, quam per diem murorum partem deturbassent, eam per noctem instaurabant ac reficiebant. Et, ne domorum tecta, que ligneis tegulis erant obducta, illato igne comburerentur, ea omnia detexerant portasque ipsas gravi materia ac muro validissimo obiecto munierant. Patefactis inde diuturna verberatione aliquot in locis muris ac militibus avide pugnandi potestatem poscentibus eos tamen continuit rex, quod prelio commisso acerrime atque pertinacissime utrinque dimicatuos milites videbat, illos, quod propter adhibitam crudelitatem salutem se impetrare ullam posse diffiderent, hos, ut acceptam iniuriam pari gravitate supplicii compensarent, et quod spem omnem rei componende facto prelio et gravioribus detrimentis illatis omnino precidi animadvertibat, cuius rectum consilium haud ita multo post rei eventus ipse de-

monstravit. Nam, cum hostes se urbem defendere posse diffisi 26
de ea reddenda cogitare et pace conficienda instituissent, a
Batoreo et Sepusiense ad eam rem colloquium postularunt.

Hoc statu cum res ad Albam essent, presidium, quod erat 27
in Vesprimiensi arce impositum, cum vicinum formidaret hostem,
de deditioe per internuncios cum rege agere cepit. Hi, cum 28
maxima pars Bohemi essent, gratuitam mensium aliquot militie
operam deferebant, si Bohemicè ascripti militie pari premio cum
ceteris afficerentur. Kinisius cum quibusdam suorum equitum 29
turmis profectus oppidulum, cui Vason nomen erat, a Germanis
occupatum in agro Vesprimiensi recepit pridie eius diei, qui
d. Ioannis Baptiste natalibus est dicatus. Sabaria per Thome 30
Iauriensis antistitis milites recuperata; ex Germanorum, qui in
arce fuerant, presidio octo et septuaginta captivi in castra regia
sunt perducti. Eodem etiam tempore, ut Ungarorum res secunde 31
cumularentur eorumque animi ad bene de republica sperandum
incitarentur, Casimirus regis pater, Polonie rex, legatos alios ad
Fridericum imperatorem et Maximilianum filium misit, qui eos
orarent, ne Ungarie bellum inferre et Wladislaum filium suum
regem Ungarie rite coronatum armis persequi vellent seque, si id
facere perrexissent, illorum iniurias non neglecturum ostenderent;
alios ad Innocentium sextum pontificem maximum, qui eum obte-
starentur, ut ipse pro sua apostolicique senatus auctoritate Wladi-
slaum Ungarie regem creatum confirmaret competitoresque regni
ab armis adversus eum ferendis detereret.

Que ne diuturna admodum Ungaris gaudia essent, repente
nuncii de variis Turcorum incursionibus populationibusque allati
effecerunt. Hi, cum Kinisium ex inferiore Ungaria cum omnibus
fere copiis ad Albam profectum regionemque presidio destitu-
tam esse comperissent, in ulteriorem quamprimum Ungariam
invadentes incendia, cedes et rapinas intulerant atque omnis etatis
et sexus hominibus in servitutem abstractis divorumque fanis
incensis, cum viginti milibus passuum ad Varadinum accessissent,
coortum in provincia tumultum veriti primo in fines suos inco-
lumes se cum preda retulerant, deinde auctis ex prospero rerum
successu animis ultra Themesvarum excursionem fecerant et
oppidum, quod in Stephani Batorei potestate erat, concremarant
totique provincie, quam milite vacuum esse cognoverant, vulnera
gravissima inflixerant. In Croatiam autem cum irrupissent, magno 34
hominum pecorumque numero abacto mercatores etiam Florenti-
nos quosdam, qui in Ungaria negotiabantur, in servitutem rede-
gerant. Que mala per se gravia infirma quoque regis ipsius vale- 35
tudo graviora reddebat, qui in locis palustribus fervente maxime
estate moratus in febrim et dysenteriam sevissimam et valde
periculosam inciderat. Quamobrem post quinque indutiaryum dies 36
Germanis, qui Albe obsidebantur, quo commodius de deditioe
deliberare possent, a Batoreo et Sepusiense datos res tandem
in has condiciones convenit, ut Germanis, qui urbem tenebant,

cum impedimentis suis incolumes tuto in Austriam redire, currus sex et tringinta ex urbe deducere liceret, ceterum a templis spoliandis, mulieribus violandis mancipiisque abducendis temperarent. Quas rex condiciones partim adversa valetudine perturbatus, 37 partim, ne a fratre per morbi sui occasionem iterum armis appeteretur, veritus sibi accipiendas esse arbitratus est. Ita ministris 38 in urbem, ut Germanos (uti pepigerant) urbe cum impedimentis solis dimitterent, missis Alba XIII. Kalend. Sext. ex manibus hostium est erepta.

Quibus rebus ex sententia administratis rex continuo exercitum in Vesprimiensem agrum ad deiciendum ex arce illa Germanorum presidium duci iubet, ipse in proximam Laurentii ducis villam a patre magnifico et regali quondam sumptu constructam recessit, ut ibi mitioris celi et amenioris loci beneficio convalesceret. Hac re prospere gesta multa inciderunt, que Ungarorum letitiam voluptatemque ex Albensi re bene gesta minuerent. Nam et Bohemici milites, nisi promissa stipendia exolverentur, prefecti Batorei se imperata facturos negabant, cumque non esset, unde se et equos sustinerent, multo se, quam militaris disciplina pateretur, intolerantius gerebant ac, si eorum coercere audaciam prefectus pro imperio voluisset, seditionem ingentem subito facturi videbantur et Poloni neglecto federe novis rebus studere et iam Sopronium castellum in finibus obsidere Alberto fratre ea dissimulante nunciabantur. Constat etiam moleste illum ferre, quod tria milia nummum nondum sibi ex federe essent persoluta, eundemque partim a coniectionibus et astrologis, quibus referta Cracovia est, brevem Wladislai vitam fore asserentibus, partim a nonnullis proceribus de vita regis desperantibus ad renovandum bellum regnumque occupandum quotidie incitari. Cum fama de regis morbo ad Casimiri patris aures gravior accidisset, primo per legatum (quod regis animum vehementer afflixit) eum admonuit, ut cum Alberto mitius se gereret patereturque post mortem ipsius regnum ad fratrem potius, quam ad alienum aliquem pervenire; post autem, ubi e morbo emersisse eum audivit, legatos alteros misit, qui Ungaris verbis suis nunciarent, ne quid ab Alberto timerent, qui vel etatis vitio vel factiosorum hominum impulsu vel desperata fratris vita inductus bellum in finibus commovisset; se non modo ab eo furore eum revocaturum, sed etiam, si auctoritati sue non paruerit, pro Wladislai filii et regni Ungarie salute regnum vitamque suam in periculum adducturum.

Albertus interea propius in dies cum exercitu ad Cassoviam accedebat non ignarus se, si urbis illius esset potitus, facilius Ungariam ulteriorem occupaturum et iam Litinburgum, quod ab Ungaris tenebatur, immissa turma equitum et parva manu peditum obsidebat. Que ubi rex accepit, confestim Litinburgum Hippolytum Strigoniensem archiepiscopum cum equitatu proficisci iubet, qui hostibus primo adventu in fugam coniectis et tribus finitimis oppidis occupatis latius cum magno incolarum

detrimento vagatus est. De Cassoviensi autem obsidione sollicitus Dominicum Albensem antistitem et Panzolzum palatinum legatos ad patrem fratremque, qui de illatis contra federis condiciones armis quererentur, ire iussit. Legati, ut a rege mandatum fuerat, cum, antequam Carpatiis montibus superatis in Poloniam traicerent, Albertum convenissent, apud eum Dominico ipso, qui gratior multo erat, verba faciente in hunc modum locuti sunt:

Ecce rursus ad te, Alberte dux inclyte, venimus a rege nostro, fratre tuo Ungarisque Polonorum sociis missi, ut exquiramus, pro ratisne federa inter nos paulo ante percussa sis habiturus, an, quod minime decet, bellum, ut ostendis, nobis iterum illaturus. Regis quidem nostri ea sententia est, ut quidvis potius perferat, quam ut iterum cum fratre pernicioso bello decernat. Cuius nos consilium quam pium, tam nostris rationibus alienum existimamus, quippe cuius indulgentia quante regno nostro calamitates acciderint, sentiamus. Tuus vero qui sit in hac re gerenda sensus, valde audire cupimus. Regnum te illo pulso nostrum occupare velle, sunt, qui dicant. Unde hoc tibi tandem venit in mentem sperare? quando nos alias uno coronato rege regnare alterum iussimus aut quando unquam aliquem sine suffragiis nostris regnum obtinere passi sumus? Wladislaum fratrem tuum rite regem creavimus; desine sperare te vivente illo posse ad regni fastigium pervenire, desine credere nos tibi amicos posse effici, quos inimicorum more crudelissime divexasti. Non fratribus oppugnandis, non vexandis sociis, non federibus violandis, sed pietate colenda, tuendis amicitiiis pactisque servandis regna parantur. Que enim graviora nos a Turcis immanibus hostibus incommoda metuere possumus, quam a Polonis, cognatis amicisque nostris te imperatore accepimus? qui haud sibi satis arbitrat: esse pro libidine rapere, auferre, incendere et servitute afficere, etiam (quod sine lacrimis dicere aut meminisse non possumus) virginum matronarumque pudorem et sacrarum edium numen pro nihilo habuerunt. Non his artibus Albertus avus tuus, non Ladislaus patruus, non Sigismundus et alii hoc regnum quesivere, quorum facta si tu in consilium, dux inclyte, adhibueris et si cum iis, que per te acta sunt, compararis, non dubitamus, quin pro tua sapientia de suscepta subito sententia decessurus et te cum tuis copiis in fines tuos recepturus sis. Quod ni feceris, ut te brevi istius consilii et audacie tue peniteat, eventurum deorum freti auxilio speramus.

Hec ab eo magna cum libertate dicta. Albertus non modo non inique tulit, sed antistitem summo etiam honore ita locutum sibi habendum putavit, cumque se purgandi sui causa et propter pacta non servata et propter fratris incertam ex gravi morbo vitam ad bellum adductum respondisset, posthac, cum eum iam incolumem esse audiret, ab armis discessurum et communibus commodis consulturum pollicitus est. Hoc responso accepto legati profecti quinto post die Cracoviam pervenerunt et Casimiro regi

Alberti incendia, rapinas ceteraque, que presentis temporis condicio suggerebat, exposuerunt eumque, ut filium parere recusantem pro imperio coerceret, orarunt. Casimirus moleste hec se de Alberto audire respondit ac confirmatis legatorum animis continuo per nuncios Alberto imperat, ut se primo quoque tempore cum exercitu in Poloniam referat; id n̄ fecerit, se stipendia ad exercitum non missurum atque arma contra eum pro Wladislao sumpturum ostendit. Poloni, cum stipendia sibi negari et revocari a bello ducem suum viderent, quacunque ope possunt, Albertum paternis iam mandatis segniorem languidioremque in gerendis rebus effectum a patris imperiis exequendis avertere conantur; ubi vero in proposita sententia eum vident, cum aliquandiu se sine stipendio rapinis sustinuissent, in Poloniam ingrediuntur et facta ab imperatore suo defectione omnia hostilem in modum diripiunt, ut ea saltem ratione Albertum, si possint, ad bellum persequendum eliciant. Iam legati domum reversi legatione renunctiata regem patresque in Polonice pacis spem adduxerant atque, ut omnium in bellum Germanicum, quod unum relinqui videbatur, cure converterentur, effecerant.

His de rebus rex circiter Kal. Sept. e villa Laurentii ducis, ubi sui reficiendi causa fuerat, cum se Budam contulisset, Sabazium a Turcis obsideri certior factus Laurentium cum equitatu suo ad inferiorem tuendam Ungariam mittit, Urbanum vero Agriensem antistitem, qui paucis ante diebus Budam erat delatus, socium Stephano Sepusiensi adiungit atque ambos in ulteriore Ungaria publicis et privatis commodis servire et Alberto, si quid movisset, resistere iubet. Eodem mense gravi a Germanis et a Maximiliano imminente bello, cum se ad tam diversa bella occursantes sufficere non posse rex cum patribus cerneret, pacem omnes, si posset, equis, sin minus, tolerandis condicionibus petere constituunt. Ea de causa cum litteris et mandatis legati Ponium utrinque missi, hinc Thomas lauriensis episcopus, qui eo tempore universa ferme regni negotia, qua erat peditus, sapientia administrabat, illinc Stephanus Batoreus et Ioannes Paumchircher Bohemus cancellarius, vir gravissimus. Cum de concordia agi ceptum esset, Germani intolerandas prope condiciones ferebant, iura scilicet federis cum Mathia rege quondam initi, cum in Civitate Nova Friderici imperatoris permissu corona restituta est, repetentes. Maximilianus vero regno Ungarie se in perpetuum cessurum esse negabat, sed soli Wladislao propter sanguinis coniunctionem in presens concessurum dicebat communemque cum eo interea regni titulum deposcebat et belli gesti sumptus postulabat. Has tam asperas condiciones, quibus se Austriacorum imperio Ungari subiicerent, legatis se accepturos esse negantibus, Germanis autem contra pertinacissime insistentibus ac sepe accensis utrinque graviter animis et desperata prorsus concordia e colloquio recedentibus multum temporis est transactum.

Interea preter opinionem omnium maiorum undique malo-

rum nuncii deferuntur Albertum ad obsidionem Cassovie revertisse; Priniæ familie adolescentes eximios cum expeditissimo equitatu, priusquam castra locarentur, adversus Polonos temere progressos miserandum in modum occubuisse; ad Corneburgum in Danubii ripa milites, qui in presidio erant, turri, quam in speciem castelli extruxerant, ut commeatus secundo amne devectos Viennensibus intercluderent, a Germanis de improviso irruptibus succensa ad unum omnes cesos fuisse; Kinisium crebris a Turcis acceptis incommodis diris barbaram illam gentem cruciatibus ab incursandis finibus prohibere conatum maioribus in dies calamitatibus inferendis causam attulisse; Albertum iam non solum Cassovianum agrum vastare, sed etiam effuse omnia populantem duo milia cadorum vini in Poloniam remisisse, multa etiam temere effudisse, non pauca in belli usum reservasse; postremo Suevos Maximiliani milites excursionibus in Moraviam factis ac magno pecoris numero abducto ad Tyrnavie obsidionem Danubium traiecisse. His aliisque eiusmodi rebus et simul intestina seditione et discordia, que in inferiore vigeat Ungaria, perturbati, cum pacis cupiditas summa ac recens superiorum detrimentorum memoria metusque futurorum omnes urgeret, legati haud sibi moram interponendam existimarunt, quin primo quoque tempore, quibus condicionibus possent, pacem compararent.

Itaque re diu multumque agitata tandem ex regis auctoritate his legibus est transacta, uti pacta cum Mathia rege de restituenda corona inita renovarentur; ut regnum Ungariæ ad Maximilianum aut eo mortuo ad legitimos eius heredes recideret, si Wladislaus sine filiis legitimis decessisset; interea, ut regni titulus penes ambos resideret; ut pro belli superioris impensis Wladislaus Maximiliano centies mille nummum aureum penderet; ne summi honores ulli, ut duumviratus sacri diadematis, palatinatus, ut munia tam sacra, quam profana et provinciarum prefecture, nisi interposita amborum auctoritate et iureiurando utrique dato capi possent; ut eosdem uterque amicos, rebelles hostesque haberet iureque societatis alter alterum bello iuaret; Ungaros Germanosque eodem loco atque honore haberet; ne Ungaris ullis fraudi esset, quod ad Maximilianum se contulissent, neque ulla aut nota aut pena affici propterea possent, sed bonis suis, que publicata fuerant, restitutis eodem, quo fideles, loco ducerentur et essent; ad postremum, ut omnes antistites et metropolitæ, preces, presides legatique et civitates cum universa nobilitate legatis Maximiliani presentibus se has federis leges inviolatas in perpetuum cum sua posteritate servaturos iurarent. Pax populo Martinalibus his tamen suppressis condicionibus magna omnium expectatione renunciata est.

Post autem, cum legati se Budam recepissent, ut fedus communi sententia comprobarent, rex cum senatu legatisque a civitatibus missis ex arce descendit in contionem, que tum ante regiam habebatur, ibique Bohemica lingua Varadiensi antistite

singula populo interpretante a principio regni sui omnia, que intercesserant, incommoda persecutus ad pacis demum conficiende necessitatem pervenit, eamque ut libentibus ac letis acciperent animis tam multis presertim conflictati difficultatibus, est hortatus hisque dictis protinus se cum patribus in regiam retulit. Rege e contione profecto lauriensis et Batoreus duo pacis arbitri 80 atque legati surrexerunt, ut patria lingua, que de pace dicenda essent, multitudini exponerent. Ex iis lauriensis longam ingressus 81 orationem primum omnia, que perpessi erant, belli damna ac detrimenta ostendit; publicis et privatis pecuniis consumptis, agricolis, quorum laboribus tam sacri, quam profani ordines se aleant ac tuerentur, in citiore et inferiore Ungaria spoliatis, regno domesticis discordiis in multas partes distracto rempublicam diutius resistere non potuisse; se ex communi consilio pacem et unicum omnium malorum remedium requisivisse eamque his 82 condicionibus impetrasse. Inde pacis condiciones, que adhuc occultate de industria fuerant, recitavit easque, quanquam fortasse parum equas, tamen ut reipublice commodissimas, ut iuberent, se eis suadere dixit; sic enim fore, ut Germanico soluti bello irrumpentes Polonos nullo negotio propulsarent. Multitudo, 83 ubi condiciones audivit, statim cum stomacho perinde obstrepere et reclamare cepit, quasi non pacis, sed servitutis condiciones essent accipiende, nihilque propius factum est, quam ut ingentem seditionem propterea excitavit. Satis certe constat et patres non- 84 nullos et ipsos pacis legatos per aliquot dies, nisi armorum turba stipatos tuto in curiam non venisse et ex nobilitate multos de secessione a patribus facienda consilia habuisse. Itaque, cum singulis noctibus tabelle trivis et templorum valvis a populo affigerentur, in quibus denunciarent se milies morituros prius, quam tam turpes federis condiciones approbarent, rex omnes ad se placatis ante per palatinum et Batoreum illorum animis advocari iussit et paucis, ut de sua deque regni dignitate fidei sue comissa bonum animum haberent, cohortatus temperatis cum legatis condicionibus eos ad fedus iureiurando sanciendum, ne tanta concordia solveretur, adduxit. Eodem quoque mense ad Hunam 86 amnem in Croatia ex Turcis mille et quingenti, qui in provinciam populabundi descenderant, cesi totidemque capti, ex quibus centum et viginti ad regem, nonnulli quoque ad reginam a bano muneris loco sunt missi. In eo bello Bernardini comitis virtus imprimis enituit.

Federe cum Germanis, quemadmodum demonstravimus, confirmato rex comperto Cassoviensem agrum ab Alberti militibus devastari Bohemos statim, qui ad septem milia erant, ex Austria revocatos celeriter, quanquam sevissima hieme, ad Pestum traicere iussit. Cum Stephanus Sepusiensis Id. Decemb. magno 87 cum equestrium pedestriumque copiarum presidio in provinciam missus nihil adhuc memorabile ibi gessisset, multos in timorem adduxerat, ne, sicut ante Austria, sic nunc per negligentiam 88

Cassovia pelleretur. Ob eam rem ille magno prelii committendi studio accensus illa tamen difficultate afficiebatur, quod Bohemi se, nisi persolutis stipendiis, in aciem descensuros aut pugnatos negabant. Cui incommodo uti obviam iret, prefectos equitum et centuriones imprimisque Hugieriez, virum fortissimum et maximo rei militaris usu preditum in suam sententiam donis premiisque perducit. Deinde militibus regni reique publice periculo, nisi prelio cum hostibus decernatur, exposito pollicitusque se daturum operam, ut perfuncta his calamitatibus et periculis republica cum fenore omnibus merita et stipendia et premia persolvantur ac geminata deinceps militia honestentur, omnes ad arma alacri ac prompto animo capienda deducit ac tumultuariis militibus agrestibusque hominibus undique evocatis maximis exercitum supplementis adauget.

Albertus, ubi Ungarum prelii causa propius accessisse vidit, etsi se numero militum inferiorem cernebat, tamen haud sibi pugnam detrectandam ratus et simul exercitus sui viribus et fortune, qua sepius secunda erat usus, favore subnixus audacter occurrit et castra in conspectu Ungarorum locavit. In posterum diem cum pugna esset indicta, par utrinque cura et sollicitudo per totam noctem animos agitavit, sed causa non pari, quippe cum illi de dignitate, illi de incolumitate propria cogitarent. Ubi illuxit, Stephanus, antequam exercitum suum e castris educat, milites allocutus admonet non se nunc, ut quondam regnante Mathia, pro augendo imperio et domestica cumulanda gloria, sed de defendendo regno et publica salute certare. Incommoda atque iniurias omnes, quas per biennium ab Alberto acceperint, singillatim exponit, perfidiam eius in eos et importunam in fratrem regem immanitatem edocet, qui nefaria cupiditate regnandi accensus regnum illi legitimum eripere et Ungaris invitis invadere studeat. Adversus hec aut forti esse animo resistendum aut servitutis iugum turpissimum subeundum addit; victoriam autem sibi cum Ungarorum Bohemorumque sociorum virtutem incredibilem, tum iustam belli causam et diis ipsis immortalibus probatam facile polliceri. Contra Albertus Polonos hortari, ut, quem ad fraternum iterum regnum oppugnandum impulissent, eum hoc ipso tempore acerrime fortissimeque pugnando defenderent; se quidem, quanquam numero copiarum esset inferior, sperare tamen eorum virtute fore superiorem, presertim vero, cum res eis cum tumultuario exercitu et regis imperio nudato esset futura. Ceteraque eiusmodi adiicit, quibus aut adversariorum opes imminuere aut suas augere aut certam victoriae spem facere posset.

Quibus rebus inflammatis Polonorum omnium animis statim pugne signum dari postulant ac clamore ingenti eum etiam invitum (quod iam de disciplina et numero Ungarici exercitus, cui se imparem longe cernebat, certior factus a prelio abhorrere ceperat) in aciem descendere cogunt. Signo pugne dato primum cum Bohemis, qui in sinistro cornu locati erant, certamen initur,

equitibus utrinque egregie pugnantis, quorum multi equis deiecti pugnam pedestrem non intermiserunt; ex altera parte Stephanus, qui dextrum cornu cum Ungaris tenebat, et eum secuti, quos Beatrix regina miserat, pugnare incipiunt et pari impetu congressi clamore et strepitu omnia complent. Multis utrinque cadentibus pugna usque ad serum diei est perducta. Tandem Albertus, quod, quos defessis suis integros recentesque summitteret, non habebat et, qui diu pugnassent, vix consistere iam pre labore et vulneribus possent, valde laborare cepit. Qua re animadversa Ungarorum manus, que castris presidio relicta fuerat, eruptione facta Polonos invadit ac diuturno prelii labore defatigatos nullo negotio pellit. Solus cum equitatu in ultima acie resistit Albertus, qui multis amissis postremo se in fugam dare coactus accepta eius noctis e captivo quodam milite tessera per medias hostium custodias cum paucis tanquam amicus imprudentibus illis elapsus ad Eperies pervenit. Ex proceribus pauci evasere; plerique aut desiderati aut capti; reliquus exercitus profligatus, castra direpta, impedimenta omnia et totus bellicus apparatus imprimisque aenea tormenta inusitate magnitudinis Cracovia devecta in potestatem pervenerunt; captivi, qui paulo ante a Polonis capti fuerant, recuperati. Stephanus centum et quinquaginta equites secunda noctis vigilia ad hostes insequendos immitit, quorum alii palati ab agrestibus, alii ab equitibus cesi ac spoliati sunt. Albertus in oppido Eperies, quo cum equitibus viginti confugerat, postero die a Stephano et Obice obsessus, cum inde evadere non posset nec subsidium in tempore speraret, ad pacem accipiendam demum compellitur his legibus, ut tuto ex Ungaria abiret, tormenta captivosque omnes reciperet, Saros, Cibinium, Eperies et reliqua, que in ulteriore Ungaria oppida occuparat, restitueret, Ungaris nunquam posthac bellum faceret, fedus et amicitia in perpetuum integra permaneret. Que ubi Budam nunciata sunt, maiorem ex pace, quam ex victoria letitiam omnibus attulerunt, regi vero imprimis, quod fratre ipso incolumi bello maximo ac periculosissimo liberatus esset.

Finito iam Germanico et Polonico bello et regno gravissimis periculis exoluto unum restabat, Turcorum bellum, quod superioribus impliciti curis intermittere coacti fuerant, cuius causa rex ad Kal. Feb. concilium Bude frequentissimum indicit, quod dum regni proceres coeunt, nuncius allatus Turcum ad obsidionem Albe Grece, que Belgradum vulgo dicitur, properare, quod non Ungarie solum, sed Christiane quoque reipublice primum putabatur propugnaculum esse, aliquantulum concilium perturbavit. Paucis post diebus, cum iidem ad Sinderoviam convenissent, ut Danubio (quem frigiditatis magnitudine et vi congelasse existimabant) transmissis ulteriorem Ungariam incurserent, opinione decepti, ne frustra se movisse viderentur, clam ad Sabazium diverterunt ac dimissis in ripa Savi cunctis equis, cum occulte suburbia adorti die nocteque oppidum op-

pugnassent, presidii virtute et robore inde depulsi incensis tamen suburbii recesserunt. In eo prelio ex Turcis quingenti, ex presidio quinquaginta ceciderunt; non tormentis, sed manibus hostes deturbati, quod aeneae machine omnes loco dimote fuerant, que res prodicionis suspicionem non levissimam attulit. Per eosdem dies alia Turcorum manus, que in ulteriorem Ungariam irruerat, cum in Kinisii turmas incidisset, in potestatem fere tota concessit multis cesis, aliis captis, ex quibus purpurati quoque nonnulli ad regem missi. Quibus de rebus publice diis gratulationes et supplicationes habite sunt. Neque ita multo post sexcenti ferme alii ad Albam Grecam profligati nunciantur, qui, cum prefectos duos Budam ad concilium abituros sentientes expeditos in insidiis equites, ut eos incautos opprimerent, collocassent, ab iisdem eadem, qua in eos usi erant, arte necopinantes circumventi et preter paucos deleti sunt. Ita melioribus auspiciis re bene cum Germanis, Polonis et Turcis administrata annus MCCCCXCII. est initus.

In concilio autem, cum Petrus metropolita, qui eo cum ducentis equitibus cataphractis et expeditis trecentis venerat, de Beatricis sponsalibus celebrandis retulisset, ab universa contione reclamatum est, cum regem omnes fecundam virginem ducere oportere et regno Ungarico nihil sterilitate regine incommodius accidere posse assererent. More Severini castelli prefectus, cum virtorie de Turcis parte defenseque strenue arcis ac proprie virtutis testande gratia currus duos cesorum hostium capitibus onustos ad concilium veheret, in medio itinere gravi morbo correptus interiit; quos cum Georgius frater Budam atque in ipsum quoque conventum iussu regis retulisset, eo spectaculo proceres incredibili omnes letitia eque, ac stupore replevit, cum truculenta adhuc et crudelitatem minantia mortuorum ora despicerent. Denique summo omnium consensu propterea laudatus ac magnifice donatus fratrique mortuo, qui fortissimus vir et Turcis formidolosissimus fuerat, regis et patrum auctoritate est subrogatus. Dimisso concilio regina, ubi neque per legatos neque per nuncios, quid de sponsalibus suis patres decrevissent, accipere potuit, ludificari se rata e Strigonio Budam Veterem eo animo venit, ut, quod posset, sibi et cause sue ne deesset et in regiam profecta inde, nisi re perfecta, non discederet. Neque tamen ad Novam Budam sine auctoritate regis et senatusconsulto ascendere est ausa verita, ne oclusis fortasse portis parum honeste retrocedere cogeretur. Ad eam multi principes, maxime ii, quos ipsa sibi muneribus et promissis obstrinxerat, officii gratia venerunt; rex vix adduci potuit, ut eam semel inviseret. Quamobrem delusam se existimans dolensque, quod eo venisset, die septimo se Strigonium recinit et a patre Ferdinando rege Neapolitano, ut per legatum Wladislai animum exploraret, petiit. Igitur circiter Kalend. Iunii Andreas Carafa, vir summo loco natus missus hoc a rege responsum tulit se per legatum Ferdinando regi, quid sui de regine coniugio consilii sit, expositurum, cuius rei causa postea

Antonium episcopum Nitriensem ad Alexandrum pontificem maximum, qui Innocentio mortuo subrogatus Ungaros in clientelam acceperat, et regem Ferdinandum Idibus Octobris cum mandatis ire in Italiam iussit.

LIBER III.

In magna omnium trepidatione summaque ex incommodis
 dissipatis de bello Turcorum rumoribus multis regis patrumque
 sollicitudine Martinus Zobor, qui a rege multo ante ad Baiazetem
 imperatorem legatus de summis rebus missus ab eo de industria,
 ne bellica sua consilia enunciaret, diu nullo responso reddito
 dicebatur fuisse retentus, tandem VI. Idus Iunias revertit atque
 omnia, que de recenti Turcorum motu compererat, ex ordine re-
 citavit Baiazetem ingentem terra marique belli apparatus con-
 fecisse; quippe ducentis triremibus ad Propontidem coactis et
 multis in Ponto navigiis constructis actuariisque ratibus non pau-
 cis, quibus Istrum subiret, lembisque levioribus in Bosna plu-
 ribus, quos in Savum deduceret, comparatis ex Asia atque Europa
 incredibili copiarum multitudinem evocasse et ducentorum mi-
 lium hominum numerum effecisse; quorsum ea pertinerent, haud
 se afferre pro comperto posse, hominum enim varias in vulgus
 opiniones iactatas aliis in Cyprum, nonnullis in Dalmatiam,
 multis in Getas et Valachos eam belli molem conversum iri
 dicentibus; de Alba Greca haudquaquam sibi videri, cur hoc
 tempore maxime laborandum sit, quod Baiazetes cum exercitu
 Sophiam usque inferioris Mysie urbem basse cuiusdam aucto-
 ritate progressus, ut inde ad Albam Ungaris externis interea
 bellis et intestinis discordiis occupatis eripiendam contenderet,
 postquam recentem Ungarorum cum Germanis Polonisque com-
 positionem, cuius domo egrediens ignarus omnino fuerat, per-
 ceperit, vehementer accusata basse temeritate totam belli ratio-
 nem et sententiam commutarit; quin etiam pacem eum cum Un-
 garis illa se condicione facturum ostendisse, si sibi per eos
 in Valachos et Epidaurios et per Dalmatiam in Carnos et Noricos
 impune excurrere licuisset, quibus a se condicionibus repudiatis
 eum adeo vehementer animo fuisse commotum, ut iracundia elatus
 pilos e barba semel iterumque evelleret posteroque die infecta
 re se sine cunctatione dimiserit; presentem porro eius exercitum
 ad peditum equitumque viginti tantum milium numerum perve-
 nire, reliquos omnes collecticiam manum inermem et bello parum
 idoneam esse, agrestium vero turbam prope infinitam secum
 illum trahere nullo alio telo quam scipione prefixo ferro arma-
 tam omnesque tunc, ut qui aqua duntaxat et vilissimo cibo ale-
 rentur, pestilentia ac dysenteria correptos gravissime laborare.

His auditis rex, quanquam multis de rebus animo effere-
 batur, tamen haud sibi tanti hostis tantos motus contemnendos
 existimans extemplo finitimas Turcis arces omnes milite, tor-

mentis, commeatu et armis munit, Severinum, Sabatium et Iayzam duplicato presidii numero confirmat arcemque Albe Bohemis militibus mille et rebus, que bello usui essent, omnibus instruit; reliquos Bohemos ad Paulum Kinisium ire in inferiorem Ungariam iubet. Inde toto regno delectum magna cura ac diligentia 8. habet et pro iure societatis auxilia a Germanis etiam postulat; nam renotiora in tempore, si Bajazetes ultra procederet, adesse non videbantur posse. Tanto vero studio tantaque animi propen- 9. sione ab omni ordine, etate sexuque impetrata omnia pro salute et dignitate regni administrata sunt, ut in magna militum nomina ad bellum ultro profitentium turba sacerdotes etiam cum monachis sponte se militie offerrent; sacre autem virgines, pueri ac 10. senes, quos aut sexus et ordinis pudor aut etatis et virium imbecillitas a gravioribus operibus amoveret, quotidianis supplicationibus vota pro incolumitate regni deo facere non desisterent; prefecti vero ad suam quisque provinciam firmo cum presidio tutandam repente magna animi alacritate discurrerent. Quibus de 11. rebus rex in eam spem venerat se, si arma inferre Turco perrexisset, dum primis regni arcibus expugnandis tempus tererent, exercitum sexaginta milium hominum facile duorum mensium spatio contracturum; nam Batoreus et Stephanus Valachorum regulus 12. cum Transalpino viginti milia pollicebantur totidemque inferioris et superioris Ungarie regiones, Germanos vero Bohemosque et iis attributas regiones viginti item milia prebituros plane non diffidebat. Bajazetes autem, qui Sophiam usque Albe ex improvise 13. occupande consilio processerat, tanto hominum consensu rerumque apparatu cognito spe concepta deiectus neque ultra progrediendum ratus exercitum dimisit et basis duobus cum triginta milibus hominum Sophie relictis atque oratore ad Wladislaum de indutiis misso Byzantium se recepit. Dum autem de indutiis 14. agitatur, bassarum alter perfidia plus quam barbara Valachiam populatus non paucis suorum desideratis turpiter retrocedere coactus est, alter montanos Albanenses adortus, qui loci editissimi et sua natura insuperabilis munitione freti a Turcorum ditione defecerant, ipse cum validissimo equitatu concisus est, quamvis redintegrato postea exercitu eius Turci loci potiti sint. Octo autem 15. milia ad obsidendum Severinum missa Kanisiano mature subveniente subsidio subito recesserunt.

Eodem tempore Casimiro patri Polonie regi in Lithuania 16. mortuo amplissimas exequias magna procerum totius regni assistente ac funus decorante frequentia rex ipse sollicitudine ac merore prope confectus paravit. Antonius Bonfinis, qui has scripsit historias, totius regii generis serie altius ad laudem familie repetita eius vitam, quam ornatissima potuit, oratione laudavit. Post autem, cum comitia regi in Casimiri locum creando 18. apud Polonos essent indicta, duos eo legatos Ladislaum Cassinorum et Ioannem Bohemie cancellarium rex misit, qui suo nomine Polonici regni iura, que ad se, ut ad maiorem natu fratrem,

merito pertinerent, Alberto fratri sincera fide remitterent, ad quod officium satis constabat regem assiduis et patris quondam et tum matris viventis precibus et imprimis singulari ipsius quondam erga fratrem pietate per se satis excitatum fuisse.

Augusto vero, qui insecutus est, mense Bohemorum cohortes, 19
que veteranorum et nigrorum appellabantur, cum essent ad
tutandos inferioris Ungarie fines et Turcorum incursiones reprimendas misse, Paulo Kinisio prefecto ob intolerandam eorum libidinis avaritiaeque licentiam meritis penas dederunt. Cum enim, 20
quam fede misereque superioris iidem Ungarie partes omni latrociniorum, sacrilegiorum et libidinum genere turpiter exercendo ante tractassent, ille in memoriam revocaret, centuriones eorum primo ad se adventu liberalissime acceptos munitissimeque donatos impensius est hortatus, ut ab iniuria maleficioque se suosque prohiberent, ne forte, que in superiore Ungaria sceleris et intemperantiae suae exempla cum maxima ignominie nota prodidissent, eadem in inferiore quoque relinquerent, quibus nihil vel ad famam ipsorum turpius vel ad retinendos in fide populos alienius vel certe a pietate Christiana remotius esse posset; nam, quod ad eorum commoda pertineret, se gravissima pena edicturum, ut preter pabula, que gratuito haberentur, reliqua ad victum necessaria certo eoque etiam modico pretio preberentur. Cuius orationem 21
cum centuriones omnes ita approbassent, ut se, quoad possent, ne quid tale committeretur, posthac annisuros esse contenderent, Sigidinum amplum sane atque opulentum oppidum in estiva dimissi sunt. Ubi per aliquot dies morati et quasi ad semet reversi 22
adeo se intemperanter et avaro gerere ceperunt, ut nec fortunis nec pudori nec sepe etiam vite provincialium parcerent, quo insatiabilem et immensam cupiditatis et libidinis suae sitim exple-
rent. Fama est matronam quandam honesto et bono genere natam 23
nudato corpore, sed pudendis manipulo herbe contactis fletus et lacrimarum plenam ad Paulum venisse atque ad pedes eius provolutam insignem in se Bohemorum militum iniuriam exposuisse, per quos omnibus fortunis eversa etiam propriis vestibus ad velandum corporis pudenda dispoliata fuisset, ab eoque ut omnium iniuriarum et contumeliarum equissimo vindice durissime fortune suae auxilium implorasse; neque ita multo post pagi cuiusdam 24
sacerdotem mestum accessisse de audacia petulantiaque cuiusdam militis acerrime conquerentem, qui loculum argenteum, in quo Christi domini nostri corpus esset inclusum, e templo abripuisset et ipsum sanctissimum corpus in terram nefario quodam et inaudito scelere abiecisset.

Paulus autem, qui militares eiusmodi mores semper dam- 25
nasset, iustis primum lacrimantis mulieris querelis auditis vehementer animo est commotus libenterque meritum de cohortium nefanda petulantia supplicium sumpsisset, nisi eorum animos parum idoneo tempore alienatum offensumque iri dubitasset, cum infeste quotidie Turcorum excursions in provinciam timerentur, quibus

se fidei veteranorum et probata imprimis opera occurrurum esse sperabat. Post autem, cum litteras, quas assiduis perditorum agricolarum querelis fatigatus ad eos super ea re miserat, manibus ab iis discerptas et pedibus in sui contumeliam conculcatas audisset eosque eo demum intemperantie ac vecordie processisse, ut nullam neque discipline militaris neque Christiane pietatis ipsiusque adeo Christi curam aut rationem haberent, tacita quadam religione ad contemptum Christi nomen severius vindicandum accensus haud ultra tantam eorum sibi temeritatem atque intolerantiam perferendam putavit. Itaque protinus ab inferioris Ungarie regulis et vicinis civitatibus auxiliis occulte per certos nuncios evocatis et agrestibus turba alterius simulatione belli coacta et ex omnibus pagis militibus accersitis iustum adversus eos exercitum ducit. Premisse expeditissimorum equitum turme, cum forte in septingentos Bohemorum equites incidissent, commisso prelio strenue dimicant. Par ab initio utrinque pugne condicio fuit. Tandem Bohemi, qui ad explorandum potius, quam pugnandum instructi venerant, retro se ad suos referre coacti eos, quo res versetur in periculo, docent et, ut se castris subito communiant, admonent, si erumpentis in se Pauli sustinere impetum velint. Hoc illi aucto, ut in re trepida potuerunt, protinus ad villam, quam Piscinam vocant, impigre castra locant eaque vallo fossaque circumdant, scilicet, ut et aque copiam habeant et saltem a piscine parte defensi sint. Preventis eorum iter et consilium Paulus neque longe ab eo loco castra et ipse ponit et satis egregie se pro tempore ad omnem belli rationem expediendam parat...

Cum autem hostium castris ita appropinquasset, ut eos eminus percutere se facile posse confideret, frequentibus eos glandibus aeneis incessere per tormenta minora emissis instituit atque in campum aciemque prodire cogit, cum duas vexillationum et expeditorum equitum alas in cornibus, in medio vero cataphractorum turmam collocasset. Bohemi quadrato agmine castris egressi tanto se in cataphractus impetu intulerunt, ut Pauli agmen longius summovent. Qua ille re animadversa decurionibus statim et prefectis equitum signum dat, ut sensim se recipiant et hostes effusius insequentes longius a castris abducant. Id erat hominis consilium, ut remotos a castris hostes facilius circumveniret ac pro arbitrato concideret, quod non secus evenit, atque animo destinarat; dum enim cedentibus Ungaris Bohemi vehementius instarent neque se longius a castris pre insequendi studio progressos sentiunt, Paulus eos utrinque agrestium multitudine, qui falcibus poplites equorum succidunt, quasi quadam indagine claudit et alas equitum, qui a tergo instent urgeantque, immittit; tum fugientes suos subsistere, rusticos equitesque, quod imperaverat, exequi iubet. Ita, cum mandata ab omnibus diligenter atque industrie fierent, Bohemi vehementer laborare ceperunt, cum nec terga dare nec per circumfusam falcatorum agrestium turbam

evadere et a tergo et a lateribus pressi nec a fronte quidem
 obiicientibus se validissime Ungaris erumpere possent. Quam- 35
 obrem ad extrema redacti multis desideratis deditionem facere
 coacti sunt. Profligato exercitu castra inde, que pro vallo carros
 obductos habuerant, non sine aliqua cede capta et direpta sunt.
 Quadringentos cecidisse (nam fuerunt, qui septingentos dice- 35
 rent) constans opinio fuit. Deditio his condicionibus facta est,
 ut Bohemi se Pauli posthac audientes dicto futuros et in Un-
 garos nihil in posterum molituros neque preteritorum temporum
 posthac stipendia flagitatuos iurarent. Quo se illi iureiurando
 flentes obstrinxerunt. Post autem, cum Paulus apoplexia repente 40
 correptus de vita pertimescens eosdem novo adigere iureiurando
 vellet fore, ut regi imprimis, deinde Batoreo perpetuo obseque-
 rentur, id usque adeo recusarant, ut ad regis opem confugientes
 non modo posteriore sacramento non sint astricti, sed priore
 exoluti optimus eorum quisque a rege, multi quoque a Batoreo
 et palatino conscripti sint; reliqui, cum se a pristinis, quibus 41
 assueti erant, maleficiis temperare nequirent, in fines Austrie et
 Moravie secesserunt, qui quotidianis furtis et rapinis intolerabi-
 les facti ab Austrie preside comprehensi ac variis suppliciis
 affecti prope omnes deleti sunt. Paucis post diebus, cum palantes 42
 Turci in fines Ungarie introrupissent et multos captos ac barbara
 crudelitate excruciatos ad Gemonias Constantinopolitanas neca-
 sent, meritis penis affecti sunt. Paulus enim fera illorum immani- 43
 tate accensus positus adversus eos insidiis, cum facile impruden-
 tes necopinantesque multos in potestatem redegisset ac The-
 mesvarum transtulisset, inauditis ante apud Christianos generibus
 tormentorum affectos interemit, cum alios pistrini in aqua se ver-
 santibus rotis alligasset, alios igni sensim admotos lento incendio
 confecisset, non paucos cute, ut belluas, exuisset, nonnullos
 etiam in hara revinctis post terga manibus esurientibus suis
 obiecisset, nimirum, ut pari suppliciorum metu intra fines suos
 barbarum hostem deterritum contineret.

In sequenti anno, qui fuit supra millesimum et quadrage- 44
 simum nonagesimum tertius, Mathias Gerebus Mathie quondam
 regis consobrinus ea belli scientia et usu peditus, ut vulgo
 Mathie alumnus diceretur, itemque Stephanus Batoreus, vir
 summe in bello paceque auctoritatis atque prudentie magno cum
 omnium dolore diem suum obierunt. In Batorei locum, qui se 45
 sponte paulo ante Transylvanie prefectura abdicaret, Wladislaus
 Lassoncius et Bartholomeus Dragfii, a rege suffecti sunt.
 Ioannes Chanadiensis episcopus desperata regni quiete et con- 46
 tempta humane vite condicione sacerdotum d. Pauli primi ere-
 mite professione discipline se obligavit. Circiter Kal. Feb. Ali-
 bechum Baiazete imperatoris Sinderovie prefectum cum valido 47
 exercitu in Transylvanie fines ingressum et cum ingenti preda
 per quinque dies coacta redeuntem Syculorum tumultuaria manus
 adempta preda exuit et plerosque Turcos occidit. Kal. autem 48

Augustis Friderico imperatore Cesare mortuo Maximilianus filius, quem pater vivens regem Romanorum declarandum curaverat, imperium exceperit.

Per quos eosdem dies insignem atque adeo memorabilem in Croatia cladem nostri a Turcis acceperunt. Croatiae Dalmatiaeque reguli iam pridem Corvini ducis imperium detrectantes et se regi duntaxat obsecuturos affirmantes novarum rerum cupidi partim finitimis vim inferre, partim oppida maiorum ignavia amissa armis recuperare vel ipso duce invito instituerant initio a Ioanne Frangepano, qui principatum quondam in provincia obtinuerat, introducto. Quibus Corvinus conflictatus incommodis provinciae imperium regi renunciarat laicze maxime periculo conturbatus, quam se adversus quotidianum imminentium Turcorum impetum posse defendere desperaverat. Ita provincia Emerico Drenceno summe industrie singularisque consilii viro a rege commissa bellum vehementer utrinque geri erat ceptum. Cum autem Emericus Berardium in Iapidea maritima regione castellis quattuor occupatis adiuncto fratre ad obsidionem Segnie profectum magna vi ad sua inde se oppida recipere coegisset, universam inde in Frangepanum belli molem apparatusque converterat, qui Breviam ut avitam possessionem per dolum occupatam se repetenti regi redditurum esse negarat, motisque adversus eum castris Breviam obsidione premere rebus in eum annum cum proximo Turcorum prefecto compositis instituerat. Dum autem arcem, que natura magis, quam arte munita oppido imminebat, diligentius ipse cum collega suo Bothlano oppugnat, factum est, ut Bothlanus pila aenei tormenti percussus misere occubuerit, cuius morte ipse aliique omnes gravissime perturbati maioribus opibus animisque oppidum oppugnandum aggressi eo Frangepanum adduxerunt, ut, postquam se resistere diu non posse vidit, cum proximo Turcorum bassa secreto pepigerit, ut, si ad avertendos a Brevie obsidione Ungaros cum delectis equitum turmis Carniole et Carinthie fines populabundus inisset, ipse pro tanto beneficio in perpetuum Baiazetis dicioni imperioque subiectus esset.

Tum bassa haud sibi tanta spe obiecta cessandum ratus confestim cum octo milibus expeditissimorum equitum per Croatiae regnicolas Germanorum infestus incursat et ad Iuliam et Petoviam usque predas facit ac Cilianum agrum continenti prope populatione defecit. Quibus incommodis occurrere cupiens Drencenus Frangepanum sibi reconciliat et soluta obsidione magnum ex tota provincia delectum habet, cum ad eum non reguli solum frequentes, sed etiam ex Illyrico plurimi convenissent et ex pagis magna contracta manus quanquam inermis et ad ferenda arma partim idonea accessisset. Ita basse cum ingenti preda citius, quam statuerat, metu copiarum Maximiliani, que imminere populantibus dicebantur, redeunti Ungari se Drenceno duce ad provincie fines obiiciunt atque a fronte exitum intercludunt; nam a tergo Iacobus Zechel cum quingentis equitibus

magnis auxiliis succedentibus Germanorum instabat. Que ubi 58
 bassa in Modrusiensium progressus agrum cognovit, per nuncios
 Drencenum imprimis admonet, ut pactis stare velit, neque enim
 se Ungarie provincie detrimenti aliquid attulisse neque, si quo
 ipse alienum agrum incommodo affecerit, eius ad illum vindictam
 iniurie pertinere, quam si, quemadmodum ostendit, armis persequi
 pergat, se deos violate fidei acerbos semper vindices invocantem
 ac sibi affuturos sperantem alacriter quancunque pugne aleam
 subiturum. Non desunt, qui addant bassam a Drenceno etiam 59
 incolumem inde exitum pretio impetrare potuisse, cum diceret
 se a rege mandatum habere, ut Christianos captivos, quacunque
 ratione posset, e servitute eriperet, itaque, si captivos ille dimit-
 teret, nullo ei se impedimento futurum; sin minus, se regis iussa
 exequentem prelio pro illorum libertate decertaturum. His bassa 60
 condicionibus superbe repudiatis haud sibi diutius in sylvis, per
 quas iter faciebat, morandum existimavit simulque veritus, ne,
 dum cunctantius ageret, adauctis magis Christianorum copiis
 a fronte et a tergo interclusus fedissime cederetur, succisis ar-
 boribus iter per sylvam aperit.

Egressuris iam ex sylva Turcis et se in apertum campum 61
 cum universis copiis effusuris variis inter nostros duces de re
 gerenda disputari sententiis ceptum est. Drencenus, qui eos, 62
 quoad se campo committerent, invadendi causa extra saltum
 expectaverat, cum se ab iis equitum numero et robore superari
 videret, prorsus iam a conserendo prelio abhorrebat; esse enim 63
 novem Turcorum milia, omnes belli militieque peritos et longo
 tempore laboribus militaribus induratos compererat, sibi vero
 vix septem milium summam adesse conscius erat, ex quibus quin-
 genti tantum equites, reliqui aut collecticii milites aut evocati
 aut rustici essent, qui raro gladio, nulla lorica galeaque, sed pe-
 dali tantum scipione ferro prefixo ligneaque clava aut rudi arcu
 armati operam haud preclaram, ut adversus tantum hostem, nava-
 turi essent, quos ipsos expeditissimo Turcorum equitatu obicere
 loco presertim sibi ad pugnam iniquissimo inconsulti ducis esse
 aut parum de suorum salute cogitantis arbitrabatur. Ab hoc diver- 64
 sam Berardinus Frangepanus secutus sententiam pugnandum
 omnino atque audaci conatu tantam predam et tam multos Chri-
 stianos de manibus hostium extorquendos dicebat atque eius
 officii curam maxime ad Drencenum Croatie presidem pertinere
 contendebat, quod si ille lenius atque remissius ageret, se suo
 consilio usurum et in quencunque fortune casum hostes metu
 (ut satis apparebat) exanimatos aggressurum et Christianos
 captivos vel sui capitis periculo e barbarorum fedissima ser-
 vitute pugnando exempturum, quo in prelio si quid forte acceptum
 detrimenti fuisset, eius omnem culpam penes ipsum, qui pugnam
 detrectasset, futuram deque ea re et regem et patres se maxime
 (si inde vivus evaderet) accusante in iudicio cognituros. Quibus 65
 rebus victus Drencenus tandem respondit se, quod salutare

in presens consilium duceret, id ipsum in medium attulisse, verum, quando illi omnino certum fixumque pugne consilium sit, se eundem, ne ignavia certamen refugere videatur, et caput suum et filii unici et fratris amantissimi, quos secum habeat, in apertissimum periculum pro salute et libertate Christiani nominis adducturum, unum illud a deo omnibus precibus petere, ut cepta sua precipiti potius audacia, quam maturo subnixâ consilio secundaret.

Dum hec inter nostros consilia agitantur, iam Turci ex 66
sylvis egressi explicatis in campo ordinibus ad prelium se instruxerant, contra quos nostri confestim quadratis tribus agminibus ductis et immissa prima acie fortiter manum conserunt. Cum 67
utrinque constanter et non timide pugnaretur, bassa suos iam inclinatos animadvertens ex geminato subsidio submisit agmen; huic Berardini aciem Drencenus opponit, ipse subsidium sibi deposcit et ab utroque latere peditatum disponit. Urgentium 68
hostium impetum cum Berardinus sustinere non posset, fuga salutem petere contendit ac suos in prima acie laborare pugnando defatigatos deserit suaque fuga secum perturbatos ordines trahit. Fugientibus instant Turci profligatisque primis in laborantem aciem irruunt atque inclinatas turmas nullo negotio pellunt. Qua 69
re cognita Drencenus ab ultimo agmine clamitans fugientes retinere et in hostem convertere nititur et Berardinum prelii huius auctorem et mortis periculum gloriose et iactanter verbis paulo ante contemnentem identidem increpat et incusat, qui pristini decoris et antique laudis oblitus effusissime fugiebat. In summa 70
vero rerum omnium iniquitate ac prope desperatione melius esse pulchre mori, quam incruentam hosti victoriam relinquere arbitratus extremum agmen in hostes promovet et in confertissimam invectus aciem multos interficit; a multis ipse petitur, donec suffosso, quo vehebatur, equo pedes manum conserere cogitur. Quod cum strenue aliquanto temporis spatio multis circum se 71
vulneratis ac stratis fecisset, tandem gladii capulo fracto ab hoste circumvenitur. Cui cum filius una cum fratre paucisque aliquot militibus subvenire periclitanti properaret, ipse una cum sociis obruncatur. Drencenus vivus ab hostibus comprehenditur.

Ita fugato demum ac profligato exercitu Ioannes Frangepanus vir strenuus et ingenio corporeque prestanti cesus et ex eadem familia Nicolaus captus et Carolus dux equitatu magna ex parte exutus est. Alii turmatim strati fugatique, quocumque se conferebant, ibi cum insequente hoste certamen instaurare coacti pari fortune eventu aut necati aut in servitutem omnes abstracti sunt. Ex nostris quinque milia et septuaginta septem, ex hostibus mille circiter cadere. Ungaris omnibus nasi amputati, ut in certum victorie argumentum ex nasorum numero non dubius cesorum hominum numerus colligeretur. Clades V. Id. Septemb. 72
73
74
accepta. Captivorum inde turba in unum coacta nobiles multi notati; inter ceteros autem dux ipse Drencenus vinctis post ter-

gum manibus in basse conspectum adductus omnium in se ora oculosque convertit. Qui cum inter cenandum filii fratrisque 75 capita sibi iussu basse in mensam apposita cognovisset, altissimo dolore percussus, Cur non me potius, inquit, vita spoliasti, quam hoc diro fedoque spectaculo affecisti? Cui ille, lure, inquit, hec 76 pateris, Emerice, qui prior fidem fefelleris ac tot strenuos milites fortissimosque duces in discrimen adduxeris. Quid enim in provinciam ego tuam incommodi importaram, cur tu tam infesto armorum conatu meum reditum impedires? Quamobrem noli sperare te erumnis his morte finem impositurum; ego enim ad tuas augendas cumulandasque miserias dabo operam, ut tua in longinquum vita mea maxima diligentia protrahatur.

Itaque, cum paulo post cum ceteris captivis Constantino- 78 polim subligatis equo pedibus et custode adhibito veheretur idemque provocandi in suum exitium ferocis et iracundi hostis gratia custodem extracto e proximi militis latere gladio necavisset, eum tamen bassa interim vetuit, quod diceret diuturnam ei vitam quacun- 79 que morte duriores atque acerbiores futuram. Post autem ad Baiazetem adductus, cum pristinam in vultu suo ferociam retineret, iussu eius in satis mitem carcerem est coniectus. Deinde cum duobus familiaribus in parvam insulam relegatus ibi tribus post mensibus ex pestilentia aeris vel (ut fama quoque fuit) veneno extinctus est. Socii partim in Gemonias conditi, partim centurionibus et prefectis bene meritis distributi.

Rex tanta audita clade eque et ducis et exercitus fortissimi 80 tristem casum ac miserum deploravit et iustitio indicto de ulciscendo tanto incommodo cogitare instituit. In Croatia plena omnia luctus et lamentationum fuerunt, cum alii patrem, alii filium, alii fratrem, alii alium lugerent, ut sibi quisque sanguine et amore coniunctus erat. Et, cum nemo extaret, qui aut populari- 81 tibus hostibus resisteret aut aliis publicis necessitatibus consuleret, magna iam rerum omnium inopia afflictabantur. Que mala 82 ut, quoquo modo possent, curarent, sese in provinciam, que inter Savam et Dravum sita est, retulerunt atque ita vim et impetum incursantium hostium evitarunt. Alexander pontifex maximus, 83 in cuius manu Baiazetis frater erat, Ungarica accepta clade permotus Baiazetem, ut Drenceni vite parceret, obsecravit.

Eodem anno legati Venetorum, cum ad regem venissent, ab 84 eo liberalissime atque honorificentissime habiti sunt. Hi prosperos 85 fortune accessus humanissime gratulati, cum vires ac facultates reipublice sue omnes pro rege regnique salute detulissent, regia iura in parte Dalmatie, quam ipsi ante armis occupatam possidebant, cumulate sibi remitti postulant; quam rem etsi non im- 86 petrarunt, renovato tamen antiquo federe amici discessere atque inde Poloniam transgressi ac regi Alberto novam dignitatis accessionem vetere civitatis exemplo gratulati antiquam cum Polonie regibus societatem instaurarunt. Post hos Epidauriorum 87 legati accessere, qui pro vetusto societatis et clientele iure de-

bitum Ungaris, ut patronis legitimis obsequii officium presterunt et aurea argenteaque magni pretii pocula dono cum annuis tributis attulerunt; nec minore animi propensione a rege accepti, sed magnificis contra donis exulti et equestri preterea dignitate ornati pristina societate redintegrata dimissi sunt.

Eadem hieme in concilio a nobilitate corona regia repetita est, quam ad eam diem Stephanus Syrmienis episcopus et Andreas Batoreus asservarant. Videbatur quippe multis indignum perpetuam eos sibi tante rei custodiam ascivisse magistratusque perpetuos parum libertati publice utiles aut commodos esse propter tyrannidis suspicionem dicebant. Eodem in concilio rex omnium prope pontificum et ex proceribus imprimis Stephani palatini paulo ante creati et Laurentii ducis, qui se cum palatino fraterno prope federe affinitateque coniunxerat, multorumque aliorum nobilium gravibus vocibus et acerbioribus querelis exagitationis atque conceptus est, quod belli iam pridem reique militaris memoriam et curam omnem deposuisset et in Budensi arce otiosus et iners se contineret neque ad bellum ullum vel regni vel dignitatis sue tuende causa procederet; nimirum aut ipsum in aciem esse cogendum aut, si id facere non posset, summam belli administrandam esse alteri permittendam. Hos autem sermones multi ob eam rem a principibus illatos interpretabantur, ut regem ab insita animi magnitudine deturbatum ac simulatione perterritum libidini magis sue obstrictum haberent ac prope sibi servire cogerent. Itaque non deerant, qui regis causam tuentes dicebant culpam esse non in regis ignaviam, sed in Ungarorum avaritiam et petulantiam transferendam; regem per biennium sevos hostium impetus fortiter excepisse seque ex iis, quantum per iniquitatem temporum licuit, summo consilio explicuisse; quid in tantis eum erarii difficultatibus reique nummarie angustiis proficere posse, cum nec tributa nec vectigalia imposita persolverentur, sed in privatum usum verterentur; nec legitimus copiarum numerus in bellum suppeditaretur, sed contra omnia vetustatis exempla semiplena omnia preberentur; neque vero obscurum esse, quorsum hec universa pertineant, scilicet, ut regia maiestate depressa multi regiam potestatem invadant et suam quisque imperii partem ad privatas rationes commodaque traducat; proinde regis auctoritatem contemnere et eius imperium ludificare desiderarent, ne, dum unum regem rite creatum atque calumniatum opprimere aut imminuere privatis incitati simultatibus aut propriis adducti commodis velint, impotentes tyrannos multos inducerent, libidinem imprimis et avaritiam, que omni bene constitute republice nocuisset; sic enim fore, ut odiis alendis fovendisque discordiis et animis inter se provincialium distrahendis et ab ipso capite avertendis brevi regnum vel intestino seditio num morbo corruptum vel externis hostium armis labefactatum rueret prorsus et interiret.

Hac autem disputatione rex, cum ad eum delata esset, gravissimo animo perturbatus subito senatum habuit ibique acerbis inimicorum conviciis in hunc modum respondit se per annum tantum et quidem invitum domi otium agitasse, quia pacato regno et veteribus hostibus sibi reconciliatis nulla res alia gerenda, quam Turcica superesset, quam ipsam se deficiente re pecuniaria (qua una bellorum rationes expediuntur et sustinentur) attingere ausum non esse; ex Ungaria enim vix se ad eam diem quadraginta milia nummum aureum percepisse, Bohemis autem vectigalibus non modo regiam, sed magna ex parte regnum sustinuisse; quare, si copie stipendiaque debita expediantur, nullum se vel fortunarum vel capitis periculum pro reipublice salute et dignitate recusaturum. Eo nimirum prudentis regis sententia et ratio pertinebat, ut omnibus, si ita opus esset, contumeliis perferendis importuna ante Ungarorum ingenia et distracta voluntatum studia nosset, quam ullum eorum libidini ac petulantie remedium adhiberet, cui malo ut maturius et consideratius subveniret, cum Alberto rege reliquisque fratribus consilium communicare constituit diemque per clandestinos nuncios ad colloquium certo condixit. Interea in concilio Bude multa decreta facit ac multa multis petentibus indulget, coronam vero ex arce Vicegradensi a custodibus repetitam Stephano palatino Thomeque Agriensi pontifici interposito iureiurando asservendam committit idque cum summe illorum auctoritati, tum explorete utriusque erga rempublicam fidei tribuit. Per eosdem dies legati a Maximiliano de rebus magnis, sed secretis ad regem venerunt, quibus celeriter expeditis statim Agriensis episcopus princeps senatus et Nicolaus Bamffii, vir gravissimus ad Maximilianum Viennam missi sunt partim, ut privati officii causa Augustalibus Friderici mortui exequiis interessent, partim, ut regia mandata secretiora peragerent. Neque ita multo post eadem hieme illustres Maximiliani et Blance Mediolanensis nuptie celebrate sunt.

Vixdum dimissum concilium erat, cum Stephanus palatinus, qui ius loco pretoris universo regno dicebat et iudiciis omnibus preerat, corona regia cum Agriensi collega potitus preter omnium opinionem et contra suam dignitatem animum rebus novis intendit. Inter palatini oppida Corvini ducis castellum erat, quod Sombor appellabant, in excelso admodum colle situm non tam arte, quam natura ipsa munitum, cuius potiundi mira palatinus iam pridem cupiditate flagrabat vel vectigalium et portoriorum magnitudine et pagorum suorum presidio adductus vel certe, ne oborto aliquando bello magnis inde afficeretur incommodis, metu maxime perturbatus. Itaque, cum castellum aut vi, aut fraude occupare constituisset, primum cum prefecto eius homine, ut res ipsa docuit, levissimo agit magnaue eum pecunia et ingentibus promissis onerat, si sibi castellum, quacunque ratione possit, tradat. Quibus ille premiis excitatus, cum successorem sibi propediem venturum cognovisset, consilium capit arcem sine

munitione, commeatu armisque relinquere, ut se inde profecto oppidani rerum ad defensionis usum idonearum difficultate atque inopia pressi continuo sese imperio palatini dedere cogerentur. Itaque tormenta aenea alia humi infodit, alia ferreis clavis configit, puteos pecorum ingestis cadaveribus inficit resque omnes, que ad victum opus sint, diligenter aut dissipat aut corrumpit. Quibus rebus effectis ac palatino, quo res loco esset et quid opus facto esset, edocto traditoque successori castello palatinus repente, ut convenerat, iusto cum exercitu se ostendit atque castellum acriter obsidere instituit. Durissima vero hieme observata, qua Corvinus absens in Illyrico subsidio suis mature venire non poterat, turrets ex materia et terra egesta circumagit et, ne quid efferri inferrire possit, vallo fossaque perpetua castellum obducit, vicinis vero, nisi pro hostibus haberi velint, ne quod obsessis auxilium ferant, aperte denunciat. Qua re cognita rex mirabundus palatinum quam primum ab obsessione castelli recedere iubet eumque, ut, si quid fortasse cum Corvino controversie habeat, de ea iudicio potius, quam armis experiri velit, hortatur neque enim decere eum, qui ius aliis dicat, vim aut iniuriam cuiquam inferre aut ullum hominibus maledicendi sibi locum facultatemque relinquere. Palatinus autem, cum regie se obsecurum auctoritati dixisset, haudquaquam tamen a cepto opere destitit, sed in suscepto obsessionis consilio omni regis imperio spreto perseveravit. Que res mirabiliter regis patrumque animos perculit veritos, ne palatini exemplo optimatum haudquaquam reipublice utilis audacia ad similia edenda facinora incitaretur, que plus iusto in dies iam prevalente licentia inferendis iniuriis adaugebatur. Itaque, cum obsessos iam acrius premi atque omnium rerum difficultate conflictari rex audiret, palatinum iterum, ut fame sue et honori multis rebus preclare ante gestis parto consuleret, admonuit eumque, ut ab eiusmodi armis recederet, obscuravit. Ad que ille non ante responsum reddidit, quam cum oppidanis de oppidi deditioe transegit. Itaque legatis regiis cum superbo et contumaci responso dimissis ac protinus castello in deditioem accepto iustum regis atque omnium bonorum in se odium atque invidiam concitavit.

Eodem tempore Luca Canadiensi episcopo, quod questoris (quem thesaurarium vocant) munus parum integra fide per biennium obiisset, magistratu abire iusso Sigismundus Quinqueecclesiensis antistes regis et senatus precibus impulsus, vir ea tempestate divitiis clarissimus munus illud reipublice causa suscepit. Ladislaus autem Gerebus Mathie regis consobrinus, pontifex Transylvanus rege cum senatu ac universo procerum comitatu convivio imprimis splendido excepto atque argenteo poculo insane magnitudinis et equis perniciosibus ac desultoriis nonnullisque aliis muneribus, que nummorum aureum quattuor milibus censebantur, rege donato non tam nova muneris magnitudine, quam grato officii genere mirifice omnium sibi studia vo-

Iuntesque devinxit. Hippolytus autem Estensis metropolita Strigoniensis et Fridericus Casimiri regis filius et regis Vladislai frater, vir non generis solum splendore, sed morum etiam sanctitate memorandus in numerum cardinalium ab Alexandro VI. pontifice maximo summa omnium gratulatione relati sunt. Ferdinandoque Neapolitano rege vita functo Alfonsus filius eius natus maximus omnium regnum excepit.

Sequitur inde annus nobili inter omnes ferme Christianos principes federe percusso insignis, quo Carolus VIII. rex Gallorum cum Maximiliano in gratiam rediit et cum Hispanie rege Ferdinando reddito Perpenniano finitimaque Roncilioni provincia pacem inivit, qua eadem se Britannie insule rex ceterique Occidentis principes obstrinxere; bello vero omnium maximo post in Italia repente excitato clarissimus, quod Galli adversus Alphonsum Neapolitanum regem intulerunt, magna in Oceano Lygusticoque mari classe constructa et numerosis equitum peditumque copiis contractis et Mediolani Ferrarieque regulis in societatem adscitis et Carolo ipso rege adolescente in eam spem excitato fore, ut avito recuperato regno Turcorum imperatorem, cuius infestis sepe armis et excursionibus Italia finitimeque provincie divexate fuissent, bello persecutus suis ipsum finibus continere compelleret.

Iam Nitriensis antistes, quem rex ad Ferdinandum Neapolitanum regem Alexandrumque pontificem legatum de Beatricis nuptiis miserat (convento utroque et regis nomine exposito regem sororis amantissime loco Beatricem habiturum eamque oppidis bonisque suis frui ab omni intactam iniuria concessurum, at contra leges Bohemorum et voluntates Ungarorum nequaquam eam in matrimonio habiturum), ex legatione reverterat. Eius rei causa Nonis Martiis Ursus Ursinus legatus a pontifice ad regem missus est, ut, postquam propositis solemnibus peccatorum expiationibus Christianos ad arma adversus Turcos capienda concitasset, regias etiam cum Beatrice nuptias pro virili parte conciliaret. Qui rem aggressus ex omni parte difficilem, ubi reluctantem regis animum procerumque aversas ab ea re voluntates et veram mulieris, que iactabatur, sterilitatem prospexit, non ultra sibi conandum, sed regem admonitionibus potius, quam nuptiis flectendum ratus (sic enim a pontifice mandatum habebat) inde recessit et in itinere moriens apud Villacum in Noricis sepelitur.

Eadem hieme supremo frequentique conventu, quas octavas appellat, rege et cuncto senatu pro tribunali sedente et controversias cognoscente multa ab adolescente Corvino oppida, quibus a patre donatus fuerat, antiqui possessores non sine magno multorum dolore ac prope misericordia postularunt. Vere autem appetente finitime Turcorum regiones magno e nostris incommodo Pauli maxime Kinisii consilio atque industria conflictate sunt. Is enim in eam cogitationem dies noctesque intentus, ut superiorem a Turcis cladem ultus afflictosque nimium ac debili-

tatos nostrorum animos excitaret et tristem preteritorum damno-
rum memoriam recentis alicuius insignis victoriae gloria prorsus
obrueret, in fines Turcorum abeunte iam hieme cum decem mili-
bus equitum rege turmas submittente populabundus invasit ducto-
que praeter Danubii ripam exercitu infra Sinderoviam per astrictum
adhuc praeter alta glacie flumen tria milia expeditorum equitum ad
vastandam Mysiam ire iussit; ipse in riparum commoditate reliquo 129
exercitu subsistens, quod sevitia frigoris vere iam imminente lan-
guesceret currusque onerati haud satis tuto iam trahi per glaciem
fluminis possent, castris locum munivit; equites autem per provin- 130,
ciam effusi subito sese ad duo proxima Alibechi prefecti castella,
ubi ingentes Turcorum predas asservari audierant, contulerunt,
quodque opulentius erat et in quo Alibechi filii uxorque cum con-
cubinis esse dicebantur, id prius adorti adeo hostem latuerunt,
ut prius fossam vallumque superarint, quam oppidani spatium ad
arma adversus subeuntem Ungarum capienda nancisci potue-
runt. Dum autem trepidatione intus exorta presidium per menia 131
diffusum succedentes iam undique nostros summa ope e muro
devolvere precipitesque turbare conatur, quidam Croatus eximie
fortitudinis virtutisque per omnia secula memorabilis vir murum ad-
versus infestos omnium conatus ascendit et, quanquam vigintiquin-
que vulneribus affectus presidium de munitionibus deiecit et suc-
cedentibus impigre sociis muri partem defensoribus vacuum tradit.
Quo tumultu omnibus in oppido perturbatis Alibechi filii sibi 132
rebusque suis diffisi per posteriorem oppidi partem elapsi in
propinquum castellum alterum se recipiunt. Ita nostri presidariis 133
omnibus trucidatis castellum avide occupant ac spoliolum predarumque
promptuaria, que dicebantur, diripiunt, oppidanos Christi-
ane ritum pietatis, quanquam Greca superstitione colentes mi-
tius humaniusque tractant castelloque illo accenso ad alterum vix
refectis corporibus et coacta preda incitato cursu contendunt atque
eius paucorum in iactura equitum haud egre potiti comburunt.

Quibus rebus cognitis Paulus duo milia equitum auxilio 134
summisit, ut victores latius vagarentur et longius predando va-
standoque progredierentur. Itaque finitimis omnibus duorum 135
incendio castellorum etiam proprio imminente periculo exanimatis
facile ad quinquaginta milia passuum nemine prohibente venire;
incendio rapinisque omnia miscuerunt. Preda ingens coacta,
Roxiane terre incole omnes cum coniugibus et liberis et armentis 136
abducti, pecuniarum, quas quotidianis diurne militie stipendiis
coacervarant, vis ingens egesta, argentea aureaque vasa permulta,
vestes Persice, gemmati calices, pretiosa supellex asportata, inter
que Ladislai regis candelabra ex argento fabrefacta, que succenso
Varadino regnante Mathia Alibechus per incursionem abstulerat,
quod ad memoriam posteritatis insigne fuit, eodem, quo ablata
fuerant, die recuperata. Omnes cis Danubium incolomes Pauli in 137
castra se retulerunt. Postero autem die Alibechus ad horum detri-
mentorum nuncium percussus cum octo milium exercitu in Danubii

ulteriore ripa diligenter nostrorum insistens vestigiis se ostendit, sed flumen ipsum vapore solis iam resoluta glacie traicere nequivit. Itaque magna tum prede recuperande, tum ulciscendi, quod 138 optabat, hostis spe repente depulsus in eum dolorem furoremque provectus est, ut inspectantibus omnibus barbam sepe dilacerarit et manus momorderit et dentibus infrendens deos deasque omnes superba quadam omnium numinum despicientia execratus sit. Que cum nostri ex altera ripa iam in tuto collocati conspicerent, 129 incredibili ex prospero aridentis aliquando fortune successu letitia acrioribus in barbaros vocibus insultabant et se graviora multo, ni quiescerent, illaturos eis detrimenta significabant. Inde 140 reducto Themesvarum exercitu Paulus opime militibus prede partem divisit, partem aliis, quorum beneficio parta erat, qua erat pietate peditus, consecravit.

His rebus Budam nunciatis rex letus supplicationibus indictis primum gratias diis agendas putavit, deinde Croatum, qui 141 insigne in muris fortitudinis exemplum ediderat, murali corona ducentisque aureis nummis purpureaque veste donavit et, ut regnum ad perpetuam pacem tranquillitatemque redigeret et superioris ignominie labe deleta maiorum glorie gestarum rerum magnitudine responderet, maiores inde res animo agitare ac spe bona tacitus concipere instituit.

Paulus autem, cum presidiarios milites de Alba Greca Turcis prodenda consilia habuisse audisset, manibus continuo eius principibus coniurationis iniectis nefarium per cruciatum scelus confessos acerbissimo atque, haud scio, an alias unquam audito supplicii generè omnes affectit, quippe in carcerem fedissimum conditos singulis diebus eorum singulos hedorum in modum veru prefixos et ad ignem diligenter assatos sociis vescendos apposuit identidem ad indignum cruciatum asperitate convicii cumulandum, ut proditorum caro ad palatum responderet, interrogans; novissimum autem eorum nemine omnium extante, cui ipse cibus apponeretur, lenta inedia cibique necessarij subtractione confecit. Exinde VI. Id. Mart. rex consilio regulis omnibus et fratribus 144 colloquio Leuchoviam indicto cum episcopis et proceribus Cassoviam versus proficiscitur Bude Sigismundo Quinqueecclesiensi et Stephano Syrmiensi episcopis cum Blasio arcis prefecto relictis, ut se absente civitatem regni caput administrarent. Stephanus, qui 145 pro rege ius dicebat preturamque iuste ac sancte gerebat, paucis post diebus Non. Aprilis exitiali morbo oppressus interiit, cum omnes fortunas suas pauperibus Christianis ecclesiisque legasset usque adeo, ut vix sibi, quantum ad funus parandum familiamque dimittendam satis esset, reliquisset. In eius locum regis auctoritate 146 et senatusconsulto paucis post diebus Dominicus prepositus Albensis est subrogatus, vir integritate vite, singulari iustitia et magno rerum gerendarum usu insignis atque is Bude iurisdictioni una cum Blasio per regis absentiam preluit.

Absente autem rege graviora et memoratu digna aliquot incommoda accidere. Nam Laurentium cognomento Magnum, virum pugnacem ac fortem ob controversiam inter ipsum et socerum suum natam in villa eius, que in Pestano agro sita erat, soceri frater ope familiarium adeo immaniter et misere obruncavit, ut uxor eius tenella se e tumultu propriens cum interiore tantum tunica Budam timore exanimata confugeret; bona eius severissime in publicum redacta et fisco adiudicata sunt. 147

Osvaldus autem Zagrabiensis episcopus, qui post regis discessum in Illyricum se receperat, castella episcopatus a Corvino duce occupata (quippe que a Germanis paulo ante receperat) bello recuperare contendit nimirum opportuna Corvini, qui apud Kinisium erat, absentia invitatus. Quare Rochonico obsessio et capto arma inde ad alia oppida militibus, quos e Germania evocarat, crudelissime se gerentibus transtulit. Corvinus tante rei nuncio consternatus nulla interposita mora omnes fere inferioris Ungarie copias permittente Kinisio cogit et Laurentio duce, priore Aurane et Kishorwatho et aliis nonnullis ad se cum equitatu suo traductis in Zagrabiensem profectus agrum omnia, quecunque fuerant, interpositis condicionibus recipit et Osvaldi exercitu, qui trium milium numerum explebat, profligato omnes episcopatus villas incendit neque agris neque incolis ullis, quamquam innocentibus parcat. Ladislaus autem Canisai, qui provincie cum imperio preerat, ut tanti belli incendium extingueret, quo multas regiones facile conflagraturas non inani ductus coniectura prospiciebat, Corvino castellum ab Osvaldo receptum ipso non repugnante Osvaldo restituit et iis inter se reconciliatis, qui prior a pactis et a federe recessisset, is ut maiestatis reus esset, edicto sarxit. 148

LIBER IV.

Dum rex Leuchoviam, quo proceribus regulisque conventum indixerat et Albertum Polonie regem fratresque alios invitarat, ire pergat, per Agriensem agrum iter faciens a pontifice Thoma honorifice pro utriusque dignitate suscipitur. Inde Cassoviam cum venisset atque eodem mox universi principes accessissent uno Laurentio duce excepto, qui superbe regis imperium inani quadam inflatus arrogantia detrectavit, ibi fratres, quos satis mature (quippe longa ac difficilia emensuros itinera) advenire non posse prospiciebat, sibi expectandos putavit. Legatis autem Hippolyti Strigoniensis archiepiscopi, qui paulo ante cardinalis designatus erat, petentibus, ut Hippolyto in Itajiam ire atque pontificem maximum apostolicumque senatum de more convenire liceret, ad id muneris octo mensium spatium egre permisit. Inde audito fratres iam Ungarie appropinquare Leuchoviam per Eperyes, Cibinum et Scepusium iter ingressus apud Saros castellum, quod inter Cibinum et Eperyes in edito monte situm interiacet, magnifico imprimis apparatu cum toto pontificum ac

procerum comitatu a palatino suscipitur parique ab eodem liberalitate in Scepusiensi arce quinque milibus passuum a Leuchovia distante tractatur. Ubi vero Leuchoviam venit, omni in eam 5 curam animo incumbere cepit, ut fratres et sororis virum ducem Brandeburgensem, quos multos ante annos non viderat, quam honorificentissime posset, acciperet; quam ad rem insignis quoque 6 palatini liberalitas non levissimo auxilio fuit, qui ad eos honores, quos regi per oppida sua iter capessenti habuerat, Leuchovie quoque novos adiunxit, cum regi ducentos vini cados, pontificibus et optimatibus centum dono misisset ac piscium cuiusque generis summam copiam ac boum, vitulorum, hordei et annone magnum omnibus numeram (eodem Bohemos, quo Ungaros, prosecutus amore vel officio) ministrasset, ex quo, cum paulo post ad conventum veniret, mirifico ab omnibus honore exceptus est. Regis inde iussu Ioanne Ernesto curante hospitia Polonis 7 eximio apparatu instructa, vestes, lecti, abaci magni pretii et operis mirifici sunt expositi, culine in foro disposite et singulis dispensatores singuli attributi nullumque omnino a rege officium, quod ad cohonestandum illustrissimum Germanorum adventum pertineret, est pretermissum. Palatinus, cum Albertum propediem 8 accessurum sentiret, acerbum eius odium superiore Polonico bello in se conceptum simulque offensum regis ab occupatis Corvini castellis animum extimescens impetrato a rege comiteatu e conventu recessit.

Polonis longa propter intumescentes ex assiduis imbribus amnes in itinere, tracta mora, desidentibus tandem fluviis tridui abesse itinere nunciatis rex ad patres de illorum adventu excipiendo retulit. Eam vero difficultatem res offerebat, utrum 10 Polonis hospitibus cum validissimo atque ornatissimo equitatu venientibus armatos, an inermes occurrere Ungaros equum esset. Erant, qui armatis armatos obviam ire oportere censerent, ne se temere firmissimo Polonorum equitatu acerriimo paulo ante hosti obicerent; libidinem enim dommandi perpetuam omnium parentem scelerum merito debere semper esse suspectam neque nimiam in rege cautionem ac diligentiam aliquando fuisse vituperatam; 12 contra aliqui ad clementiorem sententiam traducti pravi nihil atque atrocis a tam coniunctis inter se fratribus esse timendum, immo ne maligne quidem suspicionis signum ullum eis afferendum censebant; hominibus exteris, qui tam longum ac periculosum iter ingressi ad se venirent, licere arma ferre, sibi vero ex propriis penatibus honoris causa obviam ad exiguum vie spatium exeuntibus sine armis omnia comitatis, humanitatis fideique officia diligenter esse prestanda. Atque hec quidem sententia obtinuit, ut ornato quidem, sed tamen inermi cum agmine Polonis obviam prodiretur.

Itaque conducto a rege die episcopi fere omnes et Petrus 15 Coiociensis archiepiscopus et regni proceres certatim egregio omnes in speciem cultu instructi affuerunt; ex pontificum autem 16

ordine Thomas Agriensis maxime conspicuus erat, quod cum prestantissimo cataphractorum equitatu et cum magno puerorum comitatu accesserat, quos unionibus gemmatisque torquibus et palliis aureis mirabilem in modum exultos equis eximie frenatis ac phaleratis imposuerat. Itaque longo cum rege ordine adventanti Alberto urbe obviam egressi cum lento gradu ad quintum usque lapidem processissent, rex ex opposito monte descendentem conspicatus Albertum proceribus ibi subsistere iussis ipse cum duodecim equitibus citatiore pre nimia letitia gradu profectus est et, quoriam quadrato Polonis agmine precedentibus Albertum cum fratribus in medio ante novissimum agmen incedere vidit, ipse per transversum tramitem properans a latere se in eorum ex improvviso conspectum dedit. Ibi comiter salute ultro citroque dicta omnes ex equis subito descendentes mutuis se amplexibus implicantes osculis aliquantis per heserunt.

Reges autem verba facere cupientes suavi quodam fletu ex nimia gratulatione ulterioribus scilicet inusitato gaudio sensibus occupatis impediende magno interim plausu milites cum regibus animorum gratulatione certantes has sepe voces ingeminarunt: Fauste Polonie dominis feliciter, Wladislao et Alberto regibus feliciter, sacrosancto cardinali Fridericho, Alexandro et Sigismundo feliciter, Ungarie, Polonie Bohemieque feliciter; eterna pax et concordia hec tria regna tueatur et societas inviolata permaneat. Resipiscentibus inde aliquantulum ex concepta animi voluptate sensibus ac sepe redintegratis amplexibus et initio colloquendi facto reges equos ascenderunt et ad eum locum, ubi Wladislaus Ungarorum principes subsidere iusserat, processerunt. Illis ex equis subito, ut Albertum fratresque venerarentur, digredientibus Wladislaus ad Albertum conversus, Ecce, inquit, fratres, nostri vestrique Ungari. Nec mora: Albertus fratresque de equis se deicientes manus venerantibus Ungaris pontificibus et proceribus porrigunt et maxima omnes comitate excipiunt; inde in equos resilientes duo reges duoque exercitus, qui durissimo inter se paulo ante bello armati conflixerant, iunctis mixtisque mire concordibus agminibus togatus unus, sagatus alter gratulantibus cunctis omnibusque locis vocum, tubarum aeneorumque tintinnabulorum sonitu ad publicam significandam letitiam perstreptibus Leuchoviam pervenerunt. Ibi Wladislaus Alberto fratribusque in hospitium, quod eis erat in foro paratum, perductis ipse in alterum e regione recessit ac deinde sua cuique principi assignavit. Alberti fratrumque hospitibus continuatis edibus ita disposita fuerunt, ut perforatis parietibus facile inter se convenire et ignaris omnibus ad arbitrium colloqui possent.

Conventu inito quinqueviri ab utraque parte ad componendas discordias inter Ungaros et Polonos ex superiore bello natas creati sunt. Huic rei expediende magna obiciebatur difficultas, quod absente palatino, cuius universa erat iurisdictio, nihil omnino decerni aut transigi poterat, ille vero adesse sine diplo-

mate fidei ab Alberto fratribusque date nolebat; Albertus autem de diplomate rogatus, cum respondisset maiores suos nunquam, nisi verbo incolumitatem alteri prestitisse neque se ab eorum exemplo tradito velle discedere, tandem Wladislai et optimatum precibus exoratus dixit, quidquid ab Wladislao fratre ultro palatino de vite incolumitate promissum esset, id se fratresque suos cum Polonis omnibus fide integerrima servaturos. Ita palatinus primum a rege de prestita securitatis fide litteris acceptis et deinde ab Agriensi episcopo homine sibi coniunctissimo et viro summa auctoritate predito et tunc moderatore rerum omnium symbolo incolumitatis accepto cum maximo gravis et levis armature equitatus comitatu Leuchoviam occursum omnium principum Ungarorum exceptus accessit ac maximam comiteus omnium generis copiam post se advexit. Que in foro longo ordine exposita, cum omnium aliquantulum ora aspectantium defixisset, subito ad arbitrium regis hospitibus Polonis est distributa et postero die ab Wladislao ad Albertum deductus mirificam eius erga se facilitatem incredibilemque humanitatem expertus est.

Inde cognoscendis iudicandisque controversiis opera dari cepta regibus alia ad quinquevirum iudicum reiciendis, alia suo arbitrio reservantibus. Quinqueviris autem sepe sententiarum inter se contentione certantibus placitum est, ut res omnes ad regum, cardinalis Agriensis episcopi palatinique iudicium deferrentur. Reges interea sepe horas quinque integras soli remotis arbitris omnibus adeo secreto inter se collocuti sunt, ut nemo, quid tacita eorum colloquia coquerent, perspicere, nisi coniectura posset. De concordia tamen et mutuis auxiliis, quibus ambo regna sua deletis inimicorum opibus confirmarent, sermones contulisse vulgo creditum est. Brandenburgensem certe ducem, qui sororem eorum in matrimonio habebat, non eos solum ad pacem et concordiam hortatum esse, sed palam se ei inimicum futurum denunciasset, per quem stetisset, ne inita concordia eterna esset.

Hinc publice hilaritatis causa magnifica multa convivia apparatusque ludii editi, in quibus etiam fuit, ut Ungari et Bohemi cum Polonis infestis contra se hastilibus in vere pugne speciem concurrerent, ex quibus nobilissimi Ungari aliquot, qui se strenue gesserant (ut Georgius Bathoreus et Gabriel Perenii filius), magnifica a rege premia retulerunt. Memorabile illud, cum se Polonorum et Ungarorum principum quisque gemmis certatim et margaritis ad inanem divitiarum ostentationem ornaret ac Polonus quidam se totum pretiosissimis aliquando unguibus onerasset, palatinus, qui per eos dies nullum gestamen unquam tulit, quod non minimum tribus nummum aureum milibus censeretur, quasi a Polono provocatus e vestigio lapidem adeo pretiosum exposuit, ut ad primum eius aspectum Polonus se victum confessus gemmatam illam vestem, qua se oculos Ungarorum perstricturnm esse putarat, exuerit.

His rebus confectis Fridericus cardinalis regum fratrum rogatu sacris magna pompa ceremoniaque patratis deum pro

utriusque regni et regum populorumque amborum incolumitate oravit. Quo spectaculo nullum aliud nobilius augustiusque esse potuit, vel si sacerdotem operantem intuereris regium iuvenem omnibus et corporis et animi muneribus, que a natura conferri possunt, longe ceteros excellentem, vel si sacri ipsius rationem spectares, in quo duobus maximis assistentibus regibus duobusque prestantissimis audientibus populis vota publice pro utrorumque concordia sanctissima nuncupata sunt.

Cum autem per mensem ferme ibi fuissent multaque res causam conventui dirimendo afferrent, tum Wladislaus fratres omnes in secretum adductos in hunc modum est allocutus: Si meo mihi arbitrio, charissimi fratres, vitam hanc ducere liceret, nihil equidem iucundius statuerem, quam vobiscum in eadem domo atque apud eosdem penates diu familiarissime vivere, sed, quoniam res ita tulit, ut ad regendos gubernandosque populos terrarum longe spatiis vocati distraheremur, provincie sue quisque preesse non ex nostra, sed ex dei iudicio et voluntate debemus. Equidem paucorum horum dierum, quos una fuimus, voluptatem vere possum cum divina illa beatorum condicione conferre, quippe qui adolescens ad Bohemie regnum evocatus et magnis difficultatibus iactatus a vestro parentumque dulcissimo conspectu semper abfuerim, quorum dierum brevem fructum quoniam sepius vobis presentibus usurpare non licet, reliquum est, ut incommodam absentie nostre iacturam quotidiana fraterne charitatis memoria sarciamus et, quod opes nostre ferent, mutuis imperia ac regna nostra auxiliis tueamur, quibus divino munere a septentrionali Oceano usque ad mare Adriaticum imperamus. Hinc, cum alia precipue ad Albertum conversus de matre fratribusque pie fovendis addidisset, finem dicendi fecit.

Ad hec Albertus, cum alacri animo se nullo unquam erga illum officio defuturum et maiestatem eius omnibus viribus defensorum ceteraque, que presentis suppeditabat sermonis occasio, respondisset, amice et liberaliter ab Wladislao donis excultus dimissus est. Dona vero fuere gemmata decem inusitate magnitudinis et mirifici operis et preter purpureas aureasque vestes equi decem eximie pulchritudinis ac celeritate, frenis phalerisque aureis et gemmatis ephippiis exornati octoque alii, quos cardinali, et sex, quos Sigismundo, totidem, quos Brandenburgensi una cum magnificis multis vestibus impertivit. Quibus rebus ex ordine administratis rex abeuntes omnes eodem, quo exceperat, comitatus cultu (ad quattuordecim equitum milia fuisse dicuntur) ad tertium usque lapidem prosecutus dimisit Nicolao Banffii, qui eos officii gratia ad vespertinum hospitium deduceret, cum sexcentis equitibus misso. Inde frequentissimo conventu soluto Leuchovia Cassoviam reversus cum provinciam universam perlustare in animo haberet, Sigismundum Quinqueecclesiensem antistitem, quem questorem Bude iuri dicundo proficiscens preceperat, ad se accersit, ut eius potissimum consilio ad gravissima,

quibus affectam esse provinciam noverat, sananda vulnera uteretur. Quo factum est, ut Cassovia Varadinum atque inde in Transylvaniam, quam pravis usque ad exitum lacerari partim studiis audierat, se contulerit.

His diebus fama divulgatur Gallos Alpes in Italiam traicere incipientes; quadringentos iam ad Astam equites premisisse et ad Genuam et Rhodani ostia ingentem classem comparatam habere; Alexandrum pontificem Ostie oppidum occupasse et Iulianum cardinalem, qui relicto pontifice ad Caroli partes accesserat, clam Ostia Genuam profugisse; pontificem, qui a principio non modo Caroli rebus favere, sed eum quoque ad hanc contentionem adduxisse putabatur, iam mutata voluntate cum Alphonso rege Florentinisque se coniunxisse et coronato Alphonso filiam eius ex concubina natam uxorem filio suo despondisse. Neque vero hi rumores inanes irritique fuerunt, nam paulo post Carolus Ludovico Sfortia Mediolanensium preside et Hercule Ferrariensi duce favente superatis Alpibus cum sexaginta milibus hominum Italiam penetravit; Alphonsus autem, qui ingentem terra marique belli apparatus confecisse dicebatur, triremes octo cum aliquo pedatus numero in litore Ligustico amisit. Carolus, cum per Italiam iter capesseret, ne a tergo Itolorum insidiis premeretur, Ticini, Florentie et Luce arcibus, quas obsidum loco sibi dari contendit, presidia Gallorum imposuit et mutui nomine a liberis civitatibus pecunie numerum magnam exegit, Florentie vero susceptus Mediceos (qui paucorum potentia subnixa in ea civitate tyrannidem occuparant) urbe exegit. Alcamius cardinalis Lodovici Sfortie frater, cum ad Gallum a pontifice descivisset, per dolum Ostiam occupavit.

Abente autem Augusto regii questoris procuratores aliquot cum imposita tributa exigere vellent, haud procul Albam in Laurentii ducis pago iussu eius occisi sunt. Quanquam maiestatem suam imminutam rex videbat, tamen, quoniam in Transylvaniam properabat, eius cognitionem et animadversionem in aliud tempus sibi differendam existimavit. Turci autem, cum castellum edito in loco situm, quod defensoribus vacuum esse audierant, occupassent, variis excursionibus totam provinciam infestare maiore iam subnixa audacia instituerant. Itaque Albam Grecam, quam ducentorum tantum militum presidio custodiri perceperant, ex improvise adorti septem signis iam in montibus collocatis facile in potestatem redegerunt, ni Pauli Kinisii prefectus a Themesvaro propere cum instructa legione profectus eos a menibus acerrime detraxisset atque a Syrmieni agro, cui iam iam imminebant, abstinere coegisset. Illi vero, cum preter Savum iter instituissent, ut locum invenirent, quo flumen commode vadarent, ad D. Demetrium Laurentii ducis castellum nullo prohibente transgressi sunt, cum incendiis rapinisque eam omnem oram vastassent atque homines, iumenta, supellectilem omnis generis abduxissent, idque insigne Laurentii ducis potissimum

erga regem regnumque perfidia, cuius illi villis etiam omnibus pepercisse dicuntur, quas ex notis quibusdam signis, ut cucurbitis lacerisque mappis apposis cognoverint. Quin etiam tempus maxime idoneum nacti, quod et rex in Transylvanie finibus aberat et perpetua sex mensium siccitas omnes prope amnes, qui Ungarie propugnacula sunt, ita exhauserat, ut multis in locis facile traiici vado possent, per totum Octobrem mensem populationes atque incendia usque ad Petoviam perduxerunt. Inde Dravo ad Petoviam traiecto et magnis detrimentis illatis hominum ad septem milia abduxerunt. Post autem metu, ne intumescens sub imminentem hiemem omnibus aquis intercluderentur, ad Savum regressi, quicunque aut etatis aut corporis imbecillitate languoreque sequi non potuerunt, eis capita in ripa fluminis detruncarunt atque in Croatiam crebris incursionibus iam prope desertam illapsi complures redeundo pueros fame laboreque enectos in sepes immaniter abiecere. Paulo vero ante, cum traiecto inferiore loco Savo in Posegam, regionem vini feracissimam et amenissimam et multis pagis et castellis oppidisque plurimis frequentissimam penetrassent, magnam inde predam abegerant.

Iisdem mensibus Tyrnavie Iudei quidam, cum se diro atque immani quodam scelere obstrinxissent, meritum sane supplicium invenerunt. Duodecim viri cum duabus mulieribus ingenuum adolescentem Christianum occulte captum atque in proximas edes abductum obstructis repente faucibus misere strangularant et adapertis venis sanguinem eius, dum animam sensim et singultim efflaret, partim absorbuerunt, partim aliis asservarunt, corpus autem in partes dissectum membratim humi defoderant. Cum adolescens diu a parentibus quesitus nusquam appareret satisque constaret eum pridie in vico Iudeorum versatum haud postea fuisse conspectum, legitima in Iudeos questio constituitur. Lictores in eorum edes immissi deprehenis recentibus cruoris notis dominum cum tota familia comprehendunt; in questionem abrepte mulieres metu tormentorum adacte totam facinoris indignissimi seriem confitentur; quarum testimonio convicti reliqui palatini iussu, qui prefectus urbis erat, omnes magno ad id excitato in foro incendio conflagrarunt, alii, qui minus videbantur obnoxii, magno pecunie numero sunt multati. Cum autem e senibus causas tanti patrandi facinoris per tormentorum cruciatum eruerent, quattuor eas esse reperiebant, quibus Tyrnavie tum et alias sepe in aliis regionibus esse Iudei flagitio astrinxissent; unam, quod ita maiorum auctoritate persuasum haberent Christiani hominis sanguinem preputiis in circumcissione appositum sistendo sanguini opportunum esse remedium; alteram, quod eundem ad conciliandum inter se amorem plurimum valere in cibo datum existimarent; tertiam, quod, cum viri ac mulieres eque apud eos fluxu menstrui laborarent, sanguinem hominis Christiani epotum idoneam ad id morbi esse medicinam experti erant; quartam, ut vetus apud se, sed reconditum decretum exequerentur, quo quotidianis sacrificiis in aliqua regione

Christianum deo sanguinem libare coguntur, quo factum esse dictitabant, ut in eum annum ea sors Iudeis Tyrnaviensibus obtigisset. Hec omnia salutis anno quadingentesimo nonagesimo quarto supra millesimum incommoda contigerunt. 73

Dum rex aut Leuchovie conventum peregit aut eo dimisso in Transylvania fuit, quibus ille malis obsistere non potuit partim remotis locorum intervallis exclusus, cum in extrema iam Dacie parte versaretur ac Turci regnum a superioris Mysie Bosseneque finibus infestarent, partim regularum quorundam intemperantia prepeditus, qui regia auctoritate contempta, quacunque ratione vires opesque regis frangi ac debilitari, quo ipsi licentius dominerentur, optabant. Non minimum etiam momentum in pecuniarum penuria fuit positum, quare exercitus mature comparari et adversus hostes in tempore adduci non potuerunt. Transylvaniam autem, cum provincia opulentissima esset ac intestinis seditionibus agitata debita sibi vectigalia pendere recusaret, rex idoneo sibi maxime tempore compositis publicis privatisque Ungarie rebus invisendam putarat, ut ea pacata presentem inde rei nummarie difficultatem veteribus pensionibus exigendis aliqua ex parte levaret. Duo ibi ius dixerant prefecti Bartholomeus Dragffii et Ladislaus Lossontius, quin, ut diverso inter se erant ingenio, sic diversam in iure dicundo rationem secuti atque propterea apud omnes contempti non veteres solum factiones aluerant, sed novas etiam alias excitarant. Unde feda quedam in potentioribus latrocinandi rapiendique libido, quod id impune omnibus liceret, erat exorta. Quibus detrimentis ut mederetur, rex Ladislao ad magistri honorem evecto Bartholomeum solum in prefectura retinuit ratus, si penes unum iurisdictio esset, eum commodius animadvertendi severitate pravam ipsam peccandi licentiam repressurum. Idque Bartholomeus mox latronibus et sicariis omnibus aut palis ligneis infigendis aut in crucem agendis aut igne comburendis aut capite multandis facile ex regis sententia consecutus est. 74 75 76 78

Inde sexaginta milibus nummum a Transylvanis exactis iustoque apud eos exercitu comparato rex in inferioribus Ungarie fines Themesvarum compositis iam (ut quidam in presens potuit) Transylvanie rebus concessit eo consilio, ut iustis contractis copiis Turcicas incursiones ulcisceretur et Syrmensi agro et Illyricis Croatiaeque rebus afflictis iam prope ac perditis opem ferret, quam regionem intestinis odiis et perfidia exitiabili iam iam precipitem ad exitium ruituram videbat. Paulus enim ex pristina severitate multum remiserat sive, quod nova societate, qua se cum multis proceribus occulte devinxerat, aperte eorum cupiditatibus obviam ire non auderet, sive, quod apoplexie vi, qua superiore anno correptus fuerat, una cum corporis viribus animi ferociam amisisset, cum sermonis et lingue usu prepedito nutibus et gestibus animi sui sensa tantum exprimeret et vix familiaribus summam sententiae suae notam facere posset. Regem cum Agriensi, Quinqueecclesiensi et Varadiensi episcopis et Bartholomeo Tran- 80 81 82

sylvanie prefecto, qui lateribus eius herebant, ubi ad se venientem Paulus audivit, confestim incredibili quodam elatus studio cum instructis copiis ad Themesienses fines occurrit et in eius conspectum delatus atque ad eius pedes proiectus, quoquo modo potest, Turcorum, quibus resistere non potuerit, vastationes et incendia lamentatur. Et, quoniam prepedita lingua exprimere 83
 verba non potuerat, voce et dextra in Turcorum fines intentam regem ad tantas persequendas iniurias obtestatur tactoque gutture suo se ibi iugulum suum cupide pro regni salute obiecturum et sanguinem animumque profusurum pollicetur. Hominem incredibili laude et fortitudinis et pietatis insignem rex sublevatum 84
 amplexus bono esse animo lacrimabundus iubet seque tante cause nullo modo defuturum, sed caput etiam suum, si opus fuerit, in dubium devocaturum affirmat, ut regnum contra effrenatam barbarorum licentiam tueatur. Inde subsequentes eum inspectare 85
 copias iubet, quo aspectu (erant enim imprimis ornate ille) usque adeo exhilaratus est, ut se continere nequiverit, quin cesim punctimque gladium eductum, ut in acerrima quondam solebat iuventute, vibrarit. Wladislaus inde eum omni comitatu, magnifico 86
 adeo apparatu excepit, ut a summo rege, cuius beneficio opes ille ex diuturna provincie prefectura adeptus erat, amplius splendidiusque desiderari ad lautitias sumptusque laudem nihil potuerit. Cumque ei dies noctesque assisteret, nullum alium sermo- 87
 nem, quam de bello Turcis inferendo intulit, ut et antiqua bellice virtutis apud Ungaros fama conservaretur et ut animis regno ab externis defendendo incursionibus occupatis domestice interea civilesque discordie obruerentur.

Quibus rex vocibus excitatus inde ad Petri Varadinum 88
 ascendit, quod est oppidum in excelso monte situm supra Belgradum, quadraginta milibus passuum Danubio imminens, ut inde, tanquam ex altissima specula omnia despectaret et ulciscende quoquo modo iniurie salutare aliquod consilium caperet. Cum autem certis nunciis comperisset Turcorum equites per Petoviam in Illyricum et Croatiam irrupisse ibique Mysiam sine presidii prope direptioni incendiisque relicta prediis agrisque vastandis intentos esse, tempus idoneum sibi dari invadende Mysie ratus ex gravis et levis armature equitibus ad quattuordecim milia legit eosque Paulo et Bartholomeo ducibus ad depopulandam hostium provinciam tradit, Bude vero et in aliis regni civitatibus rei bene gerende causa supplicationes indicit rex. Alibechus provincie prefectus re per exploratores cognita 90
 Roxianos provincie incolas, ne Christiane pietatis, quam Greco licet ritu colebant, studio incitati ad Ungaros deficerent, ultra montem, quem Nigrum appellant, traicere iubet. Nostri vero 91
 alacri animo Synderoviam versus profecti trajecto Savo provinciam hoc ordine Turcicam invadunt. Maximum cataphractorum agmen, tanquam totius belli presidium lento gradu precedere iubent; in medio, quod in hostili solo foret, militum impedi-

menta locant. Vexillationum interea turme longe lateque discur-⁹²
rentes pagos incendere, domos diripere, agros vastare, utriusque
sexus et omnis etatis homines cum pecoribus abducere et in
munitissimum cataphractorum agmen omnia referre contendunt.
Inde ad predandum reversi Synderovie suburbiis ignem iniiciunt⁹³
et castris ultra promotis hostem nullum inveniunt omnibus, qui
se nostris pares esse non viderent, metu se intra menia conti-
nentibus.

Cum ad dies quindecim rebus omnibus ex sententia succe-⁹⁴
dentibus vagati cuncta per centum milia passuum ferro ignique
vastassent, tantum prede coacervarunt, ut nec iumenta nec currus
ad eam revehendam ulli sufficerent. In castris quinque boves⁹⁵
aureo nummo veniebant eodemque pretio hordei et avene tantum,
quantum quattuor equis per annum alendis satis fuisset. Mater
cum quattuor puellis duodeviginti nummis vendita est. Qui sine⁹⁶
stipendio militabant, predam in commune conferre non erant
coacti. Quo factum erat, ut nullo aliqua ex parte detrimento
accepto mirifice omnes essent locupletati. Paulo ex secundo⁹⁷
rerum gestarum successu elato et ultra progredi et latius popu-
lationis circumferre terrorem cupienti plerique turmarum prefecti
restiterunt, cum dicerent exercitum gravi et opulenta preda onu-
stum ultra progredi non posse; insidiosum fallacemque preterea⁹⁸
hostem imprimis timendum neque tantopere arridentis fortune
credendum eiusque temeritati exercitum eum committendum, in
quo tota salus reipublice et regni tutela esset reposita; neque⁹⁹
enim eandem, que adhuc fuit, populationis rationem futuram,
cum montes inaccessi et amnes rapidissimi magno labore traici-
endi superessent. Contra Paulus continuandam victoriam et¹⁰⁰
fortune parum sepe faventi constantibus occurrendum animis esse,
omnes bellorum casus ex temporum momentis unis pendere; hanc
si de manibus ulciscendorum hostium occasionem dimisissent,
eam frustra alias quesituros. Ita reclamantibus illis et se dicto¹⁰¹
ei audientes fore negantibus Paulus letissimam de acerbissimo
hoste victoriam dimittere coactus est. Ut enim Petrum More,¹⁰²
qui tum Constantinopoli orator erat, postea narrantem audivi: Turci
audito infesto Pauli et Ungarorum incursu adeo perculsi metu
erant, ut pretoriane cohortes, que Constantinopoli presidebant,
in Asiam repente traiecerint imperatore presertim tum in Egypto
absente et bello cum sulthano gravissimo contendente, quin etiam,
si milites Paulum audissent, potuisse facile Constantinopolim
usque populationem direptionemque perduci. Quare motis castris¹⁰³
et Nigro monte pretermisso (quem si superassent, facile qua-
draginta milia hominum voluntarie sequentium secum ex super-
iore Mysia deduxissent) Kalendis Novembris ad Albam Grecam
incolumes omnes cum opulentissima omnium preda se receperunt
et castris in proximo monte factis de preda traicienda et de
Synderovia obsidenda cogitare ceperunt.

Paulus interea letali febre correptus ad D. Clementis oppi- 104
dum, quod est in citeriori Savi ripa situm, cum multis equitum
turmis se deferri iussit, neque ita multo post testamento nullo
(quod iam pridem mutus erat) confecto nullaque prole relicta
Christiane pientissimique hominis ritu ex hac vita decessit et regi
ac universo regno incredibile virtutis ac prudentiæ sue desiderium
reliquit. In prefectura Temesiensi. Iosa, qui ab eo fuerat educatus, 105
robore et disciplina militari eius non dissimilis a rege suffectus
est. Bude ob populatam prospere Mysiam supplicationes ad
omnia deorum pulvinaria habite.

His rebus peractis rex inde ad Baciam cum patribus Bartho- 106
lomeo, Petro Gerebo ceterisque optimatibus ascendit, uti armis
provinciam intestino bello fluctuantem pacaret; occasione maxime
e recenti Pauli morte quesita, qui nimia indulgentia nonnullo-
rum factiones aluerat, et quod hiems suberat, exercitum, dum
tormenta et munitiones e Buda Danubio deveherent, in hiberna
dimittit. Huic bello causam Petrus Bachiensis idemque Colo- 107
ciensis archiepiscopus, Kishorvatus, prior Aurane et precipue
dux Laurentius attulerunt. Nam viginti ante diebus Petrus, ut 108
basilice sue iura tueretur, Ioannis Kishorvati arcem occupat et
uxorem ac liberos cum fortunis primum abduxerat, deinde in-
columnes restituerat; Kishorvatus autem cum lectissimo equitatu 109
adveniens castello per vim recepto ex suis aliquot, qui illud Petro
prodiderant, gravissimo supplicio, aliis palis infixis, aliis pelle
spoliatis affecerat.

Bacie vero rex cum esset, Ungarie principes omnes, quorum 110
infirmam fidem ex detrectato sepe imperio suspectam habebat,
ad se venire iubet, ex quibus alii inconstantie vitio nutantes non
venerunt, alii ex conscientia rerum gestarum variis interpositis
more causis omnino venire recusarunt. Inter ceteros autem Lau- 111
rentium ducem accersit; huic enim precipue succensebat, quod facinorosum et seditiosum et contumacem principem noverat et
Turcice paulo ante incursionis auctorem. Erat enim fama eum 112
Turcos aureo nummo a singulis accepto per agrum suum in Illy-
ricum induxisse et quibusdam signis apposis villas ex pacto
suas a Turcorum direptionibus et incendiis conservasse et villicos
suos forte ab iis captos gratuito redemisse. Constat etiam 113
eundem in Colociensem archiepiscopum arrogantem intemperan-
temque fuisse et Stephano Syrmiese vixdum vita functo episco-
patus castella tria diripuisse, regis autem maiestatem semper
adeo despexisse, ut neque edictis eius paruisset unquam et ipsum
ad contumeliam bovis nomine appellare in sermone solitus esset.
Quibus rebus mansuetum alioquin et remissum regis animum 114
usque adeo ira incenderat atque adversus se concitavit, ut in
novissima contra Turcos incursione trecentos ab eo missos equites
indignabundus remiserit et pocula aliaque ab eodem missa mu-
nera aspernatus sit. Hic ergo edicto, ut dixi, regio accersitus 115
flagitiorum scelerumque suorum conscius non venit; matrem

suam iam natu grandem et lectissimam imprimis feminam misit, que speciosis excusationibus incitatum regis animum demulceret inflammatumque odium ad istas de se capiendas penas extingueret. Interim ipse Uyllaci arcem ceteraque ditionis sue castella 116 munit novisque presidiiis firmat, uxorem vero et familiam cum opibus in Nemetuyvarum castellum loco et opere munitissimum Austrieque finitimum transfert delectuque sociorum habito facinorosorum hominum, undecunque potest, in arcem, tanquam in asylum multitudinem cogit et, quo regis erga se animum duriolem acerbicremque a matre accepit, eo maioribus viribus et conatu intentiore in bellum incumbit, ut etiam vini cados, quos pro regis aula coemerat, Uillaci in arcem subito transferret. Uillacum 117 oppidum est in vertice montis situm non muro, sed vimineo vallo et exigua fossa circumdatum, haud aliter, atque Buda Danubio imminens; ad medium edes est d. Stephano consecrata; in arce beati Ioannis Capistrani sepulcrum visitur; hinc decem milibus passuum abest Bacia, ubi rex tum cum patribus erat ac de bello adversus Laurentium inferendo consilia conferebat.

Reperiebat autem, ut fere fit, diversas patrum neque satis 118 explicatas de tota rei suscipiende ratione sententias. Agriensis 119 enim episcopus, quem fidum regis comitem et prudentem imprimis consiliorum eius moderatorem fuisse sepe supra ostendimus, bellum quidem iustum esse, sed multis difficultatibus impeditum dicebat; quippe cum hoste non opibus solum, sed etiam fratrum, propinquorum et potentum multorum cognatione et societate florente; proinde caute suscipiendum videndumque diligenter, ne 120 ad turpem rei exitum locus etiam sermonibus hominum daretur, qui dicerent regem, ut maiore licentia tyrannidis dominatum invaderet, regulorum procerumque suorum opes oppugnare et conterere instituisse; se tamen, quodcunque ille consilium suscepisset, et sententia probaturum semper et capitis etiam periculo defensurum. Huic contra rex belli equitatem opponebat, quod 121 pro regie maiestatis incolumitate, pro violatis sacris, pro salute reipublice iniretur; seque opibus, cognatione, fratribus et propinquis regibus superiore et duobus preterea regnis potentissimis subnixum ad iustissimam armorum contentionem descendentem sperare deos etiam sibi secundos et propitios affuturos. Quinque- 122 ecclesiensis autem, quid sui iudicii esset, rogatus, cum eadem, qua rex, ratione consilii sui summam explicaret iisdemque adductus rationibus in bellum totus incumberet, nutantem iam pridem atque inclinatum regis animum facile secum in belli sententiam traxit ita tamen, ut Agriensis consilium rex haudquaquam contemneret, qui caute prudenterque arma ista tractanda esse censebat. Itaque eorum utrunque perpetuo adesse sibi voluit, 123 illum, ut clypeum, hunc, ut gladium, cautum illum, pugnacem hunc, ambos tamen copiis, fidelitate et rerum experientia pares iudicaret.

Suscepto autem belli consilio extemplo Bartholomeo, Petro 124
 Gereb, Nicolao Bamffii ceterisque proceribus ad se vocatis, quid
 sui decreti sit, aperit et ex hibernis omnes copias evocari iubet.
 Prefectis ergo equitum regis iussa cupide facientibus paucis die-
 bus magnus convenit exercitus. Quod ubi Laurentius per explora- 125
 tores cognovit, Futacho, quod Quinqueecclesiensi antistiti ante
 per arma ademerat, communito presidioque firmato in Illyricum
 cum paucis ad Raholczam citato cursu contendit, uti propius, si
 posset, suis presto adesset. Interea Bartholomeus exercitui 126
 preesse et totius rei militaris summam administrare iussus copias
 ad Uillacum ante lucem adducit et, quod erat vallo fossaque fir-
 matum oppidum, adortus arcem ad portas et ad muros pugnam
 committit. Cum regii alii fossas ingesta materia replere, alii vado 127
 transire contenderent, oppidani vero, quorum numerus suburba-
 nis omnibus cum uxoribus et com meatibus intra oppidum receptis
 valde excreverat, contra resisterent missilibusque et tormentorum
 pilis regio propellere conarentur, equo inde Marte discessum est.
 Postridie autem adaucto exercitu iterum ad arma congressumque 128
 descenditur ac paribus utrinque animis decertatur, quippe indigni-
 tate hi moveri, quod pridie perrumpere viminea septa non potuis-
 sent, illi capitis et fortunarum manifesto periculo permoveri. In- 129
 stantes tandem regii et, ut deditionem facerent oppidani, cla-
 mantes rescisso ac subruto ab una parte vallo in oppidum omnes
 irrumpunt. Quo cognito oppidani abiectis armis sese dederunt 130
 rati facilius se veniam positos subito armis, quam diu retentis
 impetraturos, quos omnino non fefellit opinio; sic enim dux ipse
 mandavit, ut impetu in com meatum et in pabula facto manus ab
 oppidanis omnibus abstinerent. Cum presidarii, quos pugna non 131
 sustulisset, omnes in arcem se recepissent, edictum statim a
 rege promulgatur, ne quis Laurentio favisse aut ab eo stipendia ac-
 cepisse vellet; qui id fecisset, ei redditum ad regis gratiam intra
 mensem patere; qui non rediisset, capitis ei et fortunarum multam
 et perpetuam perfidie notam intentum iri. Quo audito nonnulli 132
 statim Laurentium reliquerunt, alii in proposito manentes se et
 suas res in extremum periculum adduxerunt.

Arx interea diligentius obsideri cepta est, quod nullam 133
 condicionem acciperet et demissa oppidi tecta vehementius in-
 festaret. Itaque tormenta inusitate magnitudinis Buda secundo 134
 amne devecta per Iacobum fabrum magistrum ad edem in medio
 clivo sitam subducuntur, uti inde propius arcis menia quaterentur;
 turres ad portas per alios excitantur, ne quis foras egrederetur.
 Cum in iugum montis oblongum, quod partim ab arce, partim 135
 ab urbe erat occupatum, trepidis in rebus sese ditiores homines
 contulissent, inde exire prohibentur, ut, quo citius frumentum
 consumpsissent, eo celerius se regis imperio potestatique per-
 mitterent. Concussa tandem multis in locis maioribus ex ede 136
 tormentis et e turribus machinis minoribus valde labefactata arce
 multisque sevo impetu tormentorum fedissime interfectis pre-

sidium metu exterritum cum Bartholomeo clam de deditioe colloquitur; orat, ut bellum lenius gerat, non enim cum externis et alienis, sed cum civibus et cognatis et familiaribus geri; arcem omnino in regis potestatem esse venturam; itaque muros eius lacerari perforarique gravioribus tormentorum muralium pilis neque utile neque pium videri; petit inde in paucos dies indutias, quibus de deditioe condicionibus quieto utrinque ab armis animo transigatur. Verbis approbatis facile paucorum dierum Bartholomeus concedit indutias, sed ea tamen condicione, ut, si intra eos dies nulla Laurentii auxilia apparuissent, sine ulla exceptione deditio fieret. Interim quiescente utrinque bello presidarii milites quassatum arcis murum occulte reficiunt et munitiones instaurant et tempore indutiarum exacto allatis certis in speciem causis se pacta servare non posse dicunt. Tum Bartholomeus flagranti ira fervidus, ut qui a presidio non obscure esset delusus, prelium redintegrat et oppugnationem instaurat.

Laurentius interea sibi ac suis rebus plane diffusus ad palatinum, quocum affinitate et federe se devinxerat, citato gradu contendit et vetere commemorata amicitia auxilium aliquod dubiis rebus ab eo suis implorat. Palatinus prudenter inique cause turpitudinem aversatus se hominem morbo senioque languentem ac periculis undique circumventum copiis suis auxilio ei futurum esse negat, auctoritate autem et gratia apud regem ei omnino in causa eius, quoad possit, sublevanda non defuturum et diligenter pro eius incolumitate supplicaturum pollicetur. Hoc contentus Laurentius et palatini monitu celeriter inde, ne forte regis iussu capiatur, profectus proceres, cognatos amicosque ceteros adit et ab eis, quamplurimos potest, milites cogit. Palatini autem oratores, continuatis itineribus Baciam ad regem cum pervenissent, convocatis patribus admissi ita verba fecerunt:

Palatinus, cuius nomine nos ad te, rex clementissime, venimus, miratur imprimis te, cui iura huius regni omnia debent esse notissima, Laurentium ducem levibus criminibus insimulatum indicta causa hostem iudicasse, bello oppugnasse et Uillacum denique illius imperii caput artissima obsidione cinxisse; se palatinum, se pretorem, se regni iudicem ait eumque demum, ad quem non solum a rege provocatio fit, sed cuius etiam cognitioni atque iudicio maiestas ipsa regia sepe subiiciatur; si de Laurentio iudicium erat constituendum, eum non modo in forum, sed in campum Rakos indictis comitiis reum trahi et capitali per leges supplicio affici potuisse; bellum neque more neque indicta causa inferri et plane hominis non regnantis, sed ad tyrannidem non obscure aspirantis factum videri. His de rebus te ob vetera sua erga tuam maiestatem beneficia orat, ut obsidione Uillaci soluta et conventu Bude indicto causam eius agi centumvirali iudicio patiari, ubi si adversus maiestatem tuam ille deliquisse coarguetur, non modo se pro eo non supplicaturum, sed immissis extemplo lictoribus ad mortem duci iussurum.

Eiusmodi palatini legationem ut superbam arrogantemque ni- 149
 mis rex iniquissimo animo audivit, quippe, quod se ille facinoris
 eius aut iudicem aut defensorem profiteri non dubitasset, de quo
 nemo ex optimatibus verbum adversus se facere ausus esset.
 Quamobrem: respondit legatis, palatino ut renunciarent, multo 150
 iniquius esse pretorem, quem iniurias omnes prohibere oporteret,
 iniustam aliquando vim alteri attulisse neque regis ipsius auctori-
 tate deduci ab incepto potuisse, quam regem indicta causa publi-
 cum hominum deorumque hostem armis ulcisci; eumque demum
 palatini non rogantis, sed prope minantis, non voluntati, sed
 imperio denegare; Laurentium gravissimorum criminum reum se- 151
 pius a se citatum ob rerum patrarum conscientiam imperium
 detrectasse et maiestatem regiam, quantum in ipso fuit, in ordinem
 coegisse; se autem, cuius pro regie dignitatis amplitudine tanta 152
 sit auctoritas, ut eius merito voluntas vim iustissime legis obtineat,
 in ea causa, in qua regni salus et publica quies contineatur, ne-
 que iniqua iudicia secuturum neque recusaturum severa iudicia
 neque bella et pericula ulla reformidaturum; proinde palatino 153
 semper fore integrum, an mansuetum et facilem, an predurum et
 inexorabilem velit habere dominum; si cum republica bene senserit
 neque magnificos adeo adversus regem spiritus gesserit, se ipso
 equissimo et clementissimo semper usurum. Atque dimissis 154
 oratoribus adaucto exercitu arcis obsidionem oppugnationemque
 aciori intendi studio iubet edictumque iterum promulgavit, ut,
 qui Laurentium obstinata pervicacia defendissent, nisi primo quo-
 que tempore ad officium rediissent seque ad regem contulissent,
 parem cum eo capitis ac fortunarum penam expectarent. Quo 155
 metu Laurentii mater exterrita, ad Bartholomeum magno pecu-
 niarum numero redimendi periculi causa cum venisset, nihil ab
 integerrimo homine impetravit.

Rex autem, ubi satis attrita arcis menia perpetua maiorum 156
 tormentorum verberatione cognovit, intempesta nocte, qua certi per
 tenebras ab hostibus ictus destinati non possent, urbem arcemque ex
 omni parte adoriendam imperat. Hora constituta regii clam oppidi 157
 menia subeunt magnaue usi audacia prius in muris consistunt,
 quam cecis inde hostium ictibus deiici possent. Cum in pugna pau- 158
 cis amissis, sed multis sauciis editi iugum oppidi occupassent,
 nulla in oppidanos ducis iussu crudelitate patrata extemplo matura-
 tur ad arcem, ubi multo acrius superesse prelium apparebat. Capti 159
 oppidi periculo, qui in arce erant, exanimati, quanquam in pau-
 cos etiam dies sustinere se virtute ac diligentia potuissent, tamen,
 ne delusi prius a se imperatoris conceptum adversus
 se odium vehementius inflammarent, corporis incolumitatem paci-
 ti eadem se illi nocte tradiderunt. Ita Uyllacum nulla facta cui-
 quam iniuria ante lucem XII. Kalend. Ian. captum est. Rex validissi- 160
 me arcis expugnatione debilitatis fractisque prorsus inimicorum
 suorum animis eodem die hora duodecima eo ordine urbem est
 ingressus, ut Agriensis antistes cum longa equitatus gravis arma-

ture phalange prederet, hunc Varadiensis cum pari peditum numero sequeretur, ipse cum Bohemis, que pretoria manus erat, medius incederet, Quinqueecclesiensis autem extremum agmen ornatissimum clauderet.

Ei ad arcem iam proxime accedenti ecce Laurentii mater atrata veste passis crinibus et manibus in celum sublatis supplex lacrimansque occurrit et protinus, Miserere iam, inquit, nostri, rex clementissime, miserere, neque enim iustitie laus magis in regem convenit, quam clementie; satis adhuc iustitie fecisti, nunc memento misericordie; te ipsum vince, qui nos vicisti, et victos deum benignitate ac moderatione conserva; da hoc petenti matri, muliercule, vidue et lacrimis iam prope senioque confecte, ne ira in filium meum tua longius exardescat. Sit capta urbs, expugnata arx; nunc a fortunis eius et capite temperato neque eum turpissimo inimicorum suorum ludibrio esse sinito. Da hoc filio eius parvulo in certam spem tue aliquando fovende maiestatis educato; da coniugi misere non iam de imperio, sed de salute viri sollicitate et a regni fastigio ad extremam miseriam calamitatemque redacte. Rex non ultra loqui aniculam passus per Agriensem interpretem bono eam animo esse iussit; fore enim, ut libertas et dignitas filii staret, si innocens iudicatus fuisset; nam se ea expeditione perfecta Budam reversurum ac frequentissimo conventu indicto nomen eius universa sincera fide resarciturum; si damnatus, omnibus ei civitatibus fortunisque remissis capite tantum insolentis hominis fore contentum, ut exemplum ceteris proderetur, qui aliquando de negligenda et conculcanda maiestate regia cogitasset.

Hisque dictis mulierem cum ancillis et cum honesto comitatu Budam traduci iussit integra suppellectili reddita et paulo post tribus etiam oppidis restitutis et, si quid ad vitam ex dignitate ducendam deesset, opportuno ex regio erario supplemento decreto. Ingressus autem arcem haud modicas opes commeatusque invenit; vestes nimirum trecentas vario pretiosarum pellium genere suffultas, vasa ex auro argentoque celata plurima, cadorum vini ad tria milia, ex quibus alia fortibus viris, alia proceribus pro cuiusque virtute et meritis distributa sunt.

Quibus rebus confectis relicto firmo in oppido presidio flagranti atque intento in Kishorvatum impetu fertur castrisque motis quadridui spatio repentina obsidione quattuor eius oppida circumvenit, ex quibus uno per nobilium iuventutem primo congressu in potestatem adducto reliqua vi capta et incensa sunt; milites pariter debitum virtutis honorem acceperunt. Quin et Petrus Bathianus duobus prope Tatham oppidulis altero vi, altero deditione potitus est. Deinde oppidum Divi Demetrii ad Savum amnem situm (non minimi momenti locus, quod per eum Turci infesta in Illyricum arma ferre consuevissent), misso despote obsessum cum resistere non posset, deditionem fecit. Ita omnibus, quecunque Laurentii fuerant in inferiore Ungaria, duobus mensibus in dicionem adductis et Futacho quoque recuperato et

Quinqueecclesiensi antistiti, cuius fuerat, restituto et regia ubique adversus contumaces et rebelles principes dignitate cumulate a rege defensa hic annus abiit.

Eodem anno Ladislaus Eghervari, vir probitatis et prudentie singularis non sine magno reipublice detrimento mortuus est. Hic Mathie regi bello Austriaco egregie operam fidemque suam probarat, cum exercitum eius semper duxisset et Silesie ac Lusacie prefecturam magna cum laude gessisset et Dalmatie, Illyrico et Croatiae ea virtute prefuisset, ut Turcorum copias memorabili clade quinque eorum milibus occisione afficeret et Germanis ex Illyrico pulsas provinciam ad fidei pristinae officium rede-gisset, demum prefectura deposita magister tavernicorum creatus in eo usque ad mortem munere perseveravit. Kal. Ian. Franciscus Budensis antistes, Agriensis frater, vir utraque lingua eximie eruditus ad Iauriensis episcopatus honorem evectus est. 173 174

LIBER V.

Ineunte anno, qui fuit a partu virginis supra mille et quadringentos nonagesimus quintus, Wladislaus magni interesse ad regni tranquillitatem et nominis sui dignitatem existimans pervicaci superbiorum regulorum contumacia fracta neminem sibi dicto non audientem in provincia reliquisse pacata inferiore Ungaria rebusque omnibus ibi prospere administratis traiecto Dravo bellum in Illyricum transferre ceterasque Laurentii arces expugnare contendit. Itaque ad Verrucem, quod erat oppidum in potestate Nicolai Bamffii positum, conventu et iudiciis octavarum indictis Rahlolczam et Neemetuivarum, duas invictissimas Laurentii arces in excelsis montibus magna vi expugnare constituit, quem quidem fama erat exercitu valido in finibus Austriae comparato palatinum ad suas partes et belli societatem facile traducturum, quantum vix credibile multis videbatur palatinum summe sagacitatis atque prudentie virum eo vesanie progressurum, ut res suas integras cum Laurentii perditis afflictisque miscere et inclinato profligatoque bello se fortunasque suas omnes in apertum periculum devocare vellet, cum a fronte atque a tergo regis omnia teneri copiis atque presidiiis cerneret. Qua de causa rex Iosam nuper e Themesvaro evocatum cum quibusdam cohortibus peditum et sex milibus equitum, que obsidendo Neemetuivaro destinarat, adversus Laurentium mittit, Bartholomeum vero vaivodam in Simigiensem agrum cum Hippolyti cardinalis copiis et Bornamisse vexillationibus ad Caposuivarum castellum in plano situm idemque triplici fossa aquaque munitum oppugnandum ire iubet, ipse cum ceteris Verruce conventum habet et severe iudicia exercet, que plerique Croatiae principes maximorum sine dubio percussi conscientia scelerum devitabant.

Ibi cum priori Aurane, quem a Laurentio defecisse constabat, amicis multis pro eo supplicantibus veniam condonasset, palati-

nus celeri et secunda Uillaci expugnatione parumper prefervidam illam regis adversus Laurentium iracundiam deferuisse ac facilius iam omnia se, quaecunque vellet, pro eo impetratarum existimans oratores duos, viros longe gravissimos ad eum mittit, qui obsecrent, ne Laurentium ultra armis oppugnet, sed sumptis penis contentus ad conventum Budensem causam eius omnem ex vetere instituto reiiciat et tum demum convictum damnatumque magno omnium consensu ultimo supplicio afficiat, absolutum vero in antiquam patrum bonorum possessionem omni prestito detrimento restituat. Hi, cum mandata exposuissent, vetus et constans responsum a rege tulerunt se contumaces ac republice inimicos homines oppugnandi finem nunquam facturum, donec egregie castigati supplices ad implorandam misericordiam accessissent et legitima sibi obsequia prestitissent; supplicii de tanto scelere nondum satis exactum esse atque eius rei modum non a privato, sed a principe iudicandum. Quin etiam paulo post familiarem quendam a Laurentio pro petenda venia missum admonuit, ut domino suo renunciaret, bovem illum, quem per iocum appellare solebat, iam unum magnum cornu habere alterumque modo enatum valde in dies crescere; proinde sperare se brevi suos hostes gemino cornu petiturum eosque fede laniaturum.

Inde Illyricorum Croatorumque inter se controversie audite multeque inter multos lites composite sunt. Osvaldus Zagrabiensis episcopus, cum ad conventum cum ducentis equitibus venisset, facile castella decimasque basilice sue a quibusdam regulis interceptas recuperavit. Decretum etiam utrique provincie salutare factum est, ut ad Turricos evertendos incursus stipendia quadraginta milia nummum aureum decem milibus equitum provincialium belli tempore penderentur, qui regni fines ab eo tempore tuerentur. Ioannes Corvinus utrique provincie cum duobus equitum milibus summa optimatum omnium voluntate prefectus est.

His diebus mirificum in celo ostentum apparuit, quod nos ab iis, qui viderunt, auditum nullo modo pretermittendum esse duximus. Nicolaus Sigismundi questoris familiaris Buda ad regem dominumque suum properans in villa, cui Solita nomen est, magna in aere luce cum ingenti fragore oculis auribusque suis obiecta repente rei novitate exterritus in terram procubuit suspiciensque inde in celum beate virginis speciem cum filio nimbo fulgentissimo circumfusam per aera descendentem et Budam versus cursum intendentem vidit idque ipsam statim Bohemo cuidam et uxori eius hospiti et aurige suo venerabundus ostendit. Quod ubi regi et Sigismundo retulit, magna utrunque admiratione affectus; is dies erat, qui deipare virginis conceptioni dicatus est, quem postea semper Ungari religiosius coluerunt.

Interea cum Bartholomeus, qui in Simigiensi agro Caposwivarum obsidebat, nuptiarum celebrandarum causa parumper a castris in castellum proximum secessisset, Davidus Dombaii Laurentii prefectus, vir impiger et audax eius absentia cognita clam elucescente

luna cum expeditissimo equitatu castra intempesta nocte adortus semisommes atque improvisos omnes aggreditur et conversis tormentis non parvam ad portam pretoriam stragem edit. Ex regiis 14 alii acriter obstitere, alii in proximam sylvam se incolumes recepere ex Hippolyti copiis multi trucidati. Bornamissa, ubi impetum ferre non potuit, quindecim amissis equitibus salutem sibi fuga querere maturavit; reliqui pariter multis vulneribus acceptis castra demum deseruere. Laurentiani castris captis direptisque 15 commeatus aeneaque tormenta in castellum omnia convehunt arcisque munitiones instaurant; inde ducentis curribus eductis ad quandam Bornamisse villam, ubi mercatus agebatur, se conferunt et mercatoribus omnibus spoliatis lateque villis illis depopulatis preda onusti in castra sua refugiunt. Ea re incitatus Bartholomeus 16 tertio die collectis auxiliis et reparato exercitu castellum repetit idque a Budensibus Pestanisque valida peditum cohorte accepta acrius oppugnare constituit. Cum milites fossa triplici aquaque 17 traiecta prelium eminus acerrimum conseruissent atque ad extremum proVecti vallum pugnam iam inhuri cruentam essent, casu tormentarius apud hostes pulvis ignem corripuit atque subito incendio munitiones, commeatus, septa arcemque ipsam comprehendit; cuius rei terrore periculoque Laurentiani compulsi dato signo deditionem se facturos, si sibi venia concedatur, ostendunt ac statim accepta dataque fide clementis prefecti iussu dimissa pugna et patefacta porta cuncti ad arcem incendio liberandam et ignem extinguendum contendunt.

Raholza inde languidius obsessa est, quia prefectus arcis, 19 posteaquam cetera Laurentii oppida in potestatem regis pervenisse audivit, deditionem se facturum esse sine dimicatione ostendit adhortationibus maxime obsidentium, ne diu loco inexpugnabili tempus tererent.

Excitatus autem est mons hic in Illyrico altissimus sylvae 20 magna atque glandifera convestitus sub vertice paulo demissus; in prominenti preruptoque saxo castellum est, quod ab una tantum eaque angusta via ex transverso aditum habet. Sub iugo montis 21 fons est perennis, ex quo amnis aque calide manat, qui per castellum devolutus in arce, oppido et suburbio fontes, piscinas et vivaria efficit. Ad radicem montis sparsim ville subsunt cultique ac 22 feraces agri; amenitas ubique summa ex mirifica celi clementia nitet.

Laurentius autem ad Nemetuivarum, cum ab Iose se urgeri 23 exercitu animadverteret, de imploranda venia et, quaecunque ferretur, condicione accipienda cogitans in aliquot dies postulavit Quinqueecclesiensi maxime, ut darentur, hortante, dissuadentibus vero iis, qui ex rerum confusione et reipublice perturbatione spes suas alunt. Sunt, qui dicant Turco per legatos 24 auxilium, si unum modo sibi castellum in Illyrico concessisset, per quod in Illyricum irrumperet et late populari fines posset, pollicenti eum respondisse malle se fortune acerbitates perferre, quam a suo rege tam scelerate deficere.

Quibus rebus gestis rex se ad Quinqueecclesias circiter Kal. 25
 Martias cum universis optimatibus retulit et, quod iam satis pena-
 rum pervicacie temeritatisque sue dedisse Laurentium duceret,
 faciliorem inde se iis, qui pro eo se interponerent, prebere cepit.
 Quo factum est, ut per Andream Bot, qui sepius ultro citroque 26
 commœavit, in gratiam eum tandem suam receperit ita, ut veniendi
 ad se facultatem et res suas componendi concesserit. Ita Iose 27
 mandatum, ut exercitum reduceret atque omni maleficio abstinere-
 ret secumque Laurentium duceret; qui si venire recusaret, bellum
 maiore conatu redintegraret. Quibus mandatis acceptis confestim 28
 Iosa data fide Laurentium Quinqueecclesias duxit atque ad decem
 milia passuum longe a Nemetuivaro exercitum reliquit, ne in-
 fecta pace gravius bellum gerere cogeretur. Laurentius Kishorwato, 29
 Ederbo et Nicolao Zechy comitantibus ab omnibus pontificibus
 proceribusque honestissime exceptus et ab iisdem ad regem per-
 ductus orationem habuit humilem et vere fracto supplicique homini
 congruentem, in qua erratum insaniamque suam aperte confes-
 sus est ita tamen, ut rerum a se actarum in socios suos culpam
 omnem transtulerit, quorum pravis consiliis abstractus ipse per-
 ierit, eos fuisse, qui latrocinia fecerint, qui stupra exercuerint, qui 30
 Turcis aditum patefecerint, qui regiam demum maiestatem pro
 nihilo habendam docuerint; homines rapaces et prede avidos,
 quibus turbe cordi, bella, unde se et libidines suas alerent, iucun-
 dissima sint; se id unum maxime deliquisse, quod secundis rebus 31
 et nimis aridente fortuna cecatus, quid sui officii fuerit, plane non
 viderit et se a pessimis hominum perditorum consiliis, quasi
 quodam fluctu longe a vero equoque abripi passus sit; nunc, quon- 32
 iam virtute fortunaque regis effectam est, ut, quam tenues sue
 sint opes, quas temerariis assentatorum vocibus impulsus plus
 nimio magnificiebat, agnoscat, se eximia unius eiusdem regis
 clementie opinione subnixum petere, ut, qua fortitudine atque
 constantia se fato potius, quam voluntate contumacem rebellem-
 que contuderit, pari mansuetudine ac misericordia ultro supplicem
 atque eius veniam humiliter implorantem sublevet et in spem
 fortune melioris adducat; quidquid enim posthac sibi ad dignita- 33
 tem vel ad vitam accesserit, id totum ut singulare eius unius bene-
 volentie clementieque beneficium posthac et predicaturum semper
 et habiturum.

Ad ea rex valde adhuc animo commotus respondit se in- 34
 vitum atque necessitate sue tuende maiestatis adductum hoc
 bellum et suscepisse et gessisse, gaudere tamen sibi locum datum,
 quo non tam severitatis in contumaces, quam clementie in suppli-
 ces edere exemplum possit; sue illum insanie pervicacieque me- 35
 ritas dedisse penas, quarum si iam illum peniteat et ad offi-
 cium sincera fide revertat, se dignitatis commodorumque eius
 rationem pro mansuetudine sua non neglecturum. Atque his 36
 dictis illum in secretum seduxit multaque ab eo, que ab illo di-
 cente significata potius, quam expressa fuerunt, exquisivit. Eo- 37

demque die priorem Aurane a losa comprehendi et custodie tradi, familiares spoliari, currus, equos argenteamque suppellectilem totam diripi iussit, qua inopinata re reliqui regis inimici adeo sunt percussi, ut, nisi porte consulto ante clausae fuissent, multi protinus se in fugam coniecturi fuerint. Neque vero Laurentius timore caruit, quamvis fide a duobus pontificibus accepta venisset. Cum prior vite timens regem orare cepisset, ut sibi ad religiosam vite professionem transire et bonis omnibus atque adeo profane huius vite condicione se abdicare liceret, rex indignatione accensus, Quinam, inquit, tam perditum sceleratumque hominem religiosus hominum cetus excipiet aut vite socium patietur? eiusque statim membris omnibus arto catenarum vinclo astringi iussit, ne sibi necem consciscere forte posset. Ad populum rei novitate tumultuantem per Agriensem edixit, ne quis animo conturbaretur, se prioris nefanda et inaudita post hominum memoriam flagitia amplius ferre non potuisse.

Per eosdem dies Turcorum oratores cum Petro More, qui superiore anno Constantinopolim missus fuerat, Budam indutias in decennium exposcentes venire ac barbarica dona et celata nonnulla ex argento pocula ad regem tulere. Hi liberaliter accepti magnificisque contra donis exculti indutiis tantum in triennium datis dimissi sunt his condicionibus, ne ulla utrinque vis et incursio per triennium fieret, ut sine fraude doloque captivi ex clade Croatica redderentur; Wladislao vero integrum esset indutias aut producere, si vellet, aut intercipere, si commodum esset, modo tribus id ante mensibus indicaret. Ita, quod alias raro antea Ungaris acciderat, hoc anno omnia domi forisque queta seditionibus compositis et indutiis cum Turcis triennialibus partis egregia Wladislai imprimis prudentia atque fortuna fuerunt. Nec multo post in inferiore Ungaria magno oborto in quibusdam villis, ubi mercatus Christianis et Turcis communis frequentissimus habebatur, incendio merces omnes cum sexaginta circiter milium nummum aureum detrimento combuste sunt.

In Italia vero, postquam Carolus rex Florentia profectus est, recta iter capessens ad urbem Romanam primum Senas, deinde Viterbium venit ibique aliquamdiu substitit. Alexander pontifex in diversa tractus relictis Gallorum partibus Alphonsi iam, quem paulo ante corona donarat, rebus favebat. Populus Romanus omnium rerum inopia conflictatus et obsidionis timore percitus se, si Carolo regi a pontificis factione iter impediretur, ad eum defecturum minabatur, cui omnia a Galliis Romam usque oppida omnesque porte patuissent et obsidum loco multa tradita essent. Pontifex cardinales tres, quos violata fide comprehendi iusserat, obsidionis periculo permotus restituit; Alphonsi exercitum, quem in urbe tenebat, dimisit; postero die Gallorum in urbem exercitum recepit. Carolo ex urbe Campanum agrum versus castra movente Alponsus desperatis rebus Neapolim cum filio populis interea deditionem Carolo facientibus se recepit idemque

Ferdinando filio regno tradito ex tribus tremibus cum duabus onerariis navibus paratis in Siciliam abiit. Carolus motis castris ac nemine uspiam occurrente nono die Neapoli in deditionem accepta potitur. Ferdinandus cognita populi voluntate primo in Castellum Novum, deinde in proximam ad triginta milia passuum insulam se recepit. His rebus prospere gestis nimia iam omnibus principibus Christianis Caroli potentia terrori esse atque invidie ceperat. Quare fedus inter pontificem, Venetos et Lodovicum Sfortiam Mediolanensium ducem Maximiliano quoque Cesare et Ferdinando Hispanie rege assumptis communis salutis causa initur, de quo Veneti Wladislaum adhuc Quinqueecclesiis morantem certiore fecerant.

In Polonia vero Albertus rex in Prutenos profectus regulum quendam perfidie insimulatum preter amnem Vistulam imperantem in itinere regno spoliat et ab omnibus Prussie principibus magistratibusque perpetua fide atque obsequio interiecto iureiurando acceptis provinciam universam pacat. Alexander autem dux Litvanie filiam ducis Mazovie in matrimonium ducit magna dote et provinciis civitatibusque ad unam omnibus, que ad Litvaniensem principatum pertinebant, receptis; nupie absente rege, presente tantum cardinale fratre peracte sunt. Sponsa, cum Greco ritu Christum coleret, a cardinale ad sacra Romana traducta est. Casimirus Wladislai et Alberti regum frater diem suum in Litvania obiit, cuius aliquot miraculis editis spectata sanctitas effecit, ut hodie apud Polonos tanquam deus a piis hominibus in vota vocetur et religiosissime vulgo colatur.

Wladislaus interea rebus omnibus ex sententia administratis, antequam se Quinqueecclesiis moveret, frequentissimum Bude conventum ac iudicia octavarum edixerat, ut pacato regno ius diceret et meritas a facinorosis hominibus ex instituto vetere penas exigeret ac bellorum eo anno gestorum rationem omnibus redderet. Ita, cum magna gloria per Batam, Sexardiam Albamque Regalem V. Nonas Aprilis ea de causa Budam se contulit, conventus paucis diebus frequentissimus fuit. Summa quippe pontificam regulatorumque et procerum omnium et maxima nobilium, quorum ex singulis comitatibus decem convenerant, celebritate nobilitatus rex de rebus omnibus ab inito regno a se gestis et maxime de Laurentiano eius anni bello verbo facturus et rationem redditurus patrumque iudicium erat subiturus, ut una et malevolis obtrectatorum sermonibus occurreret et iuste a se sapienterque gesta omnia demonstraret. Quo factum erat, ut multi, cum questionem adversus regem parari ab eoque rerum gestarum rationem reposci viderent, quanquam eo facto maxime letarentur, sibi tamen valde timerent, ne ipsi quoque ratione iudicium pati et res per vim ablatas restituere cogentur. Agriensis autem et Quinqueecclesiensis patrumque ceterorum sapientissimus quisque ad reipublice otium regiamque dignitatem tuendam magni interesse arbitantes, ne regis acta,

que satis iusta fuisse constaret, populi iudicio subderentur, nihil de bello cum Laurentio sociisque gesto, quod id populus sine dubio confirmaturus esset, deque eorum vita, ne maius eis odium conflaretur, cum reconciliati reipublice mirifico aliquando usui esse possent, referri ad populum voluerunt ac summa prudentia utriusque partis dignitati honorique consuluerunt, Laurentio tamen ac sociis eius potestas supplicandi permissa est, quin etiam ex s. c. et nobilitatis consensu duo viri creati, qui pro iis ad regem supplices accederent. Ille mutata veste, demisso capite, mesto vultu supplicis aspectu cum paucis comitibus per conventum incedens facile apud omnes sui misericordiam concitavit. Rex tamen duumviris supplicantibus nihil, nisi spem bonorum restituendorum exiguam dedit. Plerique interpretabantur regem ad id propterea difficiliorem esse, quod e re sua non videretur, que in inferiore Ungaria adempta Laurentio fuerant, restituere, ne ille vicinorum Turcorum aliquando auxiliis fultus timori sibi ac formidini esset.

Deinde inter nobilitatem (que universum regnum refert) et patres proceresque seva ac imprimis memorabilis seditio excitata est, cum de tributis pendendis ageretur. Rex, ut sepe fecerat, singulos nummos aureos per singulas domos annui tributi nomine repetebat. Nobilitas autem ad veterem tributorum consuetudinem revocabat, in quam rex, dum coronaretur, iureiurando adactus erat, nimirum, ut a quinque domibus aureus nummus exigeretur pacisque presentis, qua omnia prope bella in perpetuum extincta essent, rationem habendam esse contendebat; aut, si singularum domorum tributum vellet, non cum patribus, sed cum nobilitate sentiret ac vetera regni de vi, de decimis ac vectigalibus exigendis instituta vetustate nimia obruta renovaret; patres esse, qui debita regi vectigalia interciperent, cum ipsi nihil penderent et pro rege a suis quisque populis tributum exigerent; patres esse, qui libertatem nobilium imminuerent et plebem servitute opprimerent et regis opes exhaurirent decimis non rerum, ut lex iubet, sed pecuniarum tantummodo exigendis et rebus omnibus ad utilitatem propriam traducendis; si autem nobilitatis tutelam aspernaretur et patrum fovere potentiam vellet, se haudquaquam hec inusitata vectigalia soluturos. Hoc modo clamantibus et ante curiam exposcentibus rex et patricii veriti, ne plebs (ut est novarum rerum natura sua cupida et multorum capitum bellua) longius, si quid negaretur, vecordia et temeritate proveheretur, repentinum fluctuantis ac tumultuantis multitudinis motum quacunque ratione sedare conantur, non ignari autem, quam sepe secundis, que nunquam solverentur, promissis magna etiam flagrantis populi seditiones essent restincte, plane se nobilitatis voluntati obsecuturos ostendunt Dominicumque Albensem et Ioan-nem Vespriniensem antistites decretis renovandis perficiunt eis-que protonotarios, qui ius dicenti semper adsunt, adiiciunt rati nobilitatem haudquaquam more sumptusque tedium usque ad rei,

que consulto prorogaretur, exitum perlaturam. Neque vero eorum vanā irritave fuit cogitatio, nam, dum decretis scribendis, ad populum ferendis et ad senatum referendis tempus teritur, multi e nobilibus more et sumptus impatientes abeundi potestatem poposcerant. Alii ne comiteatu quidem petito discesserunt; reliqui, qui remanserunt, partim ab optimatibus corrupti, partim rei perficiende desperatione adducti totos se senatui permiserunt. Ita nobilium ceptis astute delusis decreta intercepta et tributum annuum in singulas domos impositum.

Interea Valentino Varadiensi antistite, qui regi semper mirifice charus ac perpetuus constansque eius reipublice defensor fuerat, ex aqua inter cutem extincto multisque sese in eius locum contententibus rex in senatu Dominicum presulem Albensem singularibus virtutibus eius ac rebus sub Mathie primum, deinde sub suo imperio pro republica bene gestis expositis magna senatus et populi voluntate XIII. Kal. Iunias episcopum Varadiensem pronunciavit cum sua erga illum voluntate adductus, tum maxime studio Agriensis et Quinqueecclesiensis antistitis et Ioannis Bohemie cancellarii, qui principem tum locum apud se auctoritate et gratia obtinebant; in Albensis autem locum Georgium Frangepanum declaravit cum generis splendore, tum litterarum virtutumque omnium nomine apud omnes maxime commendatum. Die autem altero Pentecostes pontifices regulosque sollemnibus epulis omnes excepit, ubi preter exquisitissimas epulas pretiosum imprimis abacum gradibus septemdecim instructum exposuit, qui gemmato elaboratoque auro atque argento onusti omnium ad se oculos traducebant. Supremum ordinem duo cygni naturalis forme et magnitudinis tenebat, inter quos laterna crystallina variaque pocula erant interiecta; reliquos ordines gemmate phiale, lagene cuppeque auree, canthari, scyphi, diote vinee hydrieque quattuor eximie magnitudinis cene domini destinate. Chrysendeta vero et anaglypha multa ad novissimum gradum suberant, cui ea tantum commissa erant, que usui convivarum essent, cum superiora omnia pompe atque spectaculo inservirent. Triclinium autem auleis erat nobilissimis convestitum, in quibus Troiani belli series nimio artificio summoque opere erat intexta, hec omnia Mathie regis quondam fuerant, sed interregni tempore Ioanne Corvino profligato per palatinum et Iosam ad Wladislaum colligende eius benevolentie causa, ut fama hominum erat, fuerant delata.

Deinde, cum privatis rebus opera daretur et de vi deque dolo malo cause cognoscerentur, Petrus Pokius inter ceteros regis omniumque suffragio capitali supplicio condemnatus est, cum multorum testimonio Corvini familiaris sui castellum palatino prodidisse eidemque Corvino sepe interficiendi causa insidias tetendisse, fratrem germanum fraterna hereditate cedere recusantem in profluentem abiecisse et, cum evadere niteretur, lancea transverberasse constaret. Provocante eo ad Cesarem tum rex, Ne Cesarem, inquit, spectato, sed tibi repente moriendum esse

statuito. Sunt, qui dicant eum postea atrocina tredecim ultro
 confessum fuisse, quo factum est, ut postridie in foro d. Georgii
 inspectante populo vivus in quattuor partes discerptus fede perierit,
 quam mortem constanti tamen ille imprimis animo et Christiano
 homine digno assidue dei misericordiam implorando sustinuit.
 Prior autem Aurane, qui non modo a rege sepe defecerat et
 iudiciis decretisque eius parere recusarat, sed vim etiam multis
 intulerat et alienis castellis occupatis nomen regium in illis parti-
 bus usurparat et falsa nota nummos adulterinos signarat virgini-
 busque stupratis nihil omnino pii sanctive inviolatum reliquerat,
 quo supplicio affectus sit, parum constat. Alii Budam advectum et,
 quod quibusdam sacris initiatus esset, in Danubium demersum et,
 alii, que constantior fama est, apud Themesvarum perpetue custo-
 die traditum opinantur. Quibus rebus cum magna severitatis et
 sapientie laude confectis rex, ut sumptibus nobilium, quos diuturna
 Bude commoratione prope exhauserat, aliqua ratione consuleret,
 dimisit et octavas in Octobrem mensem prorogavit.

In Italia vero rex Gallie, cum se Neapoli commovisset, ne a
 tergo a federatorum exercitu premeretur et ut castra cum Aureli-
 ensi duce suo coniungeret, qui Italiam cum magno exercitu ex
 ulteriore Gallia paulo ante traiecerat, magnis itineribus ad Pontem
 Tremulum venit, ut in agrum Parmensem per angustias montium
 atque inde in Galliam penetraret; reditu vero a federatorum copiis
 sese avidè obiectantibus intercluso summo et memorabili ad
 Tarni fluvium prelio maximum eorum exercitum octo milibus
 stratis profligavit et patefacto aditu in Galliam ad renovandas belli
 copias explicandaque novi belli consilia properavit.

Wladislaus interea feda afficiente Ungariam pestilentia totum
 Augustum mensem venando, ut se longe a periculosa sevientis
 morbi contagione subduceret, in sylvis obeundis perlustrandis-
 que consumpsit. Demum habito in Schagvar cum pontificibus qui-
 busdam colloquio ad Segedinum concilium habuit. Pestilentie vero
 magnitudine adactus Chianadium, Baciam, Sanctum Michaellem
 Verrucemque peragravit et traiecto Dravo Babotiam atque inde per
 Simigiun. et Sabariam Semproniumque Posonium contendit, ubi
 Bohemorum Moravorumque conventum egit et Antonium Ni-
 triensem legatum ad regem Polonie Cracoviam misit. Quibus
 rebus rite constitutis inde Budam se, quo concilium octavis indi-
 xerat, retulit; ibi in senatu regio Sigismundus Quinqueecclesiensis
 sponte questura se abdicavit, quam parum secunda hominum
 admurmuratione gesserat, cum in solvendis debitis pensionibus
 difficillimus, nec minus in publicis pecuniis erogandis, quam in
 privatis condonandis lentus ac tenax fuisset. Sigismundus preposi-
 tus, homo et litterarum et rationum erarii non ignarus pro questore
 esse iussus; ei Nicolaus episcopi Nitriensis frater, qui apud
 Bohemos provisoris munere functus fuerat, collega additus est.
 Institutis octavis querentibus plebeis, quod lites immortales a
 iudicibus redderentur et, que educte dicerentur, nunquam decerne-

rentur, rex edicto proposito quo cavit, ut expedito de eductis causis indicio statueretur, gravem, que imminebat, opportuno consilio seditionem coercuit.

Inde in frequentissimum nobilium conventum, qui in ede d. 90
 Ioannis habebatur, ex arce ultro progressus pauca, que tempus
 poscebat, de Beatricis nuptiis et de dicarum exactionibus per inter-
 pretem Varadiensem disserenda sibi putavit ac de Beatrice qui-
 dem eadem, que antea semper, se ab ea ducenda aversum anim-
 um habuisse etatis eius gravitate et nature sterilitate deterritum
 atque in hoc non suo magis, quam eorum commodo inservisse, ne
 ulla ex se superstite prole regnum ad aliorum imperium necessario
 traductum gravi seditione aliqua tandem excitata corrueret; eam 91
 vero, quo voti sui compos fieret, nihil pretermisisse usque adeo, ut
 se perfidie etiam apud pontificem regesque omnes Christianos in-
 simularit et multa in regno suo sepe mala molita sit, que, ne cum
 muliere bellum gerere videretur, ipse dissimularit; verba ei se 92
 dedisse non posse inficiari, at id se cum patrum auctoritate et
 aperta rei in senatu contestatione, tum eo iure facile tueri posse,
 quod ne illa quidem promissa ingentia sua prestiterit, quibus si
 stetisset, Austria nunquam amissa esset; se tamen eorum consilio,
 si secus videatur, usuram inque eorum potestate semper futurum.
 De dica vero ita locutus est, ut eam necessario pendendam esse con- 93
 tenderit, quia per certos exploratores compertum haberet Turcos
 inter Synderoviam et Taururum castellum ligneum machinantes
 multam eo materiam advexisse, qua repentinum opus educerent et
 inde Albe Grece portis quotidie contumeliosius insultarent. Regi 94
 hec dicenti alacriter ab universa nobilitate responsum est placere
 omnino, ut virginem duceret, cuius matura fecunditate faustissima
 regia proles longe propagetur, atque ut ex singulis ordinibus bini
 oratores deligerentur, qui Beatricem diserte, aliam ut sibi condicio-
 nem quereret, admonerent; de dica vero vetera regni decreta
 servari sibi placere, quibus ille se, dum coronaretur, iureiurando
 interposito obstrinxisset, nam, cum divi quondam reges sanxissent,
 ne nisi in quinos aureus quotannis nummus imponeretur, ipsum
 regis institutis neglectis in singulos indixisse et bis in anno
 exegisse. Quin etiam populos eius omnes gravissime expostulare 96
 dixerunt, quod intra sex annos bis decies octies centena milia num-
 mum aureum regi pependissent neque, in quos reipublice usus
 ea collata essent, pateret. Cumque ad hec subito sexaginta tantum 97
 milia nummum se accepisse dixisset, tum universa nobilitas ex-
 clamavit: Enimvero ferendum non est, ut dica imponatur, nisi in
 manus regias tota perveniat, immo vero in eos etiam, qui pecu-
 latum fecerint, constituenda questio est; nec dicas in privatas 98
 necessitates converti cum tanto regni detrimento permittere oportere;
 demum, quod ad presens tempus attineret, se non modo
 unam in anno, sed duas etiam aut tres, si rex iussisset, soluturos
 et gratuito etiam, si rex poposcisset, stipendia pro republica meri-
 tuos dixerunt; quod si ille, ne optimatum a se voluntates ver- 99

teret, triste hoc questionis officium recusaret, se apud tribunos plebis eorum, qui peculatum fecerint, nomina delaturos et eorum iudicio multaturos; esse autem e questoribus, ad quosnam illa vectigalia pervenerint, eruendum. His in ea contione ita peractis 100
paucis diebus intermissis, cum imposita dica obtineri non posset, nobiles, qui bini ex singulis comitatibus acciti venerant, longe tedio more occulte domum ceteris Bude remanentibus abierunt. Nec ita multo post atroci inter patres plebemque veteribus simulta- 101
tibus accense seditioni novam res prope minima causam attulit.

Tumultus a Christianis pueris in vico Iudeorum casu est excitatus indecora nimis petulantia in eorum ianuas insultantibus ac vitrea fenestrarum specilla temere lacerantibus, quos cum summovere pro viribus Iudei instituisent, ingentem adversus se humilium hominum multitudinem concitarunt et eorum maxime, qui rebus domesticis impediti facile spe prede et rapinarum ad quodcunque flagitium adducantur. Quem tumultum cum, quoquo 103
modo possent, sedare Agriensis familiares domo egressi vellent, maiorem multo fecerunt et gravius plebis etiam animos irritarunt, quod Agriensis imponende dice vulgo auctor existimaretur et superiore item anno familiares eius ad defendendas Iudeorum iniurias missi mortem tribus Christianis adolescentibus intulissent. Rixa usque ad noctem perducta aliquorum regulatorum intercurso 104
demum sedata respreseque rapine sunt. Illucescente autem die 105
multi partim superioris diei parum secunda pugna incensi, partim spe prede certiore illecti Iudaicarum edium oppugnationem renovant crescenteque in horas multitudine in eorum tecta valvis ianisque refractis illapsi supellectilem diripiunt, pignora asportant, vasis aureis argenteisque, vestibus sericis auroque intextis manus iniiciunt; alii longe ab edibus quasi in statione locati 106
abeuntes cum preda homines opportuniore consilio aggressi novum diversis urbis in partibus tumultum spoliandorum illorum causa miscent et, quod tumultum magis augebat, familiares procerum, qui regis dominorumque suorum iussu ad reprimendum tumultum occurrerant, pariter ad edium populationem conversi iniurias, quas defendere simulabant, vehementius inferebant. Quare in tanta 107
totius civitatis trepidatione et universo omnium prope periculo rex ad summum remedium deveniendum ratus prefectum aule cum pretorianorum cohorte immitit, qui, cum unum alterumve abreptum subito inspectantibus ceteris obruncasset, reliquos omnes facile instantis supplicii terrore continuit. Longius autem in ple- 108
bem invehi rex non est ausus, ne eius animos in pontifices vehementius irritaret atque ex seditione seditionem multo acriorem sereret.

Iisdem diebus, cum Pragenses oratores ad regem venissent, 109
decem ei equitum milia atque adeo, si necessitas posceret, quindecim milia polliciti sunt petentique regi, ut viritim unius grossi vectigal penderent, responderunt se summo studio bis quaterve in anno ad eius arbitrium soluturos. Egerunt ei etiam quam amplissi- 110

mis verbis gratias, quod causam hereticorum pontifici Romano maximo commendasset, ostenderun'que se ad officium ritusque Romanos libenter redituros, si iisdem condicionibus, quas Sigismundo imperatore obtinuissent, in gratiam redire pontificis et senatus apostolici possent. Demum supplicarunt, ut regnum suum 111 inviseret, seque suis sumptibus universam aulam alituros et omnia ecclesiarum bona a se ante adempta ultro restitutos et in sacros usus collaturos receperunt.

Dica vero, quam rex maiores iam res in animo agitans imposuerat, in proximum reiecit concilium est; eius rei omnis penes Sigismundum et Agriensem, quorum ex auctoritate imposita putabatur, invidia fuit. Qua de causa Sigismundum peculatus reum 113 quidam fecere. Iudices extemplo dati e pontificibus Varadiensis et Nitriensis, e proceribus Lossoncius, ex plebe Franciscus Bornemissa, qui in secunda seditione magnam adepti laudem fuerant. Iudicio agitato ex confusis eius rationibus aperte peculatum eum 114 commisisse statuerunt. Itaque iussu regis repente comprehensus et in carcerem magna plebis gratulatione conditus est. Captus 115 quoque cum eo Dombaii proquestor eius, qui propter eximium avaritiæ artificium omnis peculatus auctor habebatur; cum solvendo non esset, ad Themesvarum perpetuo carceri traditus est. Sigismundus autem in rempublicam se deliquisse ultro confessus, cum 116 carceris fedtatem ferre non posset, dignissimum se, qui fortunis, episcopatu vitæque ipsa spoliaretur, tacita religione et conscientia compellente professus quancunque pecunie summam, ut inde eximeretur, soluturum esse pollicitus est. At vero, ubi de pena 117 iudices decreverunt, quadringentorum milium multa contenti fuerunt moderante quidem et censente omnia rege, cuius tanta in omni actione gravitas et in castigandis flagitiis severitas erat, ut vulgo omnes acerbum iam nimis et acrem putarent, quem paulo ante plus iusto patientem et lenum iudicassent; metuque perculsi omnes dicam, quam antea recusarant, ad minimum se regis 118 etiam nutum soluturos et omnia ex eius voluntate mandata enixe facturos esse profiterentur plebsque semper mobilis et titubans unum se tandem nunc regem habere voce constantissima predicaret.

ANNOTATIONES CRITICAE.

om.: omittit, omittunt - *omn.*: omnes editiones (et codex)

[m: codex Budapestinensis; dec. IV. f: editio Sambuci a. 1581. Francofurti. lib. 5., 259—64.] h: editio a. 1606. Hanoviae.
 [n: codex Budapestinensis; fragmen- i: editio a. 1690. Coloniae Agrippinae. tum Praefationis dec. V.] p: editio a. 1744. Posonii.
 [c: editio Helti a. 1565. Claudiopoli; l: editio Caroli Andreae Bel a. 1771. libri I—IV. decadis IV.] s: editio Sambuci a. 1508. Basileae. Lipsiae.

a: s, f, h, i, p, l

v: s, f, h, i, p

g: f, h, i, p, l

De codice et editionibus, item de codicis et editionum affinitatibus v. Introductionem in tomo I.

Scripturam codicis v. pagg. 226—27. tomi I.

Variantes editiones: Bohemia et Boemia etc., Hungaria et Hungaria etc., Mathias et Matthias, Transylvania et Transsylvania etc., Turcus et Turca etc. etc. non ubique significavimus.

DECAS IV.

Antonius—Liber I.] Antonii (Ant. fh) Bonfini Rerum Hungaricarum (Ungaricarum a) decadis quartae a Sambuco repertae (a Sambuco repertae *om.* cs) liber I. ca - 1. Iaytza c, Iayiza s, Iaitza l - Boscenae s, Bosniae g - Corvine] Hunnyiadicae c - 2. ipsa est] ipsa c - 4. Dionisius s - Szech c, Széch l - Corvinum] Hunnyadem c - 5. Cum tanto] tanto g - magnanimum] magni animi c - hunc invictissimum) invictissimum il - Romane gentis] veterum heroum c - appellant il - 6. vestes] vectes a - 7. Corvino] Hunnyiadici c - 8. aut torques] autem torques a - aureas c - 9. nuncupant c - 10. referenda gratia a Waradiensem c - 11. Waradiensis c - ditata] ornata c, dita i - 12. alto solio] altisolio c - 13. Witesius c - nobiscum in captivitate] in captivitate nobiscum c - liberaviert (*sic*) c - Transylvanica c, Transsylvania g - Bostenensis: s - singularem ob c - genitricem] matrem c - numen] nomen c - Bihoriensis] Waradiensi c - 14. illudque] illud a - curule c - triaque c - 15. robore et] roborum c - habere c - sepe] semper c - 18. Iaytze c, Iazae p, Iaitzae l - 19. neque negligere *om.* c - vincere a - 20. pii c - quos c - Phutacum c, Futakum l - Emus g - Iaytze c, Iazae p, Iaitzae l - 21. Peloponeso c, Peloponneso i - Istmon c - Ionia c - eduxissent c - irrumpente] circumventi a - recurrerant tum c - 22. Anchonam c - decem] X. a - decimonono] XIX. a - *Callen.* *omn.* - Sept. a - 25. Emus g - tres cpl, tres sfhi - hic cuncta] haec cuncta a - refertur i - 26. Zoynicon c - 27. protegendam hip - Coloscensem c - 28. Zoynicon c - Sewernicum c, Steevrinchum s, Strebernichum l - streveron] sewerum c, strebro l - 29. cum] tum c - 31. Zoynicum c - obsederat c - vexarat c - nequiverat c - 33. Deinde c - Mahumetem chipl - 34. fama coepit c - seque] se a - 35. signa—iussit *om.* c - relictis] reliquis hi - 36. utrique aliqui c - Iaytzam c, Iaitzam l - Corvini] Hunnyiadis c - Mahumetem chipl - Zoynici c, Zoymichi v - iusserat c - 37. intellexit—repetendam *om.* c - Szegedini cl - 38. Szegedinum cl - Dionisius s - Sechus] *om.* c, Cechus s, Zeczhius f, Zechius hip, Zéchius l -

Quinquecclesiensis a - Orság c, Orsagh fhip, Ország l - ad om. c -
 usque om. c - 39. rerum om. c - 40. Dionisius s - 41. Witaez c, Vitézius
 l - aliorum om. c - pontificali c - 42. regiis] regis c - ibi om. g - Ro-
 mam oratoribus om. c - Emo l - 43. Quinquecclesiensis a - Rozgonius
 cl - his] iis c - 45. Croatiam c, Crovatiam l - 46. Frangepanis c -
 Serviam c, Segniam g - Modrusiam g - 47. Modrusiensis g - Martinus,
 Dimus] Martinus Dimus c, Martinus divinus a - duoque] Domque c
 - 49. Suella c, Suohla g - 50. Zagrabiam sf, Zagrabiam cpl - in] a a -
 Suella c, Suohla g - donaretur a - 51. Batoleczk c, Patoleczki hipl -
 generum] Genet c - 52. desciscendi] descendendi c, desiscendi s, di-
 sciscendi l - 53. Suella c, Suohla g - Kostolán l - tunc] tum a - 54.
 Suellae c, Suohlae g - Tyrnavia c, Tirnavia l - 55. Podmanitzki c -
 56. cogor a - Allemannosve c, Alemannosve a - quando] quoniam c -
 58. Tyrnaviam c, Tirnaviam l - eum] enim il - festinat] ac statim c -
 imminer (sic) i - omnino c - 59. praetexisset c - Tyrnaviamque c,
 Tirnaviamque l - XXV a - 60. ni] in s - 61. Dixere c - nil aliud]
 nihil aliud c - pollicentur c - omnibus] omnique c - 62. se Blasius
 prodidit] Blasius prodiit c - imperiosus v - nihil c - quando] quoniam
 c - 63. Ii] Hii c - Kostolán l - Suella c, Suohla g - 65. asserunt]
 auferunt c - Suella c, Suohla g - redintegrantur—feminarum om. c -
 Suellae c, Suohlae g - 67. Zagrabiam cpl - Suellae c, Suohlae g
 Tyrnaviam c, Tirnaviam l - Kostolán l - 68. nulla c - properam n -
 comneatum i - 69. Suella c, Suohla g - cui tantum] Hic tantum c,
 cum tantum l - obsumptum c - 70. congesta om. c - clam] clara c -
 71. Suella c, Suohla g - 73. ea om. il - 75. his] iis c - 76. Suella c,
 Suohla g - oravit c - sese] se c - quousque] quosque c - 77. Suellam c,
 Suohlam g - ille] at ille c - 78. Suella c, Suohla g - quot] quo c - 79.
 Suella c, Suohla g - 80. Suellam c, Suohlam g - Czethe c - Zenas]
 Szénás c - 81. Costolan v, Kostolán l - Suellae c, Suohlae g - 83.
 Zenas] Szénás c - Suellam c, Suohlam g - 84. memineras c - convivas]
 conlectones c - 85. Suella c, Suohla g - 86. mori om. c - 87. male]
 malo c - 88. Maiorem Blasium] Magyarum Blasium s, Blasium Magyar
 g - 90. inferiori a - erat insignis c - Suella c, Suohla g - 91. conterriti]
 absteriti a - 92. Ii] Hii c - Bathor c, Bathore a - cognominatu c -
 93. Zobar c - arcis om. c - amoqui c - 94. Interploratis i - 96. Szegedi-
 ensi c, Segedinensi a - Quinquecclesiensis v - Rozgonius c - ii] hii c -
 fuere] fuere et c - 97. cum his] is c - 99. enim om. c - 100. colloque-
 rentur a - 101. ad] ob c - 103. obtemperatissimum i - Mahumetem
 chipl - dolosve c - exposcentem c - desiderio c - moliti i - 104. peni-
 tus om. c - esset] est c - igne c - Syndoroviae i, Senderoviae l - 105.
 Mahumetem chipl - Iaytzam c, Iaitzam l - Bessenamque s, Bosnamque
 g - 106. Almaniamque c, Alemanniamque l - videretur l - 110. occur-
 rerent c - succumbentem c - 112. quando] quoniam c - nemo] non c -
 implorent c - 113. sanctum] factum c - 114. etiam] et c - Thininiensis
 c - que] ut c - Colociensis archiepiscopi] episcopi c - 115. Walachiae
 cl - wayvodam c, waivodam l - despotem c, depositam i - 116. po-
 tentum c - nihil] nil c - 117. etiam] et c - 119. Kismárton c, Kismárthon
 l - Forychstam v, Forchtenstein l - 120. nihil] nil c - impositum c -
 121. his] iis c - 122. nihil bis] nil bis c - 124. se om. c - 128. Transsyl-
 vanos hil - rebellant c - Transsylvanae shil - 129. wayvoda c, waivoda
 l - 130. clientum c - 131. inusitate c - Transsylvanis a - 133. wayvoda
 c, waivoda i - inesset] inest c - nossent] norint c - 134. Hii et consimilibus
 (sic) c - ab re] absre c - quando] quoniam c - competitor] comperitur
 c - dedecuisse c - 135. multis c - agi] egi c - 136. immunitates c -
 corrogandarum] corradendarum c - 137. wayvodam c, waivodam l -
 propense] praesentem c - pientissimum] potissimum i - Transsylvanae
 a - 138. Transsylvanum a - e] tot c - matrem optimorum c - 139.
 Transsylvanis a - quando] quoniam c - wayvodam c, waivodam l -
 141. Transsylvana a - wayvodam c, waivodam l - 142. Transsylvanos
 a - 143. Wylakum c - Transsylvanam a - toleraretur c - 144. Zoynici c -

Bozazin g - 146. Alibegus cl - Skender c, Scander l - uterque cornu] utrinque cornua a - ducerent a - 147. iij] hii c - consternati c - aufugere] effugere a - 148. conicit c - Labatlan c - 149. et pro] e pro c - 150. etiam om. c - 151. Transsylvanos chipl - quoddam] quidem c - 152. sigillatim a - 153. continuantur] continentur c - et om. c - 154. morti c - 156. superiore illi die] superiori die isti c - 157. wayvoda c, waivoda l - 158. prius om. a - 159. tibi om. a - et invidiosum] ac invidiosum c - 160. Matthia cl, Mathiam s, Matthiam fhlp - imploremus c - non quandoque] nunquam c - 162. fassio] passio v - 163. Transsylvam s, Transsylvani cfil - 164. animorum indignitatem] amicorum indignationem c - deasperandam c - 166. Walachum aut Ruthenum c - introducturum—minabatur c - 167. his] iis c - occuparent a - 169. et om. c - externo om. c - sustinere] subire c - 170. oves] omnes c - Transsylvaniaeque hl, Transsylvanice i - 171. venirent c - 172. autem] aut c - Hercule fhil, om. p - confluerant a - 174. qui huc] quibus sfhi, qui pl - et obsequium fhlp - nihil] nil c - 176. Transsylvaniam hil - respiscunt a - 180. et om. c - possit] potest a - 181. Transsylvanis hil - 182. Transsylvanis c, Transsylvanicae hil - 183. Iohannes c, Transsylvanica c, Transsylvanicae hil - mite c - se om. il - 187. metum incessisse] metuisse c, motum incessisse a - 188. posse om. c - 189. ad Emericum] cum Emerico a - 190. Transsylvanam chil - 192. qui om. c - his] iis c - luberet] iuberet c - etiam] et c - 193. perfidia c - 195. Transsylvanicae hil - his] iis c - perduellione c - 196. Ne—quidem] Et quidem non parum c, Nec—quidem a - acciri] accersiri c - capitis om. a - Tornae s, Tordae f - his] iis c - 197. Gereb] Gere c, Gerch a - Súi c - Czecium c, Chericum sfhpl, Chericum i - ii] hii c - 198. dive] diei e - Transsylvanica hil - Walachiae c - 199. wayvoda c - annuaque] omniaque a - exolveret c - Transsylvanas hil - 200. Walachum c, Vidalachum v - 201. Ubi om. c - ibi igni c - Romanwásár c, Remanvasiar v, Romani-Vásár l - Seretus c, Strethus l - abluit a - 203. nihil] nil c - 205. Moldavis Bania] Moldvabanya c - 206. quod] qua a - 208. Sytulus c, Sythotus v, Scythulus l - accitus v - Transsylvanum hil - 209. Walachorum c - hinc procul c - 211. Dragffi Bertoldum c - 215. Walachi c - igni om. c - 218. Walachis c - ii] hii c - 219. Czupor c, Chlupar s - Pancratius c, Pongratius g - wayvodae c - Transsylvani hil - Banffi ci, Banffia fhlp, Banffi l - Bathori c, Báthor l - 220. peritura] iri perditum c - et om. a - Walachi c - 221. hostes se c - surripiunt c - propera] propria fhlp - 222. exilueret] exivere c - 223. quaque] quoque c - laborantibus] liberantibus i - 224. e] ex c - Walachis c - cecidit om. g - Walachorum c - et om. c - 226. queque] quoque c - 227. Transsylvaniam chil - Braxoviam] Coronam c, Brassoviam g - 228. wayvodarum c - capitis om. a - Szekelem c, Zékel l - Alárdum c - Wizakna c - Coloswar c, Colosvár l - forpicibus c - frustatim c - 229. Walachos c - 230. Transsylvanica chil - wayvoda c - accepit literas c - numinis] nominis c - 231. postulabat—fore] non difficilis, sibi postulabat ignosci c - 232. ac] et c - voluerit c - sin] si a - Martem] mortem c - cruentissimam—dirempturam, illam c - 233. Carpatho g - Strigoniensem om. c - regi c - exoravit] petiit c - amplexatus est (sic) sfhp, amplexus est il - 234. Duo s, Quo missi g - semis c - 235. Colocen. c - 237. Transsylvanica hil - Tybisco c - indicto c - consedit] subsedit c - 238. hactenus] deinde c - 239. Paulus] Pius c - 240. Itale] Italiae c - Christianae consuetudinem c - 241. non] non ac i, ac non l - natura] natum a - ac om. il - publice c - 242. sexagesimo sexto] sexto c, sexagesimo octavo g - Quinquecclesiensis v - Rozgonius c - legati om. c - pontificiis] pontificis c - 244. Siriaco Aegyptiacoque c - 245. reddiderant] praestiterant a - Polonici Bohemicque (sic) c, Boemicae Poloniaeque sf - eiecti c - 246. et iustitiam om. c - 247. ingenuus c - contemneret] continueret c - 248. pontifices c - Quinquecclesiensem v - quoque] quaeque c - 249. epistolis] exemplis c - Mustenbergensemque c, Munsterbergensemque fhlp, Münsterbergen-

semque l - Sembergus c, Steinberg l — severe] seminavere c - 250. in] enim v, enim in l - pretextendum] protegendum a - 251. Ne] Nec a - Eytzinger c, Eymiger s - his] iis c - 252. ab] abs c - 254. nihil] nil c - proceribusque om. c - 265. Mahumetis chipl, Maumetis sf - 257. enim om. c - solere om. c - Hungarorum c - 258. sapientiam om. c - nihil] nil c - 259. olim] nuper g - 260. tacentes a

LIBER II.] Antonii Bonfini (*sic*) Rerum Hungaricarum decadis quartae liber II. c, Rerum Ungaricarum decadis quartae liber secundus (II. fhfp) a - 1. diversis c - delegetam (*sic*) c - ac om. c - 2. assereret] asservaret c - 3. his] iis c - 4. principes a - 5. plus] prius a - 6. Nec a - nullam om. c - 7. etiam] et c - 8. mihi esset] mihi c - enim om. c - Turcicum c - 10. ut om. c - fluctuat c - Slesiae c - 11. ex] etiam a - 12. excolit] extollit c - 15. Usitas s, Hussitas g - 19. ii] hii c - 21. quae-ritur c - 22. perferre c - proponere c - 24. digeretur il - 25. nisi] ni c - 27. ignaviam s - 28. ipsa adfert] affert a - 29. alter—alter—conatur c - 30. materia est a - 31. oppetierit c - 34. animarum c - 35. agendam] augendam c - impiorum—pestem] haeticorum impietatem a - 36. animae c - 37. Walachico c - molestie] molestiae i - 38. omnibus] hu- manis c - pristina c - Boemia c - 39. ac] et c - Telephus a - Giskra l - plurimis c - et igni c - 40. Suella c, Suohla il - molitus sit] moliebatur c - Lippa om. c - Eycingerus c, Eytzingerus l - Steinbergus om. c, Seinbergus v, Steinbergus l - 43. omnes hominis a - vires] iures s - 44. Difficultatem si c - 45. his] iis - perquam suavis] persuavis a - 46. Sed om. a - 47. situm om. il - qualoremque s - 48. sed om. c - prepotens] praeponens i - 51. conferet a - 52. pater om. c - cum] una cum c - edicit] dicit c - 53. Mahumetes chipl, Maumetes sf - sibi] illi c - Siriis et Egypitiis c - Assirorum c - 54. Scillam c - Charibdim c, Charybdin a - 56. sequamini c - 58. Corvinum Corviniq] Hunnyia- dem Hunyadiisque c - 59. virtute] veritate (*sic*) c - 60. ivere] iniere c - 61. Wylakus c, Uylachus v, Ulack l - 62. Mahumetis cil - 63. Otho- mannica c, Ottomanica l - agere i - 64. permisit] imperavit c - 66. eas, que] easque s - ,verbis c - 67. Ut oratores c - dimissi et] dimisit c - wayvoda c - 68. Banffy c, Banffii i, Banffi pl - denique om. c - 69. exegerat dies c - Ponium c - intendit c - subsequi c, sequi l - 70. Poonii c - convenerint c - improbe] improcae i - indicandum i - com- paravit c - opinione i - 71. ergo om. a - e Praga a - operitur om. - 72. Poonio c - Roborelle om. c - 73. pontificis c - Corvine] Hunnyadicae c - 74. deficit c - 76. Poonio c - Lavam] Lunam c - dividit] dirimit c - posteriores c - 79. et prudentia] ac prudentia c - annum] annumque s, annum, que g - veteranus] veterano c - 80. nunquam—nomina om. c - 81. causae c - remitti] reniti c - 83. deterreret c - convincere ratione] coicere (*sic*) rationem c - 84. utrinque] utriusque a - His] Hic c - 86. defendendum c - Trebyczum cfhp, Treyczum i, Trebyzam l - 87. re- gem] regnum sfhi - ii] hi c - Scepusiensin (*sic*) c - nimis] munere c - Czupor cl - wayvoda c - Báthor l - Maior] Magyar a - Chinis] Kinisi c, Kinisii fhfp, Kenesey l - Banffy c, Bamfy s, Banffi fhfp, Bánffi l - utrisque s - Quinquecclesiensem s, Quinquecclesiensium fhi, Quinque- Ecclesiensium p, Quinqueecclesiensium l - 88. in] ad c - Maiore] Ma- gyare a - 89. vinarium] vinorum c - curru c - humo] homo cl - 91. pancratio] pyrrhica c - perspecta] pro spectata a - 93. Ulissem c - Czupor cl - 94. Trebyczum cfhp, Trebyzam (*sic*) l - 97. Trebyczum fhfp, Tre- byzum l - 101. Bruennam c - Spilbergen c - 102. appropinquassent a - vellit] c - 103. Romano c - accipiat c - 104. his] iis c - Bruennensis c - principes c - intercidere v - 106. usus] tempus c - 107. obfirmata] affir- mat a - 109. noster] non c - non om. c - gratissimum] gravissimum c - officio om. c - 110. maxime v - et, quando] quando c - secterni] c - omnia—onera c - 111. sanctissima v - dicamus] dicimus c - 112. pa- rata] grata a - 113. angustae c - gregarii i - 114. his] iis c - 115. Bruen- nenses c - 116. nihil] nil c - timere c - defensuram c - commoda om. c -

117. ac] ad il - subit c - Bruennensibus c - 119. Bruennam c - cum] eum c - at] atqui c - 120. Cumque] Quum c - 122. vero *om.* c - qui—terit *om.* l - terit *om.* v - 123. eia] ea c - 124. Hiis c - quo *om.* c - est *om.* c - 125. inter utrunque—graves] item plerunque et contentiosum plerunque et grave c - 126. vir] ergo a - salsus] falsus i - praestantioris c - esse *om.* c - habendum c - 129. sententiae s - et] Hic c - 130. proceriore c - utrinque c - 131. Tam *om.* c - initum c - 132. uterque animo] itaque animo fit c - 133. res *om.* c - nunc Ungarus] et Hungarus c - dimicant] micant v - editur] agitur c - 134. area c - consterneretur *h*ip - 135. iniquo c - capta] rapta a - 138. paucos—dies c - elidi a - 139. Maiorem] Magyaram s, Magyarum g - in obsidione dimisit] obsidioni praefecit c - Olomocium c - itinere semper c - vi capta c - 140. Olomocio c - 141. tantum] tandem c - munitissimo c - 142. emissis c - 143. Maiorem] Magiarum f, Magyarum *h*ip - rex cum Emerico c - 144. apparavit c - 145. vero *om.* c - invertit c - et *om.* a - 146. Transylvaniam l - litteras misisse c - accipere civitatem] una cum civitate c - 147. quem] quoniam ita c - his] iis c - 148. divi Michaelis] Michaelis diei c - coegisset] cogitasset c - sat *om.* c - 149. Spielbergum c - Maiore] Magiario f. Magyaru *h*ip - Olomucium c - 150. Olomuci c - legitime *om.* c - 151. isque] ubi c - 152. Ibi itaque c - libertate c - assereret] asservaret c - 153. Slesiam c - movit c - Vratislavia c - et praesertim negotiatorum c - abluit v - 154. Munificentissime c - Vratislavienses c - ac detulere] detulere c - huncque] et hunc c - dominum] ducem a - 155. Vratislaviensium c - regis] regionum s, regi eorum g - 156. ab epistolis] ob episcopalis fastigii dignitatem c - Vratislaviam c - mille] millite i - 157. illos *om.* a - quos *om.* a - remiserat illos a - Austriales c - 158. collatam] collectam c - impenderet c - 159. Austriale c - 160. data] nata a - 161. Slesiae c - sibi *om.* c - redit c - ubi *om.* c - Veszele c, Wezele l - 162. ac *om.* c - Veszele c, Wezele l - ab] a c - cum oppidan] eum oppidan] i - Veszele c, Wezele l - 163. Cui] Huic c - haecine c, hucine a - opinio *om.* c - te *om.* c - tue *om.* c - 164. ut *om.* c - semet ipse] seipsum c - 165. hostis] hos c - 166. ac] et c - sit] est a - infecto s - 167. eque *om.* c - verebatur] rebatur c - 170. Huson *h*ip, Husein l - Cassan] Bassa l - Assiriorum c - et ceso] caeso c - Mahumetem sil, Mahumethem p - Othomannicamque c, Othomanidamque *st*hi, Othomannicamque l - 171. Mahumetes cil, Mahumethes p - Trapezunciae c, Trapezuntio g - 172. Chanales c - Thraciae] Turciae c - abducit c - Vestitumque c - 174. Arminium] c - liberis *om.* c - 175. Tergustini c - 176. Alemaniam] Allemaniam c, Alemaniam (Alemanniam p) Stiriam *h*ip, Stiriam l - 177. secutus] securus c - Mahumetem cil, Mahumethem p - 178. septuagesimus c - hibernis c - praeparato c - 179. Iaurinum] Taurinum c - eundem *om.* a - 180. an animi] an animae c, animi v, et amici l - 181. competitores] quum petitores c - 184. Ad Cuthnam—civitatem] Cuthnae—civitati c - est] abest c - Czupor cl - wayvoda c, waivoda l - Transylvanus l - heretici] Henrici v - 185. imprimis regni] cinprimis (sic) regum s, cum primis regum g - 186. cum] qui c - Corvinum] Hunnyiadem c - orator affirmabat c - 187. Referebat c - Albertum] Apertum s - 188. ubertate rerum] rerumque c - aliis—unquam] nihil utriusque a - quam *om.* c - 189. ambitu a - geri] regni c - etiam] et c - 192. preficiendum] praefendum c - 193. legitimaque c - Austriales c - pacti] patriae c, pacta *h*ip - 194. censuere a - idque c - malle *om.* c - opinionum] Hussiticarum c - 195. intercipit c - per] propter c - et] in c - commodissime c - 196. his] iis c - 197. hodierno die *om.* c - nil] c - profecte hi - Vladislaum *omn.* - Ladislai—regis] vestri a - et equitatem] ac aequitatem c - vos—salutis et *om.* c - 198. utriusque] utrinque c - non memorabit c - imbecillam cl, imbecillum i - 199. vos *om.* a - diffidemus c - 200. et iure] tamen iure c - fuerit] erit a - 201. omnium] omnia c - consulendo c - omnia publica] omniaque publica c - Vladislaum *omn.* - 202. annos penes *om.* a - surreptis c - 203. sorore—fratri c - 204. Vladislaum *omn.* - esse *om.* c - 205.

regis] regum c - Boemia fluctuabat c, Boemi fluctuaret (*sic*) s, Boemi fluctuarent g - petistis c - 206. lege] rege c - praecipiti c - et avunculum et c, et avunculi v - privaret c - 207. Nil c - et in] in g - et fas] ac fas c - 208. iustitia] insticia c - 209. Recenseatur c - Vladislaus *omn.* - considerate] reperietis c - connumerate] commemoraretur c - pientissimi c - Vladislai *omn.* - parentes c - e paterno genere quinque c - 210. parum *om.* c - haereditatum c - omne] minime c - 211. ii] hii c - super] semper c - 212. liceat c - 213. defraudaverit c - 214. Vladislaus *omn.* - 215. Num] Quis nam c - tam] num a - fausta et generosa indoles a - num adolescentia] nam adolescentia c - 216. primo c - sanctissimo c - 217. Craccoviae c - sophistas *om.* c - 219. praepotentissimum c - vivere et sapere] vincere et superare c - 220. Tempore l - in studia] studia a - confertur] usurpat a - decurrentes c - peditibusve hip - hostem vincere c - docetur c - 221. ingentis sfhi - recognossit s, recognoscit g - 222. Vladislaus *omn.* - plures denique] denique n - 223. repenti c - ingenio miti, constanti et benigno c - corporis c - 224. prefert] refert c - 226. tempestiva c - 227. gratia c - assequuntur c - 228. ex proprio c - et aliena] aliena c - 230. latere] late c - indicet c - vos *om.* a - 232. sumus *om.* c - ambulantes c - sectas parvum] septa patrum c - 235. quod si feceritis, hac] hac c - utrinque c - consuletis c - 236. prompta] perpetua c - Vladislao *omn.* - cuneatim] corneatim c - 237. Vladislaus *omn.* - 238. Vladislao *omn.* - regi *om.* c - patri *om.* c - regno feliciter] regno c - Vladislaus *omn.* - 239. ii] hii c - humc] has a - 240. repulsi—ruboreque c - 242. Sirmiensis c - ferret] tulerit c - Sirmium] Sirmiensem c - inferioris—ac *om.* c - Allerniniamque c, Alemanniamque sfhi - adorianur c - 243. in re bellica] iure bellico c - 244. initum] extructum c - demolitur c - esse *om.* c - 245. Sabatz c, Sabaz v - Turcica] Turcia i - his] iis c - sunt c - 246. Mihaelem c - et castellum c - demoliantur c, amoleantur s - 247. et cogunt c - 248. iidem a - 249. quando] quin c - Turci—edunt] aggere ex egesta terra sic eductum c - aedificarent c - 251. Sirmiensem c - 252. ex *om.* c - cogerentur—253. deditioem *om.* c - 254. Slesia c - ceperat *om.* c - 255. Vicegradii fhyp, Vissegradii f - post] per c - 256. Mahumetes cl, Mahumethes ip - quadringentorum c - in tremeribus ducenta c - Euboeam cl, Euboeam v - tricesimo c - potiatur c - 257. Quod] Quid c - quarto] 4. v, IV. l - duodecim] XII. sfhp, 12 il - pedes] devote c - pie *om.* c - 258. Veneti] Eneti s - Euboe c, Euboeae v. Euboeae l - in-structa—classe c - 259. Calcidae (*sic*) c - subvenisset c - advectus] adductus c - 260. Carchinione c - Burgundionem s - 261. Sabatz c - imperii] imperatoris c - Euboeae cl, Euboeae v - 262. At Bohemi c - Vladislaus *omn.* - 264. his] iis c - lectum a - caeterorum c - Vladislaus *omn.* - suscepit a - 265. hii c - 266. disquirendas imprimis eas c - exegit c - 267. Sepusiensis c - Sepusiensem c - Feytskoe c, Feyerzkeo v, Feyerkö l - 268. muniis] muneribus c - Bohemiae c - disseremus] dixerimus c

LIBER III.] Antonii Bonfini Rerum Hungaricarum decadis quartae lib. III. c, Rerum Ungaricarum decadis quartae liber tertius (III. fhyp.) a - 1. fato] festo s - universis i - vitae illius c - inveniret] immineret c - 3. periclitaretur] conspicuam redderet c - 4. Ne] Nec a - favore] furore c - catena c - Corvino] Hunnyiadi c - 5. oritur c - 6. Hungariae cv - postquam] post c - declaratum c - eius c - Corvinum] Hunnyiadem c - 7. Colocensem c - et Michaelem c - superfuit c - 8. Ország c, Országh l - corona *om.* i - coronatum] coronari c - 10. Strigonensis c - patris] fratris ii - Quinqueecclesiae c, Quinqueecclesiensis v - 11. Ne] Nec a - his] iis c - qui] qua a - Transylvaniense c, Transilvanum i, Transsylvanum l - 12. Hunc quandoque] Quamquam hunc c - tamen] tantum c - 13. caliditate c - conservaret c - 14. causas nonnulli referunt c - ii] hii c - sunt] sint sfhi - et] ac c - varias c - 15. si] et si c - 17. postularet i - reputavit] deputavit c - 18. sine] sua] sed c - Robolellici (*sic*) c - apostollici *om.* c - multi graviter illum c - 20. que—vocantur *om.* c - etiam] et c - 22. iudicabat c - ex attenuata] extenuata c - 24. coniurationem c

- 25. nil c - Corvinum] Hunniadem c - 26. ac sanctitatem] sanctitatem-
que c - 27. recoluerant c - deseruerint c - 32. Vladislao *omn.* - 35.
quia—neque] nec c - 36. comitate lenitateque perferre c - animos esse c - 38. et preferre] ut praeferret c - 41. E] Ex c - 43. Vatae c - 44.
obdormierat c - archiepiscopus] episcopus c - Alemannus cpl - Waradi-
ensis c - 45. Wylacum c, Wilachum hp, Walachum i, Ujlackum † - Bosz-
nae c, Bosniae il - cunctantius g - Cessandum] Cunctandum c - multae
om. c - haste] hostibus c - 46. his] iis c - 47. desedit c - caliditate c -
conciliarent c - 48. Ii] Hii c - habuerit c - quem] quoniam c - evexerit
c - 50. maxima—calamitate] maximo—detrimento c - errarit] erroris
esset c - esse tolerandum] tolerandum c - ac] et c - 52. insolentia] in-
solvere c - 53. nihil c - se cum omnibus se temperantius c - 54. et fir-
mis] ac firmis c - 55. intervenire] circumvenire (*sic*) c - amplectebantur
c - 56. his] iis c - nonnullos *om.* c - 58. fatere c - tantum] tamen c - 59.
hanc *om.* c - voluit] velint c - cogantque c - 60. iij] hii c - detulisse-
sent] intulissent c - 61. Mox] Ut mox c - 62. deserturum c - ipsi c - 63.
pater] mater c - 64. vincula cl, vicula i - ac] et c - obisti c - e *om.*
c - carcere me c - cum laude non c - 65. nunc te] nunc re i - ulni's
om. c - utrinque luxatus c - 66. Quem] Et quoniam c - tuere] adauge
c - ut, quod] et quo c - 67. hiis c - 68. petit c - fide a - in—oblivionem]
de—oblivione c - 69. superiore c - sua *om.* c - his] iis c - 71. se ve-
rum] severum c - vero *om.* c - 72. atque *om.* c. Polonos, ubicunque]
ubi Polonos c - eum *om.* c - 73. se propria c - receipt c - ingenui c -
venerere (*sic*) c - 74. conspiceretur c - 75. se facinore evocatum c -
fessus, qui i - in] ad c - 76. conficeretur sfp] - 77. His] Iis c - data
dimissio c - 78. cumulat] convollatis (*sic*) c - his] iis c - licere c - 81.
ea i - 83. iuramento *om.* a - quisque sua c - 84. licentia] sententia c -
85. congesta] ingesta c - 87. Poloni—sunt *om.* c - 88. hebdomada c
redit c - nihil c - 89. iniurarium i - 90. acciri c, accersiri a - esse *om.*
c - vetere c - periculum a rege c - 91. enim] autem c - adactus] ad-
ductus c - aliis *om.* c - 92. Rákos cl - qui eum c - statum c - 93. se *om.*
c - praeteriri c - habebat c - 94. retinere c - Ad] Et ad c - clam *om.* c -
regiis c - 97. eum] demum a - exposcere c - nuncupare c - 98. Subire
c - nil c - obit c - 99. vero *om.* c - 100. Sibillarum c - fornicario (*sic*)
c - Sibillas c - 101. sed et] sed a - xistis c, cystis i - 102. quam *om.* a -
103. Vitezii c, Vitesii l - 104. Quinqueecclesiae c, Quinqueecclesiensis v -
Zagrabiam cl - versus *om.* c - continuo e] e continuo c - 105. Italis c -
106. Pannonico c - possit c - 107. barbata c - 108. non fluctuasset] fluctu-
asset c - 110. Quinqueecclesiae c, Quinqueecclesiense v - 111. Mathias
om. c - 112. increpavit c - 114. Borsum c - torque] totque c - paluda-
mento c - 115. Picolomineus] Picus Homineus c, Picolomineus sfp.
Picollomineus p - Austrialem c - 116. interit c - Sixtus c - Maurus]
Marcus c - Tronus a - 117. Alemannus v, Alemannus p - Quinqueecclesi-
ensi v - regii c - 119. Vladislau] cil - 120. regnum *om.* a - duorum c -
seque se c - detracham i - 121. his] iis c - 123. Slesiamque c - Vladislao
cil - et interea] interea c - dimissurum] divisurum c - 124. illud c - iure—fac-
turum] iura esse. Matthias id] ultro se facturum recipit c - erogaret c
126. plebe c - item e] item a c - se *om.* c - quoque] etiam c - 128.
consternatus c - 129. Slesiam c - hosti c - Wratislavienses c, Bradis-
laviam s, Vratislavienses pl - 131. Wratislaviam c, Bradislaviam s,
Vratislaviam pl - 132. Bosnae g - 134. ambitione c - 135. Wratislaviam c,
Bradislaviam s, Vratislaviam pl - esset] est c - Odera cl - abluit c -
136. obfirmarent c - 137. utrum—censebant *om.* c - castra *om.* c - auge-
ret—videretur c - 138. esset] esse c - 139. Quod—castra *om.* c - 140.
suburbana—141. propius] Suburbano hostes c - esse *om.* c - 142. se vin-
cere] si vincere c - 143. exilire] exire c - caede haec c - 145. ipsa *om.*
c - capit c - 146. edocto] e docto c - 149. fusosque c - 151. Vladislao cpl
c - intercedit c - pugnandi c - detrectarit c - 153. hec cuncta] e contra
c - respondit c - prelia] prandia c - 154. premia] precia c - 156. amico-
rum c - clariores] clariores c - haberi *om.* c - optimave c - adferent

c - 157. his] iis c - queque] quemque c - 158. etiam] et c - Wratislaviensium c, Bradislaviensium s, Vratislaviensium pl - 159. hostes *om.* c - utebatur c - alis] alii c - 161. numerus quotidie c - 162. Sepusiensem c - Kinisium c, Chinisium (Kenesity) l - necubi] ne ullibi c - expugnarentve, sed] verum expugnarent c - 163. incursant c - terrorem c - 164. admonens c - 165. maioris c - quando] quoniam c - 166. ea] ex v, ex ea l - ut *om.* a - queunt a - tanto c - 167. paternum] patrium c - 170. fuerant c - 171. utrique c - ex] eo c - appendicibus] oppidis c - 172. utrique a - 175. micantibusque c - 176. se *om.* c - rediere c - distincte] distractae c - 177. proprius i - intenti c - quemque c - 178. honorificis] honoribus c - prefationibus praereverenter] precatationibus quam reverenter c - 179. nuper c - 180. uxorium] per uxorem c - 181. Corvine Hunnyadicæ c. - Hungariæ (*sic*) c - deo—permisi *om.* csfhp - summa est c - imperare] dominari c - 182. nunc] non c - e] in c - 184. potius] potitus i - 185. et ex] ab c - et considera] considera c - 188. ne] neca - Vladislao il - 189. Wratislavia cp, Bradislavia s, Vratislavia l - 190. ne te quidem] neque te c - quodnam] quid c - quo] quod c - utriquer a - 192. meorum olim laborum c - pre veterē] pre veteri c, praevertē v - 194. facessere] facere c - at] ad c - est *om.* c - 195. creare] coronare c - annis c - 197. wayvodas c, vayvodas a - 198. exitium c - 199. Ponticis c - Augustalibus, quam v - 200. aliena] altaria c - fideles ab c - Slesiam c - ac immunitate *om.* c. - 202. ad quotidianam] et quotidianam (*sic*) sit c - 203. Corvinam] Hunnyadicam c - humanorum i - 205. est *om.* c - 206. Corvinam] Hunnyadam c - altera] alterum c - Hec] Hae solz (*sic pro sola*) c - addit c - E] Et c - 207. etiam] et c - quod] quia c - ac] et c - patre] parente c - habere i - 208. concordia i - carent c - Vladislai cil - animo] omnino c - 209. Nil c - Vladislai il - mei *om.* c - vincit c - habendum esse semper c - uno c - Slesiamque c - millie (*sic*) c - 210. nec regno *om.* c - 211. hiis c - 212. etiam] et c - hanc pati] hac parte c - Vladislai il - petit c - repelleret c - 213. hec] hic c - pensitatione virium c - 214. hodierno—fraternā] hodierna c - perstringas c - 215. reditō] recedito c - Vladislaumque il - 217. concitatus c - pervicacia] pertinacia c - maximam in usuram c - excitata—bella] et ita huic bello c - facile c - inventurum c - 218. Vladislaus il - sui] quo c - 219. utrinque c - 220. vestrum *om.* c - polliceor c - mihi] nunc c - 221. forte *om.* c - aliorum etiam] Turcorum c - 223. quemque c - 226. Nec a - se *om.* c - 227. e] a c - 228. Rem hostis] Hostem c - 229. necessitate adactum] ad necessitatem se adactum videns c - 232. ibi de—eius] de—eius ibi c - 233. Slesiaque c, Silesia a - Vladislao il - Vladislaus il - in ea] vi c - potiretur *om.* c - 234. Vladislao il - cederet c - Vladislaus il - 236. inter se] utrinque c - 237. solveretur c - 239. reperiuntur c - primo] praelio c - Oderam cl - 240. conficerentur c - 241. quoque gloriosissimo c - tota nocte] tot quod c - 242. acclivum c - 243. ingenua etiam] ingenuo et c - quadratam—mensam accubere c - 244. obstantium c - his] iis c - 245. Augebant hoc c - volumine non recte reponi potuisset c - Bossonensis v, Bosnensis l - commemorandum c - 246. oneratum c - indoles ac c - 247. inique cuidam] uni quidem c - huc—illuc c - 249. Vladislaum il - potissimos] potiores c - 251. Bariensis cl - Arragonae (*sic*) c - Banffi c, Banffii, fhpf, Bánffi l - Coloniensem i - 252. Faustum] Initum c - Wratislaviae c, Bradislaviae s, Vratislaviae pl - promulgatur c - est] esset c - Stephanum Sepusiensem comitem, Paulum despoten, et Iaksith—praefectum—referunt c - Iaksith c, Iaxich g - 253. Trenchinio l - Trenchiniensis l - 255. Helionara c, Heleonora fhf, Eleonora pl - Arragoniae (*sic*) c - ab Hercule—duce] ac Herculi—duci c - Sixti bis l - 257. Husson fhpf, Hussoin l - Casson c, Bassa l - Mahumete cil, Maumete s, Mahumethe p - deinde—recepti *om.* c - 258. Cypri] Cyprii c - 259. Sixti l - iustrat c - obit c - 261. instituit c - parte regni c - 262. Ii] Hii c - Nagy Mihály c, Nagymihal p, Nagymihál l - Hommona (*sic*) c - Czuppor c, Czupor l - wayvoda c - 263. ii] hii c - Iaksith c, Iaxich l - expeditorem (*sic*) equitatum c -

264. Nagymihaly c, Nagymihál p, Nagymihál l - 265. his] iis c - ca-stello] castro c - 267. caecaque convalle c - 269. qui vitam c - 270. et tormentis c - Czuppor c, Czupor l - 272. ii] hii c - 273. Hommonam c - 274. Transilvanus c, Transsylvanus sfil - 275. aquarum om. l - penuria fuit om. a - Christinus v - Daniae cl - Gotie] Scotiae c - 276. et morbo c - aqua et om. c - 277. Burgundiorum cv - Nessiam c - Reni c - 278. Mozenicus c, Mocoenicus v, Mocenigus l - Sixto l - maxime i - aliud om. c - 279. Sabatzii c, Sabaczii g - Savacium cl - 280. Sabatzium c, Sciavazium s, Sabacium g - 281. Slesiaque c - 282. in sequenti c - exitiumque c - obstinati] constanti c - 283. Mahumetes cil, Maumetes s - remuniendum] revisendum mox c - Sabatzium c, Sabazium fhip, Sabacium l - Sabatzio c, Sabazio fhip, Sabazio l - 284. Praetorianis igitur ex c - validissimum] robustissimum c - delegit] deduxit c - robustissimo] validissimo c - delectam—significanti] delectum habe-ret suarum copiarum et manum esse selectiorem c - isthuc omn. - ipse] ipsius c - aiunt] avium c - 285. celeritatem—seviciam c - 287. nocturnam oppugnationem] nocte eam c - nil c - ruinis] minis c - 289. at] et c - 290. incruento] intento omn. - 291. se relaxant] et obsidione lassi c - que] qui c - nil c - 292. ab adversa] adversa c - 293. celerum om. c - nutante] invitante c - 294. adeo om. c - 295. edictu c - 296. Sabatzianam c, Sabazium fhip, Sabacium l - audierint c - nil c - 299. Sixtus l - Venetusque senatus] Venetus c - Emium c - ac] et c - 300. his] iis c - quin et c - Sabatzio, c, Sabazio fhip, Sabazio l - Synderoviam c, Senderoviam l - 301. Synderovia c, Senderovia l - 302. quodque] quoque c - tormentorum genera c - 303. hiis c - Synderoviae c, Senderoviae l - Vitaeztrapezam c, Vitész trapezam l - coerebat c - servari c - Synde-rovía c, Senderovia l - 304. Ystro c - 305. in om. c - Thaurica c - 306. fur-tim] furatum c - April. c - 307. que quotidie, miracula] quaeque quotidie miracula, quae c - ipse om. c

LIBER IV.] Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decadis quartae liber IIII. c, Rerum Ungaricarum quartae decadis liber quartus s, Rerum Ungaricarum decadis quartae liber IIII. (IV. hip, quartus l) g - 1. hiis c - 2. secus om. c - fortunarent c - 3. Wratislaviam c, Bradislaviam s, Vratislaviam il - 4. belli ac c - 5. Magnam itaque c - militum c - adoritur c - sit om. c - 6. Ystro c - 7. Nec a - Synderovia c, Senderovia l - Thratiae c - consciverat c - 8. in sequenti (sic) c - et insano c - 9. plus om. c - statis a - 10. Alemannus omn. - Salspurgensi c - 11. Augusti c - 12. Niphor c - Ceplanus] Hagmasii c, Cepli Ianos fhip, Kepii János l - Temesvariensem il, Themesvariensem p - igneque c - Trans-ystrianam c - 13. Nagy Alberto et Ambrosio c - Themesvarum p, Temes-warum l - Iaxit cil, Iaxith fhip - nunciatum c - 14. etiam] et c - Tybiscum c - Pechcy] Deczei c, Péchy l - Abrae il - Adeae filium s, Adamfi g - ac Mar-cum] et Marcum c - cum Ladislais] Ladislaum c - Hene] c - Tybisco c - nec] ne c - 15. Ceplanus] Hagymasi c, Ceplianus fhip, Kepli l - praefectum c - despoto c - 16. subsidunt c - 17. ac om. c - insequuntur c - 19. monte considerant c - ac om. c - Skenderbegusque c, Scanderbegusque l - 20. ne vero a - 21. Dotzy c, Dóci l - Turcorum impetum c - ne] nec a - qui om. c - complecterentur c - 22. Ystri c - 23. ii] hii c - confugere c - 24. Synde-rovía c, Senderovia l - Skenderbegus c, Scanderbegus l - 25. Captivi] et capti c - ac om. c - puerque c - in unum c - dextra c - 26. tantus om. c - 27. Pozazym c - Syderovia c, Senderovia l - 28. Szylági c, Szylági l - cum Georgio] Georgium c - Labathlan c, Labathan l - ale] Halae a - 29. E Turcorum] et e Turcorum c - adurgentius] ad pugnam urgentius c - 31. is] iis c - Synderoviam c, Senderoviam l - circa c - 32. ea] eo c - 33. hidropotes c, hydropodes hip, hydropota l - rei om. c - examine] ex animo c - 34. et copias c - quoque om. c - 35. parva] parum c - 36. Warad. c - Italliam] Italia a - procerum om. c - et parentis et mode-ratoris] ut parentis moderatorisque c - Adrie] Andream c - Syponon c, Sipontum g - illustriss. sfil, illustrissimae i - iure—civitatibus] inter—

civitates c - Pannoniam c - 37. retepuere] retorquere c - viribus viriles c - 38. etiam] et c - fuerit *om.* c - ibi totam c - 39. his] iis c - explicaverit c - 40. Waradien. c - pre] pro c - et ingenii] ac ingenii c - Urbinatē] urbise c - 41. aurea *om.* a - facte *om.* c - procheta c - 42. caudam—ansa *om.* c - fastigatae c - sexquipedale v - moles] mons c - 44. ii] Hii c - 45. his] iis c - 47. magis ac *om.* c - a bellorum] ab illorum c - 48. Mahumetes cil, Maumetes s - Synderoviae c, Senderoviae l - desperabat c - 49. Synderoviae c, Senderoviae l - 50. sinum] ora c - Mahumetis cil, Maumetis s - infirmaque] infirmaque c - etiam] et c - sevitum esse *sensere]* saevire c - 51. Cunctantius cl - pericla c - 52. sepe—pernoctarunt *om.* c - etiam] et c - corpora caesorum c - 53. Nec a - etiam *om.* c - 54. affecti *om.* a - 55. ad *om.* c - 56. ad octavum] octavum av (*sic pro ad*) c - appropinquantem c - 57. vires humanas c - 58. Beatricis—supercilia *om.* c - comparabat] eo parabat c - 59. Decemb. c - 60. etiam] et c - 61. nivibus] navibus c - 62. Syderoviam cfnip, Senderoviam l - 64. classes c - armamentaria] arma militaria c - 65. quidem *om.* c - Danubium glatiæ (*sic*) c - Transsylvanos csfil - Walachosque c - quadringenta c - Yster c - 66. nil c - 67. etiam] et c - nimum] nimirum c - 68. vero *om.* c - praeter se imperatorem] nisi imperatoremque c - causas *om.* a - Allemannici c, Alemannici a - quarum *om.* c - 69. initium a - odium *om.* c - coniectantur c - anhelabat c - et, quia *om.* c - et regni] regni c - negotium] officium c - 70. assuerat c - monere] moveret c - obierit c - 71. etiam] et c - inique] iuri c - 73. loquitur c - Hussitarum *omn.* - summo c - nil c - igne c - 74. Wiennensi c - 75. ad eius adventum c - 77. redire c - nullum c - 78. quod] ut c - infestavit—vastavit c - 79. cum] quod c - ac] et c - iniisset c - 80. ac] et c - is] iis c - mitteret c - Corvinas] Hunyadicus c - Wratislavia c, Vratislavia pl - 81. etiam] et *omn.* - inscitiam] iustitiam c - 82. exhortante c - Alemannici c, Alemannici a - id *om.* c - 83. uxorem c - aspernatus c - Aragonicam c - 84. sunt et hii c - cum patre institutas] cum* (*sic*) praeinstitutas s, praeinstitutas g - Ciliae *omn.* - diu retentas] divertentes c - cum variis] tam variis v, de variis l - 86. complures] quum plures c - erubescant c - 87. revisendae Romanae c - traxit] gessit c - magnae auctoritatis et potentiae c - Panchirier c, Paumkircher l - 88. esse] fuisse c - 89. Romae nil (*sic*) c - possit] potest c - 90. nil c - quereretur] iquireret (*sic*) c - acciti] acceptis c - 92. his] iis c - 93. quandoquidem] quem quidem a - et instantissime] E instantissime c - imperium] mutatae civitatis imperium c - 94. referantur c - his] eis c - Wiennam c - 95. honorificentissime c - 96. iaciturum] interiturum c - 97. Szobor c - Banffy c, Bánffy l - 98. dicit *om.* c - 99. Vienna c - primum c - Posonium c - 100. hinc et hinc] huic c - 102. Item] Itidem c - noscebatur a - referebatur c - 103. Allemanni c, Alemanni a - 104. frugalis c - avarus] et avarus c - nunquam *om.* c - 106. solitus] mos c - 108. lautissimus c - 110. pre—probitate] per—probitatem c - imminuant c - 111. adversarios c - instaurare c - 113. quando] quin c - 115. videretur c - 118. opulentissimarum superbarumque] opulentissima c - 119. Wiennenses c - quandoque] quamquam c - resarcire c - id quod] quod c - 121. est] sit c - parentis] patris c - omneis c - 123. Allemannico c, Alemannico a - sunt *om.* c - 125. abrogavit—iusserit c - quod—sentio] quid—sentiam c - 127. Allemannorum c, Alemannorum a - nunc amicos] nunc inimicos c, *om.* il - breve bellum a - 128. et humanum] humanumque c - his nobis] iis omnibus c - quando] quin c - pugnavimus c - 129. Allemannis c, Alemannis l - dicite, dicite] dicite c - loco esse c - 130. iniquis c - quandoque] quoque c - utile v - 131. pati non] non c - ne minus] nec minus a - effert i - 132. connumeremus] commemoremus c - regie maiestati] regi Matthiae c - 133. habemus cl - nil cg - 134. aut Australibus] et Austria libus (*sic*) c - Allemannicum c, Alemannicum a - 135. Quot proceres] Quod proceres i - exercere] experiri c - Allemannica c, Alemannica a - exornaverit c - 136. Allemannus c, Alemannus a - vere c - Allemannis c, Alemannis a - nil c - non considerare c - 137.

ubi Caesar, ubi c - cesas ad internecionem] ab internitione c - 138. op-
 pidis—adeo] adeo fortaliciis c - nil c - vique c - 140. Hamburgum *omn.*
 - Wiennam c - qui *om.* c - genti c - 141. tamen fecimus] tandem fece-
 rimus c - 142. etiam, si] etsi c - 143. postulans c - immo quod] imo quam
 (*sic*) c - triennium c - 144. nunc mihi c - reverentia c - faciamus c -
 inquit c - 145. Corvine] Hunnyadicae c - 146. Austriales c - Allemannis
 c, Alemannis a - tum] cum c - 148. Allemannos c, Alemannos a - 149.
 Bathorius c, Bathori fhi, Báthori l - his] iis c - 150. Excitabat et regis
 appetitus c - indice] invito c - Kinisius cl - 151. etiam *om.* c - re *om.* c
 - satis eius] satis est a - divinam c - 152. quando] quia c - hanc] hac i -
 sententiam] senatoria v, senatoriam l - communiam] proponam c - 153. regis c
 - quotidianas quoque c - cum mecum ipse c - equidem] equitem i - 154.
 Si, uti Bathor] sed, ubi Bathorius c, Si, uti Báthor l - hoc honeste]
 hac honeste c - possumus c - otiumque c - 155. necessitate trahimur]
 necessitate* (*sic*) s, necessitate urgemur g - nostros—nostri] nisi for-
 tasse nostri c - iure] modo c - nostrorum regum] nostrum regem c -
 etiam] et c - 157. etiam] et c - queant c - 159. eclicmate c, emplemate
 a - in nos] non c - 160. immo] iam c - 162. Excudite i - e] a c - vos—su-
 persedete *om.* c - 163. Germanaeque c - obstrepitantes] obrepitantes
 c - cum] quum c - gloria *om.* c - simus c - patiamur c - novimus—ro-
 bora] Austriales olim cum robore c - 164. Pannonicae—periclitan-
 tur c - 165. maiestas] mentis a - divinitas a - 166. his] iis c - 167. ob-
 tinuerat c - 168. ut nihil detrimenti] ne illa detrimentum c - 169.
 ille] illi i - nil c - intensius c - 170. reciperemus c - 171. imperiosa illa
 c - aliaque] aliqua c - 172. frequentavi quandoque] frequentavi que
 et *om.* c - 173. Austriales c - nil c - sit *om.* c - utrinque c - 174. ac]
 et c - 176. vestre] venae c - 177. Me] Illa c - prestita—pietatis] pristina
 ubique patris pientis c - spectandam c - 181. Rhaeti l - Austriales c
 182. partem] parente c - Austriales c - Mysiorum loco] Misyorum c -
 Ratiani s - 183. alta a - desidit] desilit s, desedit g - undantia] irri-
 dantia (*sic*) c - 185. Vienna c - Edenburgum c, Egburgum s, Egnbur-
 gum c, Eggenburgum l - Rhretia c, Rethia sf - Lana c - Danubinum
 c - Cremensum c, Cremsum c, Cremsum l - Clausteramburgum c,
 Claustereoburgum l - Cornauburgum c, Corneoburgum l - Vienna c
 - Amburgumque cs, Hamburgumque g - accoluntur c - 188. nil c - 190.
 quicquid] quod c - absumit c - 191. Austriales c - 192. ingentis] ingenti-
 bus c - Multa c - his] iis c - 193. his] iis c

LIEER V.] Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decadis quartae
 liber V. c, Rerum Ungaricarum quartae decadis liber quintus s, Rerum
 Ungaricarum decadis quartae liber V. (quintus l) g - 1. nil c - unquam]
 undique c - 3. Beatricae c - tum] tunc c - ac] et c - 4. Mitridati c - 5.
 elocutione] eloquencia c - 6. proximo quoque castro c - 7. imperator c -
 8. ceterique] ac caeteri c - proceres *om.* a - opt. max. sfh, optimo maximo
 i - propitii victricia] propius victoria v, propitii l - Caesarem c - 9. omni
 munitionum] omnium c - 10. vero *om.* c - Sepusien. c - adduxerat] attu-
 lerat] c - 11. Kinisius cl - Banffy c, Banffi pl - Zelena] Szolena c - Iaxit
 c, Iaxith g - Docii c, Doczii l - 12. Lupus quoque] Lupusque c - Drach]
 Dragffy c - 14. Ratiani bis v - hipobalistae c, hippoballistae v - expe-
 ditum] peditum c - 15. hominum milia a - 16. Trantonstorphum c, Traut-
 mansdorfium l - 17. prosluissent a - 18. Petersdorffum c, Petersdorfium
 l - Wiennae c - 19. trepidatione] perturbatione c - 20. decimo sexto c, 16.
 il - Rasciam c, Ratiani v - 21. quaecunque c - 22. maiori c - et igni] ac
 igne c - 23. offerrent] fecerint c - 24. Petersdorffum c, Petersdorfium l
 - Wiennam c - 25. invasisset] incessisset c - Wiennensi c - dedere c -
 26. Wiennamque c - amoenissima planitie c - derivatis c - id] in c -
 27. per breve c - subitet c - Wiennam c - 28. Vienna c - 31. e crate facte]
 crateatae a - trigenorum c - qua] quae i - elideretur g - 32. tota *om.*
 c - 34. audiveris i - 35. subdialia] c - finitimarum c - prominential] provin-
 tiarum c - nimis] nivis c - lautissima a - 36. furta] vitra c - ceterae c -

sub divo alie] sub dio aliae c, subdivalia a - 38. videantur c - spaciare c - videaris c - 39. nil c - 40. spectare c - 41. Octogena c - est] erit c - nil c - 43. scortorum c - 44. gentilicia] genitaliaque c - qui] quae c

Weronae Vincentiaequae c - 45. Oenobarbi c - 46. saepe studiosorum milia a - 47. constante c - 49. Bachus c - prohibet c - negotiosis diebus] negotii sui die c - Bachanales c - 50. Academicos—rusticos et om. c - temulentus] tumultus c - inhibet c - 51. Voluptates—52. secedunt om. a - 51. conciliarum c - 53. hic om. c - has—factas—viduas a - eos om. a - quos—54. licentia om. a - 54. Wiennenses c - 55. etiam] et c - 56. Neque—interpretantur om. a - 57. capitalia c - 58. expendantur] exiguntur c - igne c - 59. forum c - Wiennensis c - 60. neque—vicorum] montium ... vicorum, neque desunt c - oblectat c - 61. Wiennensem c - anteferes c - tutum] totum c - fluctuantem c - 62. Podom] Baden c, om. l - Petersdorffum, Trautosdorffum, Liechtensteyn, Metliagam, Sanctam Margaretam, Snoedorffum c, Petersdorffum, Trautmansdorffum, Liechtenstain, Medlingam ... Schuadorffum l - nil c - in primis c - Wiennensium c - 63. Divo c - ac] et c - maiorem om. c - hiis c - templam] tempora c - vovit c - 64. Claustroamburgum c, Claustroeneoburgum l - 65. secundum] tertium c - Wiennam c - clarum est] clarum c - 66. subdiale c - erepta om. c - 67. utrinque c - 69. imp. sphi - Wiennensibus c - possit c - 70. Wiennam c - ulteriori c - 73. ii] hii c - esus] etiam a - 74. famen c - 75. imp. sphi - 78. ex om. g - Wiennenses c - famen c - 79. Austriale c - suaderi c - 80. Cornamburgum c, Corneoburgum l - Claustroamburgum c, Claustroeneoburgum l - 82. Tolnam c - Wiennam c - 83. Cornamburgum c, Corneoburgo l - Posingium c - 84. ergo om. c - vexari c - Tolnae c - editio c - 85. Bathor c, Báthor l - Kinisius c - Szelena c - Kremesum c, Cremesum l - Statnon c - 86. hiis c - superiore c - Kremesum c, Kremesum l - enim] quidem c - parva l - momenti om. g - 87. infestare] infectari (pro insectari) c - 89. nil bis c - imperatoris] imp. sphi - 90. imp. sphi - Lyncio c - Kremesiensium c, Kremesiensium. l - et Wiennensium (sic) c - 91. illa florentissima c - subivisset c - 92. Insequenti die—datum] Dies—datus c - 94. Bathore c, Báthore l - Cornamburgum c, Corneoburgum l - eo] ibi c - 96. superiori c - 97. exciperent c - 99. aditu] auditu c - 101. rapere om. c - tot—et] et caedibus tot c - 102. Quod] Quae c - ac] a - 103. immanes] inanes c - 104. Allemannis c, Alemannis a - 105. infensa] infausta c - se om. c - 106. nullum c - id om. c - se quoque] seque c - re vera] vere c - 107. lusum] iustum c - 108. simus c - 109. ditione om. n. - conciliavit c - equidem c - proximum quenque] unumquemque c - 110. Corvine] Hunnyiade c - e—fatemur om. c - 111. olim—atavus om. c - Martis] mortis c - ne] nec a - afferet c - 114. tot etiam] et etiam c - Suevorum] suorum a - auxiliaque, non c - copias] cohortes, copias c - 115. ut] et c - 116. Austrialem c - 117. Caesariam i - nec] ne c - 118. sint] sunt il - immani] inani c - 119. plus om. c - exaggerabat i - 122. Delicto—gravior] Deinde gravior non debet esse c - 123. hic] hinc c - 124. nihil c - unquam] Ve quam (sic) c - desevit] desinit c - 126. adscribendum] attribuendum c - 127. ac] quam c - revocari] avocari c - 128. decorem c - tutor] puto c - tui—ut] tu contra, uti a - 129. quando] quum c - 130. sint c - 132. ille dixisset c, dixissent a - Australibus] Augustalibus c - 133. gravissimorum c - 135. conscientiam] constitutionem c - promissarum c - 136. dextra c - inturbem c - 137. per—memoriam] prae—memoria c - remoliti c - redurescunt] rediversantur c - 138. referretur c - 140. vestre] vere c - et paterno] ut paterno c - nunc] me c - 141. Inhumanis i - 143. me om. c - transferamus c - 144. trecentena a - 145. predas dicere om. c - Allemannis c, Alemannis a - Australibus c - 147. Angebant c - ad] et c - Kremensis c, Kremesi l - Wiennaeque c - Wienna c - 148. a] ut a c - suum om. c - 149. hec regi] sic regi c - quinquaginta] quingentum c - aureum numorum c - 150. statum a - fuerit om. a - impietas il - 152. Ac] At a - Domine] Denum a - diva] divina a - coelestes c - tuque] et tu c - dive] D. a -

et Leopoldē] Leopoldēque c - hiis c - quesumus] quae sumus c - e coelo fulminibus c - 153. transacta i - 154. beneficio c - 155. reddere capta c - adductus c - nunc cuncta c - 156. imperavit *om.* c - Austria-libus c - 157. Corvinam] Hunnyadam c - 159. Kremesum c, Chremesim v, Cremesum l - Stanon c, Stainum l - mox edicto c - ne] nec a - minore c - Allemannia (*sic*) c, Alemanno a - 160. praepotente c - ducis c - Andria c - Iamproviano c - Burgundiorum *omn.* - dum—oppidum] oppido c - occitur i - 161. venit et] venit c - 162. Cassoviam cl - Kremnitiam c, Cremnitiam g, Cremnitium l - Novosolium] Zólium c, Novocolium s, Novissolium l - ambo *om.* c - revisunt] resumunt c - fodinas spectant c - molendini c - que] qui a - 163. honoris acclamationes c - ac] et c - 164. distulerant c - sunt *om.* c - animorum] amicorum hip - 165. praestituta a - auream i, aureorum l - 166. Vendraneus c, Vendrannus s - 167. et Augustalem c - item c - 168. uteris] vestris a - 169. auxilii superare i - 170. Nec a - atque] ad quem c - Vendraneo c, Vendranno s - iure—eidemque] in re quaque a - recte agitis *om.* a - 171. benevolentissimo c - vestrum i - 172. Quod] Quin c - libertatis hip - volumus c - etiam] et c - defensande *om.* c - tantam et eam c - turbulentissimi hostis] turbulentissimam c - possemus c - 173. regis a - abalienarant c - olim occupatae c - Dalmatiae c - Austriaci c - potius] magis c - foveri c - 174. Hiis c - Beliegus c, Bietigus a - Slesiae c - hiis c - 175. prefecto *om.* c - purgavit dicere c - essent iuris] iuris sunt c - 176. Slesiae c - 177. porro *om.* c - Matthiae animum c - 178. Mahumete ci, Maumete s, Mahumethe pl - Epyro c - et Croie] Croe (*sic*) c - 179. Emus] Hemus a - Diedus] Diebus c - in Scodrensi c - Badonarius c, Badovanus a - munere] numero hi - 180. Anthonius c - Victorious a - Aretiensi c, Arietensi a - numum aureum millia c - Rom. sñh, Romano i - 181. figmentaue potius c - 182. ergo *om.* c - quantos c - fieri oporteret] esse oporteat c - Itaque *om.* c - tuebantur c - tantum] tandem c - 183. hostis, post c - 184. a Scodra c - praecepit c - 185. Alibego cl - 186. forum Iulianum c - opinionem c - tranant] traiciunt c - nil c - 187. uxoribus et liberis] filiis et uxori-bus c - quam *om.* c - dicantur c - hinc] hic c - 188. Ii] Hii c - eos *om.* a - nil c - 189. Fridericus c - Hieronimo c - Xisti c, Sixti l - villasque c - atque] et c - 190. Etrurii c - 191. Xistum c, Sixtum l - precatum c - 192. Xisto c, Sixto l - dixit c - Lotaringiae c - Andagavensis c - praeceptum] perpetuum c - 193. etiam] et c - 194. eruptionem c - Sontium] fontium c - Gericianum c - obstruxerant] occluserant c - et munitiones] in munitiones c - 195. ex *om.* c - omnium provincialium c - 196. Marbegus cl - 197. retro cedere] ultro credere (*sic*) c - ii] hii c - 198. cohorti c - 199. Marbegus cl - 200. Mossam a - Hieronimus c - Baduarius a - Marbegus cl - 201. Talinentumque c, Tilaventumque l - id] iis c - 202. his] iis c - motis c - Talinto c, Tilavento l - emensi hip l - paulo ante] antea c - 203. Veronam usque] Veronae c - prospecta] spectata c - Wendranus c, Vendranus v - est *om.* c - Mocenius i, Mocenigus l - suffectus est c - 204. abnegatoque c - Mahumetes ci, Maumetes s, Mahumethes l - adaucta c - eorum] quorum i - 205. Alibegus cl - Mahumetes ci, Maumetes c, Mahumethes l - sibi tendenda iam c - 206. Forum Iulianum (*sic*) c - mittit c - 208. prope] propter a - Mausanum c, Monsanum l - 210. Mahumetes ci, Maumetes s, Mahumethes l - 211. Asiatici c - prefectus *om.* c - Dinastum c - et *om.* c - 212. Mahumetes ci, Maumetes s, Mahumethes l - Marbego cl - 213. Lissam l - ad Drimonis] Adrimonis c, ad Drymonis fhip, ad Drini l - Marbegum cl - 214. numeravimus c - nec facile tamen] ne facile quidem c - existimarunt c - 218. nempe *om.* c - ac quaecunque (*sic*) c - 219. Laconie] Latouiae (*sic*) c - Lemnum] Remenon c - Mahumeto c, Maumeti s, Mahumeti i, Mahumethi l - 220. Hiis c - videtur c - ab *om.* c - 221. Cephaloniam l - Etiliam c - initum—foedus c - hiis c - 222. ei] eo i - Ladislao a - bello maturum c - perpollen-tem c - 223. Mahumete ci, Maumete s, Mahumethe l - 224. Nec a

illuc c - 225. Craccoviam c - 226. propagatum iri] propagasse c - 228. quem c - inferat c - revocarentur c - quo] quin et c - 229. ut om. c - 230. non] minime c - quare rex c - indignatus c - incendit] intendunt c - 231. Hiereslaum igitur c. Hiereslavum v, Hieroslavum l - Boscovium sf, Boscavium hipl - 232. autem om. c colloquio coirent] colloquium convenirent c - 233. Colociensem c, Collocensem s - Protasium a - Olmutiensem c, Olomucensem l - Sepusiensem c - Venceslavum sfhi - Boscovium v, Boscavium l - Zeecensem] Szaegén c, Zeech l - 234. enim om. c - Slesiae c - Ladislaus a - Tymbutem] Zymbirium c - Boeslavum sfh - Benesius c - Waitmiller ci, Vaitmiler hip - burggravius c - Carissius c - Rimpo c - 235. Olomocium c, Olomucium l - 236. ac fausta] et fausta c - ad om. c - Olmociensis c, Olomucium l - ac reguli] reguli c - praestitutum c - 237. superari se] unquam superari c - 238. Vladislaus il - adduxit c - duo illustrissimi a - 239. autem om. c - roboreque—pulchritudine] pulchritudine roboreque corporis c - a consuetudinis incipit fragmentum codicis m - Boemi ma - comasve c - omnes ca - 240. Hungari c - ac magis] et magis a - austerae mca - peregrinae mca - exteros a his] iis c - vestium v, et vestium l - mensae mca - caeterum ma, caeterorum c - serunt] ferunt v - ocium mcv - 241. Matthias mcsfhl - cunctantius a - a] e i - Boemo ma - literis ca - Arragonio c - omnes ca - 242. Cum] Quum c - Olomucium l - Boemus ma - aequo mca - spacio ma - 243. structis c - Cum] Quum c - sagittae mca - 244. apprehensarunt ca - tres ca - faedere m, foedere ca - 244—45. ba fecere—iussere] quattuor versus *infra de folio decisi sunt; partes superiores litterarum aliquot videri possunt*: b. fecere. Demum faedus ... cti (arctius) ... dum.), - 245. arctius mca - in urbem alter] alter in urbem a - 246. digreditur a - Boemi ma - 247. ad congressum om. c - utrinque ca - Boemorum ma - hospicia mc - 248. Bavariae Saxoniaeque mca - Matthias mcsfhl

WLADISLAVS m, Vladislaus i, Ladislaus l - 249. Aedes mca - sudialia c - etiam] et c - supplectili mc - praetermisse omn. - 250. etiam] et c - Cultu i - caeterorum omn. - hospicia c - fraternae mc - laetitiam (pro letitiam) certo, quamquam propter corruptum folium legi nequit m, c. - 251. in scena] in propter corruptum folium certo legi nequit m, scaena c, scena a - scaenici c - editae mca - scaenam c - praestitit mca - ubi quotidie m - pugnatum—principum] quattuor versus *infra de folio decisi sunt; partes superiores litterarum aliquot videri possunt*: um ... i. victoribus praemia proposita m - praemia (certo) m, ca - pro c - Boemicoque (certo) m, a - militi quotidie (certo) m - datae (certo) m, ca - 252. tetragonus m - 253. rinoceretes (sic) c - laeva ma - mirae meca - hydriae ma, Hidriae c - capacissimae mca - oenophora mg, oenophora c, aenophora s - diotae mca - factae mcsfhp, facta il - sciphi m, ciphi c - cupae mca - phialaeque mcl, fialaeque v - onustae mca - 254. consurgebant. Igitur (sic) c - misere] mire c - scaena c, coena a - mensae mca - stratae mca - 255. numquam c - scaena c - aedita mc - cytharedi m, citharaedi c, citharoedi a - 256. WLADISLAO m, Vladislao a - Germanica c - pyrrhicam c, pyrrichiam a - 257. quotidie m - Wladislaum regem c, Wladislaum sf, Vladislaum il - in cubiculum] concubiculum v - teste praesente c - latrunculos a - futuri] f-, cetera pars decisa m - 258. fraternae mca - charitatis semper] semper charitatis mc, ch...tis cetera pars decisa m - addi et] a-, cetera pars decisa m - optari—259. si] quinque versus *infra de folio decisi sunt* m - 258. WLADISLAVM (fortasse) m, Wladislaum sf. Vladislaum il - WLADISLAVM (fortasse) m, Wladislaum sf, Vladislaum il - appeditis i - 260. cum] quum c - solvendus esset conventus] solvendus esset m, solvendum esset c - Boemiae (sic) ma - In primis c, Inprimis a - etiam] et c - lectis c - praeciosissimum (sic) c - 261. parum] parvum ca - strabeam c - caetera mca - coelibem ca - Nec a caeteros mca - 262. omnes] homines a - Boemorum ma - gazophylactio m, gazophilatio c, gazophylazio s - scenam a - quae ma - auri om. i -

ferculum c - nil c - convivii] communem c - Corvina] Hunnyiada c - supellex mc - 263. solidae mca - faelicitatis mc - frequentissimum] felicissimum a - Olornuccium l - praeter mca - ingentem expeditissimumque] expeditissimum c - Hungariam c - diaetae ma - quae mca - destitutam] stitutum *decisum* m - nunquam a, nunquam ante a - est] fuerat a - est igni] -gni, litterae priores *decisae* (e loco parvo certum habemus non fuerat, sed est *decisum* esse) m - 264. fovetque] -que, pars prior *decisa* est m - exarruerat m - cum ad fragmentum codicis m finitur; a VII. fere usque ad plerisque de folio quinque versus *decisi* sunt m - VII.] septimum c, 7. il - April. c - 265. Istro circumventa c - incurso v - amnes] omnes c - vero om. c - 266. Vadii Turcus c - 267. ii]hii c - igneque c - usquequaque] quaque c - Stiriam c - Rachoispurgumque c, Racosburgumque l - 268. Bosnam g - 269. exercitum v - tuende om. c - Cassoviam omn. - ac] et c - 270. nil c - Austriam cs - Vladislao il - 271. imp. sfh, imperator i - 272. Wiennenses c - perviciamque i - nil c - oportere censebat c - 273. cum Cesar se] Caesar, quum, si (*sic*) c - iam futurum] futurum c - 275. ac laesa equitate ac] a laesa aequitate a c - 276. itaque om. c - etiam] et c - 277. Gerepetrum s, Garapetrum fhip, Gara Petrum l - Sepusiensem c - Rachoispurgum c, Racosburgum l - Petroviam c - Fierstenfeld] Enersnifel c, Fürstenfeld l - 278. Gerepetrum s, Petrum Garai fhip, Petrum Gara l - assequi] consequi c - his] iis c - 279. Iaitzam c - appellat sibi - Burbosigniam] Verbosianiam l - 280. tandem] tamen v - Verbowetz l - adinvenerunt] comprehenderunt c, adhibuerunt v - Bassam cl - invaserant a - 281. diripiunt c - 282. Bassa l - traxerant] gesserant c - et om. c - Iaitzam c - 283. ii] hii c - c - 284. etiam] et c, etiam et v - ipsos c - gravati c - ditandi] dicandi v - 285. etiam] et c - Cornatorum c, Crovatorum l - 286. At] Ac c - Cornatii c, Crovatii l - et predam] ac praeda c - 287. Iariuensem c - 288. Austriale c - se bellum c - 289. Bosna g - Stiria c - cum imperatore sibi c - 290. Colocensis c - 291. iracundiam] iram c - 292. hic] hinc c - Vitézio l - Waradiensi c - Strigonensis (*sic*) c - hic archiepiscopatum] archiepiscopatum c - curaret c, curavit v - 294. Metropolitana namque c, Metropolitanus a - Colocensis c - et secretarius] secretarius s - esse debet] assidebat c - 295. Hisdem s - Ernesti a - metropolitana c - 296. uterque magna c - habiti] habentur c - accomodi (*sic*) c - 297. honorem om. c - muneri - inferior c - 298. quia] qui c - tamen om. a - 300. accumulatissimum] accomodatissimum c - 302. apochrisiarium c - enim om. c - etiam] et c - facie] praesentia a - peregit] regis c - 303. Florentinorum dux c - ac Senensium] Senensem c - ingesus c - 305. Galleati (*sic*) c - Dortonam c - accepit c - 306. Ferdinando c - insciis turpe foedus c - ceteris] certis v - 307. Germanus c - Mahumetis ci, Maumetis s, Mahumetis l - Baiaseto c, Baiazete l - Mahumetes ci, Maumetes s, Mahumetes l - parte maxima] magna parte c - 308. e contra] contra c - 309. nil c - 310. cumque] item, cum c - fumulibus c - cereis] et caeteris s, et caereis f, et cereis hipl - 311. potest c - tamen] tandem c - attingeret c - hiis c

LIBER VI.] Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decadis quatae (*sic*) liber VI. c, Rerum Ungaricarum quartae decadis liber sextus s, Rerum Ungaricarum decadis quartae liber VI. (*sextus* l) g - 1. Bosna g - recipisset c - Cassovia cg - 2. perorare i - dimittitur a - 3. propterea] idcirco c - et rapinarum] ac rapinarum c - plerumque c - Twz Iano c - Tuzlano v, Tuz János l - 5. autem om. c - in Sclavonia Pannoniaque om. c - fuerunt c - declinandum c - 6. super a - est et quadringentesimum] et quadringentesimum erat c - 7. Zagabriae v - Pruckensem c - demississe c - 8. Zagabria hip - Rackolspurgumque c, Racosburgumque l - Marcomburgum c, Marinpurgum i, Marenburgum l - Rackolspurgo c, Racosburgo l - 9. ab] ac i - una] ima c - murorum damna intus diligentissime c - 10. fama differt] esset c - Capharillus c - et eloquentia] ac eloquentia c - dicto audiret c - 11. quam pacem bellum Caesar mallet c - monitis c - angebatur c - unde] ut de c - iam - exitium] integri-

tate iam actum esse censeret c - 12. rex respondet c - intelligit e - arbitratur c - 13. morigerandum c - 14. Rackolspurgum c, Racosburgum l - cuius om. c - praefecti erant c - spe] saepe c - 15. prosequi c - 16. prorogabatur c - Interdicebantur c - 17. Nec c - legato om. c - Marcumburgum c, Marenburgum l - Marcumburgensium c, Marenburgensium l - reluctantur c - liberant i - 18. At om. c - Pannoni c - 19. Cum] Id cum a - se numero—esse om. a - ab imperatore deceptum c - cognovit] cognosceret c - et ad] ad c - Soclyos c, Siklós l - obiisse c - 20. praestantiss. sfh, praestantissime i - semper om. c - 21. ulcisceretur—eluderet—superaret c - 22. tam om. c - quoniam] quam a - ac] etc - 23. qui ad] quae ad c - circumvolvit a - 24. rex haec c - provinciarum c - Coryciae v, Curietae l - quam] quem v - Vegliam l - 25. orabat c - Maior] Magior s, Magiar fhi, Magjar p, Magyar l - traiecit c - Fulcimum (sic) c - Musillum c - 26. susceptum] coeptum c - Coryciam v, Curietam l - 27. Pannonum auxilia] Pannonis auxilia c - Veneto* (sic) s - Corictarum c, Corycianorum v, Curietanorum l - reciderent] venirent c - intercessisse s - 28. Venirids c, Vernerius a - Laurentano c - Unicigneua c, Vinei guerra s, Vinei Guerra g - navibus missus c - 29. Hii c - insulanos] insulam c - ab om. c - Corycianos v, Curietanos l - 30. Hinc] Hunc c - solicitabant (sic) c - cum om. c - etiam] etiam et c - a senatorio] esenatus c - haberetur c - ibique] ibi enim c - tenebat c - 31. motus om. c - Veneto] Venetis c - 32. stipendium—constitutum om. c - senatus] senatusque v - 33. Magior s, Magiar fhi, Magjar p, Magyar l - Blasus c - ut] se cs - sibi—integrum] interciperetur aeditus c - 34. est] erat c - 35. Raynerio c - Coritanis c, Corycianis v, Curietanis l - 36. servaremus c - est om. c - 37. octogesimo c - Corvini] Hunyadis c - Stiria c - Regede om. g - Szekelis c, Zékel l - 38. Nec a - Rackolspurgum c, Racosburgum l - abluitur a - 39. nil c - sed om. c - ulteriori c - parte—que] ponte—qui c - 40. late om. c - 41. Pannoni c - Hoc] Horum c - deditio-nem a - Nec a - Transsylvania c - 42. Soenderoviam, Senderoviam l - exercitum om. c - increbrescenti c - audaces incursus excipiant c - 43. Bathorem cfhip, Báthorem l - tenebant c - wayvoda c, waivoda il - Kinisium om. c - Themeswarii c, Temeswari l - diligentissime c - excursaturi c - 44. Soenderovia c - Senderovia l - subveniat c - 45. et Paulus c - Alibegum cl - iter om. c - Transsylvanos cl - 46. adducit c - Sziculis c - Walachis cl - ac obfirmat c - Alibegum cl - wayvoda c, waivoda l - Bathor cfhip, Báthor l - 47. collegam Paulum c - iter] iterum c - Transsylvaniam l - eum] et a - 48. quod] quid c - Nil c - a longe] longo a - insequitur c - Quin] quando c - nil] Turcus (sic) c - 49. Marisus fhip, Marisus l - intrepide c - 50. Planum] Planitiam c - extorres] exercitationes c - Walachorum cl - 51. Giulam] Iuliam cl - effusis c - praeda coacta c - 52. wayvoda c, waivoda l - expectat] spectat a - Kinyr meouz] Kenyir c, Kinyr mezon s, Kenyér-mező l - viginti quinque] quindecim c - 53. wayvodam c, waivodam l - Saxabanyamque vocant] Hungarice Szazsbes, Saxonice vero Müllenbach vocatam c, Saxonbanyamque vocant cfhip, Saxobányamque vocant l - Subsistere c - 55. cenam] terram a - fortissime om. c - 56. Damnabunt, inquit c - commilitiones i - vobis] nobis c - 57. vana plerique] vanaque c - ac] et c - pro fortunis] fortunis c - animarum saulte (sic) denique c - 58. aetatem illi c - faciunt c - ac] et c - 59. toga—meremur] tota vita securitatem merentur c - 61. nihil] nil c - 62. nostram i - pernitiose i - 64. damna, damna] diamna c - cuiusque] quisque a - nisi—est] optimum, si aeternarum sit c - 65. etiam] et c - 66. ingenuae] ingenuae c - auferuntur c - 68. licet—nequeunt] queunt c - magis] maius a - 70. unquam quam c - maiori] maiore c - etiam] tamen c - 71. supplementum c - 72. fortasse] forte c - 73. eterna] externa c - incredibilis cumulus] intolerabilis cruciatus c - vestra] veritatis c - 75. Bathor cfhip, Báthor l - forte sentietis] fore certo sciatis c - 76. Bathor cfhip, Bathori l, Báthor l - imperatoris c - facturos c - po] dicebantur c - 77. wayvoda c, waivoda l - munitissimum c - cornu om. c - preter] prope c - 78. Walachis cl - dari om. c - Walachi

c - Siculis c, Scythis a - 79. explicuerant c reconderant c 80. certabant c - 81. Walachorum cl - 82. Siculi c - utrinque *om.* c inundante—multitudine c - 83. Walachi cl - oppetiissent c - Marusius l - laborant c - wayvoda c, waivoda l - 84. Saxobanam c, Saxobányam l - Iulaj Alba Iulia (*sic*) c - 85. me vobiscum victorem c - 86. proster-nat c - 87. Alibegus cl - circum conglomerata c, circumglomerante a - wayvodae c, waivodae l furor] fervor c - ibique—conserto] ibi sic cum forti c - ut dux] dux c - acerrimeque c - 88. Wayvoda c, waivoda l - tamen] tum c - 89. laborarent c - cataphractoque a - ac vexillatio-num c - consertam c - tanto c - primo] prae nimio c - 90. numero] non c - 91. quocunque c - quandoque usque] quaque versum c - 92. Bathor bis cfhip, Báthor bis l - caste *om.* c - patria c - 93. hostium] hostili c - sanguine *om.* c - ruina c - minantur] vivunt c - tu] quun-que c - 95. circumactum] circumtactum c - wayvodae c, waivodae l - vi] manibus c - liberavit c - caeteras c - 96. se a fronte tergoque c - difficilia c - potissimum c - invidiam aetates c - 97. non *om.* c - minore] minoris c - ac] et c - petuntur c - ii] hii c - 98. accessaj ascensus c eodem—die turba c - et exhausto] ac exhausto c - 99. adhiberi] assequi c - pollicebatur c - Alibegus cl - 100. wayvodam c, waivodam l - Alibegi cl - 101. Fusis] Caesis c - quoque] quotae c - omnes *om.* c - 102. haud quamvis c - cum collega laetatus c - 103. quaquac - in cadaver] e cadavere in cadaver c - 104. ergo *om.* c prospectaj prospera c - 105. concinnere c - pyrrhicam c, pyrrichiam a - 106. innumeris c, in numerum a - ita *om.* c - potius] magis c - 107. gestientium c - Giulam] Iuliam cl - 108. Bathoris cfhip, Bathori l - reducta hip - 109. ex Turcis—circiter] triginta circiter Turcorum c - duo c - Walachorumque cl - fuerunt c - 110. Transsylvanis (*sic*) c - admodum] multum c - ecce] nocte c - propitius] propius c - 111. Stiri-a c - XV. c, 12. i - Transsylvania c - pugnatum est c - 112. Arra-gonius l - summe i, summi l - quinto] V. a - Maias] Martias *et nota marg.* Maias s - 113. Allemannus c, Alemannus a - collegium Strigo-niese c - 114. ante se c - 115. Arragonio l - 116. Hydrontem c - 117. Bestuz c, Bestias v, Vestias l - Gargonum c - usque passuum c - 118. Hydrontem c - 120. Maior] Magyar cl, Magior s, Magiar fhi, Magjar p - János l - 121. Ii] Hii c - et mari] ac mari c - Hydrontem c - Itaj] Italia c - 123. XVIII. sfhpl, 18. i - Sept(emb). a - 124. soloque s - 125. comitum] Coritum c - Senensium c - Berardino v - Medrusiae c - 126. Franciscum quoque] Franciscumque c - Phylelphum Pycentem c - 127. Cledacoriandulus (*sic*) a - Peloponeso c - Magnas] Maniae c Tena-rum] Taurum c - sunt promontorum (*sic*) c - ac cesis] accisis c - Man-tum c, Mantineam a - 128. semper fuerit] superfuert c - 129. Agri-ense v - eam] eum c - Hydrotino c - 131. heae c - in Bossenam iter c - Bosnam g - Othomannum c, Ottomannum l - 132. Hainburgum] Gra-burgum c, Hamburgum a - Pisonio] Neapoli cs - 133. Pandobus c - Hiereslai c, Hieroslai l - reguli] scribae c - 135. Pandobus c - tori] tamen c - his] iis c - 136. his] iis c - aliquantisper c - remorati] re-vocati a - 137. hortabatur c - nil] nihil c - 139. Mahumetes cil, Maumetes s, Mahumethes p - expeditione adauctus c - quinto] V. sfhpl, 5. i - 27. v, XXVII. l - 11. v, XI. l - 5. v, V. l - Baiazetus c - Czaliabus g - 140. erant] fuerant c - Baiazeti c - Carmanum c, Cara-maniam l - 141. Baiazetus c - XVI. sfhpl, 16. i - Czaliabus c - alter Asiae c - quam] atque (*sic*) c - 142. Assiriae c - Bithinia c - 143. quale] quo c - 144. nanque] iam c - 145. Corvinus] Hunnyiades c - Praetoriales c - Othomanni c, Ottomanni pl - Hydruntem c - potis-simae c - Bizantium v - factionibus gravissimis c - 146. receperat c - Baiazeto c - vi *om.* c - 147. Mahumetis cipl, Maumetis s - Hydrun-tem c - recepit c - redegit c - 148. Corvinus] Hunnyiades c - perti-naciam] provinciam c - 149. wayvoda c, waivoda l - Walachiae c - quamdam hi - in societate c - superiori c - ablata] oblata c - 150. Sken-derbergii (*sic*) c, Scänderbeci hip, Scänderbegi l - Illyricos c - Otho-

manis (*sic*) c, Ottomanno pl - olim] diu c - recipere c - Chimeram c, Chymiram v, Chymaeram l - 152. Amburgum c, Hamburgum a - Posonium c - citeriori c - altissimi] editissimi c - montis olim c - in vertice] vertice c - ac Pannoniae c - 153. Pruckum cl - duedenis c - Nec a - moliri] militari c - Amburgum c, Hamburgum a - 154. IIII. sfn, 4. i, IV. pl - eo *om.* c - que] qui c - 155. unicum potissimum c - 156. erat *om.* a - Sepusiensis c - his] iis c - 157. Pruckum c, Pruccensem l - Allemanni c, Alemanni a - pugna impetu c - nonnulli] nulli c - fusosque c - 158. sistere—aciem *om.* c - 159. tandem] dudum c - captivus] captus c - caetera c - claudebant c - Pruckum cl - 162. Posonii c - 163. Amburgum c, Hamburgum a - 164. plaustro] claustro a - invectam] iniectam c - laxos] lassos c - 165. oppidans (*sic*) n, oppidani i, oppidana p - obdicitur c - 166. subveniat c - inde] caede c - 167. magnitudine—multitudine a - 168. Amburgum c, Hamburgum a - Allemannis c, Alemannis a - 169. inde] idem a - posset c - 171. affuissent] affugissent sfl, effugissent hipl — Lauranae c - his] iis c - 172. confestim *om.* c - 173. Allemannis (*sic*) c, Alemannis a - tota] caeca c - machinis bellicis c - terant c - e] ex c - veluti] ut c - postpositis] propositis a - recesserunt c - quis] qui c - imminerent c - curribus c - oppositis c - 174. abeuntes Allemannos c, Alemannos abeuntes a - 175. et numero *om.* c - 176. Aristinus c - Pruckum cl - 177. Pruckum cl - 179. repulsis c - disfringit a - nullum *om.* a - ab *om.* c - Amburgum c, Hamburgum a - Octob. c - 180. aureorum c - Arx, portus c - 181. mense] tempore c - Soenderovia c, Sinderoviam v, Senderoviam l - Kinisius cl - Docius c, Doczius l - campo c - Bereczen c, Beccher g - Soenderoviae c, Senderoviae l - 183. Pannonii c - certam] citam c - confidebant c - illa c - et] ut c - hic] hii c - contendunt c - 184. his] iis c - instauratur c - reiecti] eveci c - 185. Soenderoviam c, Senderoviam l - Tria—multi *om.* c - magna v - et nonnulla] nonnulla c - 186. Amburgo c, Hamburgo a - Pruckum cl - Corneburgum v, Corneoburgum l - quod magni *om.* c - 187. Pruckum cl - Wiennensem c - ubi] Ibi c - 188. Wiennam c - S.] sanctus c - Podona] Badana c, Podon fhip, Baden l - Stiriam c - percursurus] processurus c - 190. Sceam Wiennam] Scenam vicinam c, Schodtwiennam l - positus c - Sopproniumque c - Koeszeg c, Kőszegh l - Soppronio c - 191. Soppronium c - Wiennam c - 192. Soppronio c - die *om.* c - 193. referetur c - Pruckum cl - superat a - Amburgum c, Hamburgum a - 194. hac] hoc c - Hazy—erat] Hasii cognomen c, Hazy —erat l - ii obsident] obsidetur c - 195. amne Leyta g - 196. ad menia] moenia c - 197. cum *om.* c - 198. extemplo hi - 200. oboritur c - Hi] Hii c, In a - 201. Pruckii c, Prucki l - 202. Corneoburgi l - 203. Vienna c - superfuera c - auxiliumve c - Allemannis c, Alemannis a - 204. Corneoburgum l - Clastrumburgum v, Clastroneoburgum l - Pruckum cl - Pandobos s, Pandobles g - a rege insignis c - 205. Hippolito c - seducto c - 206. circumdatur c - muniuntur c - cominus (*sic*) c - 207. patetur] pateat c - 208. labore conficiunt] opponere labore c - solícite (*sic*) c - irritos *om.* v - 209. id *om.* a - Allemannorum c, Alemannorum a - decrevit c - 210. delectumque c - 211. Allemannos c, Alemannos a - observare cl - timendum c - 212. fuisset c - 213. furor] fervor c - producit c - Allemannorum c, Alemannorum sflpl 214. patiuntur c - igitur *om.* c - inter fugiendum] in fugiendo c - proximi c - 215. victrix c - conviviis] communibus c - 217. prosequantur c - et honori] sat honori c - 218. ducerent c - 219. itaque *om.* c - at *om.* c - enim *om.* c - isti—libertate *om.* a - qui *om.* c - pro—libertate] summam libertatem c - 220. autem *om.* c - crepitante c - 221. Corneoburgenses l - 222. Achilleam c - Chelliam c - Nestor Albam c - Walachiae cl - 223. Corneoburgi l - Achillea c 224. Waradinum c - eo—pervenerant] eo* (*sic*) s, eo pervenerant g - Achillea c - dudum—esse] et Nestor Alba dudum messe (*sic*) c - 225. Posonium per cv - Feleston] Fürstenfeld l - Rackolsburgum c, Racosburgum l - Stiria c - Wiennam c - Posonium castra c - 227. Arragonius l - Allemanno c, Alemanno a - decimo] X, sfnpl, 10, i -

metropolitana c - dignitate] legitime c - 228. Croatiam cl - Huiunnum c, Unnam l - Croatiae cl - Gararii et fhpl, Gararii et i, Garay l - Bernardino c - Bernardini c - 229. videbatur cl - 230. infensissimum c - 232. Colocensis c - 233. insolentiam c - 234. nimis regis c - alioqui c - diligeret et] diligenter c - 235. rex *om.* c - sane] plane c - 237. Arragonius l - 238. in criminis] criminis c - fuit causa c - exigendis pierunque] eligendis c - 239. Explorata] Probata igitur c - patientia] sapientia c - prudentia] patientia c - 240. Amburgi c, Hamburgi a - defectu—exercitus c - 241. nihil c - ministeriumque a - 242. quot] quos a - 243. virum] unicum c - 244. Posonium c - Wiennae c - his] iis c - Corneoburgum l - 245. decimo quinto] XV. sfhpl, 15. i - Posonium c - colcos c - 246. percunctatus c - possint] potuerunt c - 247. Claustramburgumque c, Claustroneoburgum l - 248. Wiennae c - 249. ibique c - que] quod c - acceperat e - 250. Item] Idem c - Corneoburgum l - Corneoburgenses l - 251. Corneoburgo l - Wiennae c - dimitti i, immitti l - Wiennam c - 252. Claustramburgum v, Claustroneoburgum l - Podonam] Badnam c, Podon fhpl, Baden l - 254. prerepti] perempti c - pontes et] pontes c - continenti c - decimo quinto] XVI. (*sic*) sfhpl, 16. i - *sic om.* c - suspectae c - 255. Wiennam c - 256. Wiennam c - hactenus] unquam antea c - 259. piebae c - et interdicta *om.* c - carius opinione] carnes optimiores c - 260. nunc suburbia] quum suburbia occupasset c - cum—et] et in accessu ad moenia c - mirati c - 261. Gerepetrum s, Petrum Gararii fhpl, Petrum Garari i, Petrum Garay l - 262. Eberstorffum c, Eberstorphium hipl - 263. pre] pro c - terrestri c - incrustatione] statione c - transverberaretur c - 265. ad Wiennam] Wiennam (*sic*) c - 267. hinc omnes] omnes hic (*sic*) c - Wiennenses c - 269. hac] huc c - ab *om.* c - remenso] reversi c - 270. Wiennenses c - ab *om.* c - calen. c - Kalend. sfhi, Kalendaras p, Kal. l - est] esse sfhip - 271. Wiennam c - Sepusiensis c - Gerepetrus s, Petrus Gararii fhpl, Petrus Garari i, Petrus Garay l - 272. regina Beatrix c - 273. Wiennae c - 274. Wienna c - Wienensis (*sic*) c - 275. Wienna c - 276. Eberstorphium l - comperto *om.* c - 278. Wiennensi c - sub *om.* c - cruciatibus] civitatibus i - 280. se] et se c - 282. eo] ea il - ille *om.* cl - Wienna c - Wiennensis c - 283. ne *om.* hipl - at] ac c - 285. Pandobus c, Pandobles g

LIBER VII.] Quartae decadis rerum Ungaricarum liber septimus s, Rerum Ungaricarum decadis quartae liber VII. (septimus l) g - 2. ceperit] reperit i, coepit l - 4. Dragfi l - calidissimique hip - percunctatur a - 7. praefectos i - proclamatae] palatinales proclamatae g - 8. Slavonibusque hipl - 11. linguae (lingae p) v - eruenda] menda s, emenda fhpl - 19. hic] hoc i - 22. illata] illa sf - approbationibus s - 23. trinoforenses g - 24. qua—foro] et l - 25. maiestatem persona g - 29. extimentur] extiterint l - 32. aut—debitoribus, aut—debitoribus i - 36. praestiterit v - 44. abductores] abductores, probentum (*sic*) l - 49. fidei] fideli i - 50. redigunto a - 51. ille i - 58. detinetur s - 60. Viris] Vicis v - religio[n]ive] ligio[n]ive s - 61. iudicariam i - 62. praefingere sfhi - 63. iusseret i - 66. iudicii] iudici i - 67. interceperit l - 69. Alias i - 73. mensas *om.* i - 78. Bosnae g - 80. symposia v - 81. Rascianis l - Alemannis a - 82. quid] quis l - gemnas i - trabes a - 83. ambitiosus] ambitio suis v - 84. ac ius] actus v - inservit i - 86. quibus cum v - 88. nigromantas l - 97. galleata i - basin l - 99. Bonfinii pl - 111. ubi] uti v - 112. Helisabethae v - 115. iugerem i, iugem l - 116. Pristinae hip - formam v - astragoli v - propugnacula (propugnacula i) v - 118. Rom. sfhi, Romanorum l - 119. Comarom fhpl, Comárom l - 120. procython v, procoeton l - andronicon] andronitis l - 122. topiaraque hip - loca *om.* l - textura l - 123. Senderoviam l - 124. Bonfinius pl - 140. Czistestorphum Czistorohum i, Zisterdorphium l - 141. Moravam l - pertice (*pro* perticae) v - 144. Isnaimam] Znaimam l - 145. V(U)ladislao ipl - 147. V(U)ladislao ipl - 148. labes *om.* v - 149. Wladislao] Ladislao s, V(U)ladislao ipl - 152. Vladislao il - 156. Isnaimam] Znaimam l - Retiam l - 157. Rascianorum.

l - 160. -sent, incauti ex equitibus nonnulli occurrere *om.* i - pugnant i - 162. Alemannorum a - 163. Retiani l - Egnburgum fhip, Eggenburgum l - 169. Egnburgum fhip, Eggenburgum l - 174. Egnburgenses fhip, Eggenburgenses l - Mauritium | Moritz g - Egnburgum fhip, Eggenburgum l - 175. Claustroneoburgum l - 176. comite et g - Camsa s, Kanisa l - Sechel] Zéckel l - 177. Claustroneoburgo l - 178. Bonfinius pl - Retiam l - adivisset] adhibuisset s - 185. Olmucium p, Olomucium l - 186. Olmucio p, Olomucio l - Czupori l - 187. Olomucensi pl - 196. exacto sf - 197. Czaliabum g - Maumethis fhi, Mahumethis p, Mahumetis l - Ottomanis p - 202. Hisdem] Hisdem s - iudicio] indicio v - 203. quicum] quibuscum l

LIBER VIII.] Rerum Ungaricarum decadis quartae liber octavus (VIII. fhip) a - 1. Cesaream] Austriam fhip, Austriae l - 2. Alemannorum a - 8. astraguli s - 11. XVIII.] 18. p - 13. obfirmata v - 15. Amisse s - dimisse s - 18. At] Ad s - praesidiariae cohortis coactos fecisse l - 19. interiacent v - 20. e *om.* l - 24. menia] maxima v - 27. Lithinbergum] Lichtenwerdae l - 32. superat i - prosiliere] prosoliere s - 45. cenaculo] scenaculo s - 47. xiliabices v - 49. transacta hip - 50. Arragonius l - 51. Zagrabiam l - Perardinum sf - Medrusiensem s - 55. Sceam] Scoto l - 58. Banffii fhip, Banffi l - 59. expugnaturum v - 61. triumphumque] unctumque v, cunctaque] - et rege] a rege v, rege l - 63. castaneus] cristaneus v - 64. pre se ferens] praeseuerens s - 66. convincet sfhi, convinceret p - 70. Arragonios l - 72. Hippollitum (*sic*) s - 74. Hungariae v - 77. Lutinbergi fhip, Lichtenwerdae l - 78. Alemannis v - 81. Báthor l - Gerepotrus s, Garapetrus fhip, Gara Petrus l - Zéckel l - Kanisai l - 84. neque publice *om.* il - 86. obsessa] obessa s - 103. in ordinem v - 111. murium l - 113. in] a v - sed] et l - ut non] non a - 115. gestaret v - Anconam g - 117. Agronium i, Agramium l - 119. Styriae pl - 120. Alemanni a - 121. oportet] oportet s - Fredericus i - 122. Guilelmus l - 123. Zékel l - Guilelmi l - Zagrabia l - 124. Styria l - 126. metropoli s - 130. Aristum v - 131. V(U)ladislai a - Ladislaus a - 137. Ladislaum a - 138. V(U)ladislao a - 144. Neapolin s - 145. Styrii l - 146. Taurinensis s - 147. avaro v - 148. V(U)ladislao a - 149. Uswaldus l - Zagabriensis hip l - 154. Lucerinus l - 157. Soldano pl - Syria] Styria v - 158. Soldani pl - Ragasinum s - Soldanus pl - 161. Peneponnensis s, Peloponnesi l - 167. extremam a - 173. Alemannum a - 174. iudicium] iudicium s, iudicum fhip - 179. Ludovicum fhi - 182. ignorant s, ignorant g - 187. promiserat s - 190. aureaque] anteaque v - 191. ientandi] certandi v - 193. Báthor l - 198. modo hunc *om.* hip l - 206. Comaram g - 208. Bodocasparique] Bodo Casparique s, Bodoque Caspari g - 219. fame] fama sfhi - 221. Alemannici sfhil - 228. Blasius s - Raskai l - 234. basilica subdivalibus s, basilica sub divalibus (*sic*) g - 235. cui] in s - 237. Báthor l - Uswaldus l - Zagabriensis i - Taurinensis] Iauciensis s - Canadiensis] Zaniensis s, Czanadiensis fhip, Csanadiensis l - 239. obryzo g - 243. athanasiam] Athanariam s, apotheosin g - 257. admiratione sf - 266. mos] mox sfhi - 275. itinere v - 280. post] postquam a - 286. oppidatimque] expeditatimque s

Deinde sequitur in fhip: De reddita Matthiae corona et foedere inter potentissimum invictissimumque Fridericum III. imperatorem et ipsum serenissimum regem Matthiam, nomina locorum: personarumque fere ex V(U)ladislai pactis colligi potuerunt inferius; fh: pp. 655—58, 1: pp. 477—79, p: pp. 514—16, l: pp. 672—74.

LIBER IX.] Rerum Ungaricarum decadis quartae liber nonus (IX. fhip) a - 1. interregnum] integrum s, interregnum f - 7. Transsylvania il Bathor] Báthor l - 8. Mauritius pl - 9. Scythuli g - 11. Kanisai] Ramissai s - Sécsai l - 20. Polonica, qui] Polonica, quae l - Aragonia, qui] Arragonia, quae (*sic*) l - 21. qui] quae l - 31. cui *om.* l - reos] res v - 37. Alemannorum a - afferens] offerens v - 38. illam] illum s

43. Alemannos a - 44. benevolentiam v - 45. Ladislaum a - 47. periclitatur v - 48. Arragonii l - 53. V(U)ladislao a - 55. fas et] fas v - V(U)ladislaus a - 56. V(U)ladislai a - primigenius] primi genus s - 57. Ladislaus a - Cassimiri s - Turcarum pl - 58. primigenius] primo genius s, primogenitus g - Wladislai] Ladislai a - 61. Wladislai Ungarie—pronepos om. p - V(U)ladislai Ungariae sfhil - Polonique sfhi - V(U)ladislai Lithuaniae a - Scythia s, Scytia i - 65. V(U)ladislaum a - 66. citra] circa i - certatim pro certatim pro i - Ladislao a - quid faustissima] quis faustissima v - postulant v - 67. Wladislaus] V(U)ladislaus a - 63. nequiverit v - V(U)ladislai a - 74. Alemannis a - 82. V(U)ladislai a - 84. Ladislaus a - 88. Perquam] Perque a - 91. V(U)ladislao a - 93. Alemannis a - 94. V(U)ladislaum a - 95. Quinqueecclesiensem si, Quinqueecclesiensem h. Quinque-Ecclesiensem p - Croaciae sfhi - 97. aperto l - 98. Sciaoniae l - 99. Alimannis s, Alemannis g - 103. Arragonii l - 104. Vladislaum a - 105. privigno] primigenio v - 107. Colocensem l - 108. Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - Aurane] Lauranae s - 111. antistibus s - Colocensi l - 112. gratiam sfhi - 113. Rákos l - 115. uti] ubi v - coniungant g - Huic] Hinc v - 116. Scytica s - 121. Colocensi l - 122. Báthori l - Chinisioque] Kinisioque g - Bothore s, Báthore l - 124. Báthor l - 126. Scepusiensem g - 129. Alemannum a - 140. rex] mox v - 143. Quinqueecclesias sfhi, Quinque-Ecclesias p - Colocsam l - 146. Báthori l - Kinisio l - 148. Aurane] Lauranae s - Kis Horvato l - 150. opinabatur v - conserent i - 152. appropinquasset i - 153. Aurane] Lauranae s - 154. aqua Schaarum (sic) fhip, aqua Sárurum l - Scythice om. l - Syarii fhip, Sári l - Csont hegy l - 156. et] ex a - 157. Báthor l - Mauritius l - Kys Mathias] Kis Mátyás l - Dombay g - 159. et om. v - Quinqueecclesiensem sfhi, Quinque-Ecclesiensem p - 162. manos l - 165. Quinqueecclesiensem sfhi, Quinque-Ecclesiensem p - 168. Zékel l - Orinos i, Ormosd l - 171. Báthor l - Kinisius g - Aurane] Lauranae s - Kamisai l - 172. duos] ducos s, dictos fhip, victos l - 174. in re] iure v - 175. V(U)ladislaum a - 178. V(U)ladislaum a - 179. V(U)ladislai a - 181. V(U)ladislaum a - 184. Quinqueecclesiensem sfhi, Quinque-Ecclesiensem p - 188. Báthor l - Scepuensis f, Scepusiensis hip] - Dragh l - Ország l - Rozgonius l - Losoncus l - 189. Schempte] Sempte s, Sempte l - Vagos s - Sempten l - 190. V(U)ladislaus a - appropinquaret hi, appropinquaret (sic) p - 192. V(U)ladislaus a - 193. V(U)ladislae a - libera] quam libera l - quam] ac l - 201. Maraviam s - Olomucens l - 205. Carnioleque] Barniolaque s - 208. Temesi l - Pisenii s - Scythulorum g - iura] iure i - 213. V(U)ladislae a - 217. V(U)ladislai a - Turcarum pl - 220. V(U)ladislaus a - ac iustissimas a et omnia] omnia a - 221. Turcas pl - 223. Schempte fhip, Sempte l - Rozgonio l

LIBER X.] Rerum Ungaricarum decadis quartae liber decimus (X. fhip) a - 2. compeditor s - V(U)ladislaus a - 3. Zechon s - 4. V(U)ladislai a - 8. Etheocle a - 10. ab rapinis g - 16. V(U)ladislaum a - 18. expiratum v - 21. Oswaldus (bis) l - Báthor l - 25. pacandum] parandum v - 33. ne] nec fhip - et hostile] ex hostile s, hostili g - preferat] praeerat s, deesset g - 35. ceptis] captis s - Posthano s - 37. Alemanni a - 41. primigenio s - 44. V(U)ladislaus a - Báthor (sic) l - 43. Alemanni (sic) s, Alemanni g - 50. Scepusiensis g - 56. inedia] mediam v - 57. Pruchij Pruk fhip, Pruck il - 58. Turcarum pl - 59. Turcam a - 60. Vicegrado a - Zagrabiensis i - 61. Báthor l - 62. V(U)ladislao a - 64. Claustroeburgo l - V(U)ladislai a - 66. V(U)ladislao a - 68. V(U)ladislai a - 69. Alemanni a - V(U)ladislai a - 73. Opeis sfhi - christati s - 74. Colocensis l - 75. erinibus] criminibus hip - Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - 76. Báthor l - Aurane] Lauranae s - 77. Kimisius s - Losoncus l - 78. Oswaldo l - 81. V(U)ladislaus a - 82. Zagrabiensis s, Zagrabiensis l - 84. perconctati (sic) s, percunctati g - 90. optima] optima a - 95. V(U)ladislao a - 99. quem] quam i - haeredicos (sic) s - 101. tuo gladio] tuo—gladio, tuo—gladio i - 105. qua te] qua re i, quare l - 107.

et dextera] at dextera s, at dextra (sic) g - 109. proparatio s - 112. Báthor l - 116. omnes| omne s - V(U)ladislao a - 119. salute vestra] salute nostra v - 120. V(U)ladislaum a - 127. merediam s - 131. Veszprimiensis l - Alemannis a - 132. Báthor l - regiam] regem s - Losoncius l - Zagrabianses pl - 133. Alemannos a - Turcas pl - 134. V(U)ladislao a - 136. se omnibus] cum se omnibus l - 141. cathenatos sfhp - 143. salitationes s - ignoravit s - 148. haec] haec fhlp - 152. Pammonico pl - 153. Oswaldo l - Zagrabiansi l - digressuros s - 154. annulos s - 154. V(U)ladislao a - Olomucium l - 156. Olomucii l - 158. Varadislaviam s - Rerum Ungaricarum decadis quartae finis s, Quartae decadis finis fhlp, Decadis quartae finis l

DECAS V.

PREFATIO. Tit. Prefatio—regi *om.* n - 1. illia n - 2. Anthonius n - apoplexia n

LIBER I.] Antonii (Ant. fhi) Bonfinii Rerum Ungaricarum (Hungaricarum i) decadis quintae liber primus (I. i) a - 1. V(U)ladislaus a - 2. Szekelius (sic) l - Veszprimiensi (sic) l - 3. V(U)ladislaum a - 4. V(U)ladislai a - 5. Székeliū (sic) l - 6. Quinqueecclesiarum sfhi, Quinque-Ecclesiarum p - Tattam hip - 11. IIII.] IV. ipl - 12. Arragoniam l - 13. etiam] famem s, tamen g - Zolium] Zotium s, Zolyom l - Diósgyőrimum l - meque] neque s - 17. locutus] loquantur s - triste l - 20. Magiari sfhi, Magyar pl - Turcas a - Medrusiam s - 24. Vitézius Veszprimii l - 27. Lauriens] Tauriens s - Bathoreo fhil, Bathorio p - Tattam p - 28. Veszprimiensis l - 30. V(U)ladislaum a - transiisse p - 31. Székeliū l - reddidissim] g - 32. Veszprimium l - 33. Kanisai l - Simeghiensem l - 34. V(U)ladislao a - 35. Veszprimii l - 36. Barthoreum s, Báthorem l - Kimisium s - 37. diurnam v - bellum] pellum s - 42. ea egressi] ea aggressi v, egressi l - Tattam p - 43. ulla] ulla loco v - 45. hastati i egressa l - mixti] misti a - 46. non *om.* v. - 52. qui gravius] quo gravius a - 53. Székeliō l - Zéchio l - V(U)ladislaum a - 55. Hungarorum sfhi - 61. pactionem v - 63. XIII.] XIV. ipl - postquam] quam s - 65. Hungarorum sfhi - V(U)ladislao a - 67. Bathorius p - Kimisius s - firmati v - 68. Quinqueecclesiensem sfhi, Quinque-Ecclesiensem p - 70. V(U)ladislao a - pecuniam v - 71. augebatur i - V(U)ladislai a - 72. V(U)ladislaum a - deiectus l - Veszprimiensem l - 74. Simeghiensem l - Veszprimiensem s, Veszprimiensem l - 75. V(U)ladislaus a - 76. Valentius hp - 77. Hungarorum sfhi - 79. Comaromii pl - 80. Hungariam sfhi - Turcarum a - Oswaldi l - Aurane] Aurabinae s, Auraniae fhlp - Kis Horvátum l - 82. Scepusiensis g - 84. Hungariae sfhi - 87. Hungari sfhi - 88. nulla v - 90. Hungaria sfhi - 91. Hungarorum sfhi - 93. V(U)ladislaus a - Hungaros sfhi - 96. quibus eum] quibuscum v - 99. maioris fhlp - 101. Hungarici sfhi - 102. Hungaros sfhi - V(U)ladislaus a - Hungaris sfhi - 103. Hungariam sfhi - 105. Hungarorum sfhi - 107. V(U)ladislaus a - 108. V(U)ladislaus a - Hungaros fhil - 110. V(U)ladislaus a - Hungaricum sfhi - 111. Hungaros sfhi - 112. Hungariae sfhi - V(U)ladislaus a - daret cum eo] daret: item l - 115. exercitum hi - 116. V(U)ladislao a - Elisabethae p, Elizabethae l - 117. Hungari sfhi - 118. Schelemburgus fhlp, Schelemburgus l - 119. aucto v - 120. Hungariae v - Sáros l - Szebenium l - 121. V(U)ladislai a - 123. Hungaria v - 127. Zagrabiam pl - 128. Kis Horvatus l - 129. Hamburgi a - 130. Hungarorum v - Cornaburgi v, Corneoburgo l - 132. Hungaris v - 133. Hungaria v - 135. animos v - V(U)ladislao a

LIBER II.] Rerum Hungaricarum (Ungaricarum g) decadis V (quintae g) liber II. (secundus l) a - 1. Hungaria v - Veszprimium l - 3. oppignorarentur l - 6. Hungaria v - 7. Bathoreus l - praesse *om.* hipl - Bánhida l - 9. accitoque] accito l - 11. venie] vineae hipl - 12. Hungariae v - 13. voluntate v - Kis Horvatus l - 14. Quinqueecclesias sfhi, Quinque-Ecclesias p - 16. et bellicis] bellicis hipl - 18. Quinqueecclesiensi sfhi,

Quinque-Ecclesiensi p 19. ab hostium—sua] oppidaque sua ab hostium vi et insidiis defendisse l - 20. Scepusiensis g - 21. urbs] urbis p - Bathorei g - 24. obiecta v - 26. Bathoreo g - Scepusiense fhip, Scepusiensi l - 27. Veszprimiensi l - 28. Bohemice] Boemiae (sic) v, Boemiae l - 29. Vasony l - Veszprimiensi l - 31. Hungarorum v - Hungariae v - V(U)ladislaum a Hungariae v - 32. V(U)ladislaum a Hungariae v - 33. Hungaris v - Turcarum a - Hungariae sfhi - Hungariam v - Bathorei g - 34. Hungariae sfhi - 36. Bathoreo fphil, Bathorio p - Scepusiense g - 38. XIII.] XIV. pl - Kalendis p - Sext.] Sept. fhi, Septembris p, Septemb. l - 39. Veszprimiensem l - 40. Hungarorum sfhi - 41. Bathorei g - nunciabatur v - 42. V(U)ladislai a - 44. Hungaris sfhi V(U)ladislai a Hungariae sfhi - 45. Hungariam sfhi - Litenbergum p - Hungaris sfhi 46. Litenbergum hi, Litenbergum p - 48. Carpathiis l - 49. Hungarisque sfhi - 52. V(U)ladislaum a - 54. esse arbitrati l - 59. V(U)ladislao a - 63. Hungariam sfhi - Scepusiensi g - ulteriori p - Hungariae sfhi - 65. Bathoreus fphil, Bathorius p - Paumkircher l 67. Hungariae v - V(U)ladislao a - 68. Hungari sfhi - 70. Corneoburgum l 73. Hungaria v - 74. Hungariae v - V(U)ladislaus a - 75. V(U)ladislaus a - 76. Hungaros v - Hungaris v - ullis] ulli l - ulla] vila i, vita l - 80. Bathoreus g - 81. Hungaria v - 85. Bathoreum g - 86. Hunam] Unnam l - 88. Scepusiensis g - 91. militibus] utilitibus i, utilitatibus l - 92. Hungarum sfhi Hungarorum sfhi - 95. sigillatim a Hungaris sfhi - 96. Hungarorum sfhi - 99. Hungarici sfhi - 100. Hungaris sfhi - 101. summittere v - 102. Hungarorum sfhi - 105. Hungaria sfhi - Sáros l - Hungaria sfhi - Hungaris sfhi - 107. Turcarum a - Turcam a - Hungariae sfhi - 108. Senderoviam l - Hungariam sfhi - 110. Turcarum a - Hungariam sfhi - 113. Hungarico sfhi - 114. strenuae (pro strenue) v - 120. V(U)ladislai a - 121. Hungaros sfhi

LIBER III.] Rerum Hungaricarum (Ungaricarum g) decadis V (quintae g) liber III. (tertius l) a - 1. Turcarum a - bellica] bellica causa v, belli causa l - Turcarum a - 4. Misyae s Hungaris sfhi Hungarorum sfhi - 5. Hungaris sfhi - 7. Sabacium l - Iayczam l - Hungariam sfhi - 11. Turcae a - 12. Bathoreus hipl - Hungariae sfhi - 13. V(U)ladislaum a - 14. Turcarum a - Turcae a - 17. Bonfinius a - 19. Hungariae sfhi - Turcarum a - 20. Hungariae sfhi - Hungaria sfhi - 22. Segedinum fhi, Segedinum p, Szegedinum l - 26. Turcarum a - 28. Hungariae sfhi - 36. Hungaris sfhi - 37. Hungaris sfhi - 39. Pauli] paulo v, Paulo l - Hungaros sfhi - 40. Bathoreo bis g - 42. Turcae a - Hungariae sfhi - 43. Temesvarum l - pristini l - 44. Bathoreus g - 46. Bathorei g - Transsylvaniae a - V(U)ladislaus a - Lassoneus s, Lassontius fhip, Lossonzius l - Drágfi l - 47. Alibegum l - Baiazetis l - Senderoviae l - Transsylvaniae a - Sicularum l - Turcas a - 50. initio] inito ip - 51. Turcarum a - 53. Iapidea] lapidea v, om. l - Turcarum a - 54. Turcarum a - Hungaros sfhi - 57. Hungari sfhi - Zéckel l - 58. Hungariae sfhi - 59. Dranceno s 63. Turcarum bis a - 64. Drancenum s - 65. Drancenus s - 66. Turcae a - 67. huic] hinc a - Drancenus sfh - 68. Turcae a - 69. Drancenus sfh - 71. Drancenus sfh - 72. Ioanes f - Frangepanis hip - 73. Hungaris v - 74. Drancenus sfh - 83. Hungarica sfhi - Dranceni sfh - 87. Hungaris sfhi - 89. Bathoreus g - 94. Hungarorum sfhi - 100. Hungaria sfhi 101. Hungarorum sfhi - 103. Banffii fhip, Bánfi (sic) l - 106. Sombos s, Zombor l - 111. ne om. i - 117. Canadiensi] Chanadiensi g Quinqueecclesiensis] Quinqueecclesiensis sfhi, Quinqueecclesiensis p - 118. Transsylvanus sfhi - 119. V(U)ladislai a - 121. Perpenniano] Perpiniano l - 122. magno hip - Ligisticoque g Turcarum a - 123. intacta g Hungarorum sfhi - 124. Turcas a - 127. Turcarum a - Kinisi i - 128. Turcarum a - Senderoviam l - 130. Alibegi bis l - Turcarum a - Hungarum sfhi - potuerint l - 131. infesto—conatu sfhi - 132. Alibegi l - 135. nemine om. v - venire v, venere et l - 136. Alibegus l - 137. All-

begus l - 144. Leutschoviam l - Quinqueecclesiensi sfhi, Quinque-Ecclesiensi p - 145. Non.] IX. g - 149. Rohoncinò l - 150. Hungariae sfhi - Auranae v - Kishorvatho p, Kis Horwatho l - 151. Kanisai l

LIBER IV.] Rerum Hungaricarum (Ungaricarum g) decadis V. (quintae g) liber IIII. (IV. p, quartus l) a - 1. Leutschoviam l - 4. Hungariae sfhi - Leutschoviam l - Eperies bis p - Cibinum] Sebenum bis l - Sepusium s - Sáros l - Sepusiensi s - Leutschovia l - 5. Leutschoviam l - 6. Leutschoviae l - Hungaros sfhi - 10. Hungaros sfhi - 16. palleis a - 20. domini v, om. l - V(U)ladislao a - Friderico pl - Hungaris (sic) v - 21. V(U)ladislaus a - Hungarorum v - 22. veneraretur v - V(U)ladislaus a - 23. Hungari sfhi - Hungaris sfhi - 24. Leutschoviam l - 25. V(U)ladislaus a - 27. Hungaros sfhi - 29. V(U)ladislai a - V(U)ladislao a - 30. Leutschoviam l - Hungarorum sfhi - 31. V(U)ladislao a - 36. Brandenburgensem il - 37. Hungari bis sfhi - Perénii l - 38. cum se] cum per se v - Hungarorum bis sfhi - 41. V(U)ladislaus a - 42. vocato i - 45. V(U)ladislao a - 46. celeritatis l - 47. Bánffi (sic) l - 48. Leutschovia l - Sigismundus s - Quinqueecclesiensem sfhi, Quinque-Ecclesiensem l - 49. Casovia s - Transsylvaniam sfhil - lacerati hi - 52. Ludovico p - 54. Florentie et] Horentiae et s - 55. Ludovici p - 57. Transsylvaniam sfhil - 58. Turcae a - 59. Kimisii s - Temesvaro l - Sirmiensi l - 60. notis] uotis s, notatis g - cognoverit hip, cognoverat l - 61. Transsylvanae sl - Hungariae sfhi - 74. Leuhoviae sfhi, Leutschoviae l - Transsylvania sfhil - quibus] his l - Datiae l - Turcae a - Bosnaeque a - 76. Transsylvaniam sfhil - Hungariae sfhi - 77. Drágffi (sic) l - Lossonzius l - 80. numuum l - Transsylvanis sfhil - Hungariae sfhi - Temesvarum l - Transsylvanae sfhil - 82. Quinqueecclesiensi sfhi, Quinque-Ecclesiensi p - Transsylvanae sfhil - Temesienses l - Turcarum a - 83. Turcarum a - 86. V(U)ladislaus a - beneficio om. v - 87. Gungaros s, Hungaros fhi - 89. Turcarum a - 90. Alibecchus fhip, Alibegus l - Hungaros sfhi - 91. Senderoviam l - 93. Senderoviae l - 99. populationis] copulationis v - 100. unis] unice l - 102. Turcae a - Hungarorum sfhi - 103. voluntate v - Senderovia l - 104. se deferril] sede Ferri s - 105. Iosa] I(J)osephus g - 106. Baciám] Vaciam l - Gereob (sic) s - 107. Bachiensis] Vaciensis l - Kis Horvátus l - prior] Peior s - Auranae v - 108. Kis Horváti l - 109. Kis Horvátus l - 110. Bacie] Vaciae l - Ungarie] Ungaricae s - detractato i - 112. Turcas a - Turcarum a - 113. Sirmiensi l - 114. Turcas a - 116. V(U)ylaki g - Nemetnijvarum s, Nemetu(v)iu(v)arum fhi, Nemetujvárum l - V(U)ilaki g - 117. V(U)ylakum g - Bacia] Vacia l - 122. Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - 124. Gereb] Hereb s, Gerebo g - Banffii fhip, Bánffi l - 125. Futacho] Tutacho s, Futako l - Quinqueecclesiensi sfhi, Quinque-Ecclesiensi p - Raholczam] Orahowitzam l - 126. Villakum v, Vylakum l - 129. oppidanis l - 134. Fabrum a - 136. e om. v - 143. Baciám] Vaciam l - 144. Vylakum g - 146. Rákos l - 148. Vylaki g - 155. hominis sfhi - 159. Vylakum fhip, Vylakum l - 160. pretoria manus] cohors praetoria l - Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - 164. Sit] En l - 165. regni] regis v, regio l - 170. Kis Horvatum l - honorem] amorem v - 171. Bathiani fhip, Bathiáni l - Tatam l - altero vi om. i - Turcae a - despota l - 172. Futacko l - Quinqueecclesiensi sfhi, Quinque-Ecclesiensi p - abiit] obiit s - 173. Eghervári l - Lusatae g - Turcarum a

LIBER V.] Rerum Ungaricarum decadis quintae liber quintus (V. fhip) a - 1. V(U)ladislaus a - 2. Veruciam l - Banffii sfh, Banffi ip, Bánffi l - Rohonczam l - Neemetuiarum s, Nemetujvárum l - 3. Themerio s, Temesvaro l - Neemetuiaro s, Nemetujváro l - waivodam a - Simeghiensem l - Bornemissae l - Kaposujvárum l - Verruce (pro Verrucae) hip, Veruciae l - 4. Auranae v - Villacki fhip, Ujlaki l - 7. Croatarumque l - audite multaeque inter] auditaetque, multaetinter

(sic) s, auditae, multae inter g - 11. Sigismundus hip - Solta l - 13. Si-
meghiensi l - agro *om.* v - Caposuuiarum sfh, Caposuiarum i, Ca-
posuyvarum p, Kaposvárum l - Davides l - Dombay pl - 14. Bornem-
issa l - 15. Laurentiam s - munitionibus v - Bornemissae l - 16. Pe-
sthanisque p - 17. arcemque] aciemque v - 23. Nemetuiarum s, Ne-
metuyvarum p, Némétujvárum l - Quinqueeclesiensi sfhi, Quinque-Eccle-
siensi p - 24. Turcae a - 25. Quinqueecclesias sfhi, Quinque-Ecclesias p
- 28. Quinqueecclesias sfhi, Quinque-Ecclesias p - Nemetiu(v)aro sfhi,
Nemetuyvaro p, Némétujváro l - 29. Kishorvato p, Kis Horvato l -
Ederbo *om.* ipl - Zéchy l - 37. Auranae v - 38. orare cepisset] orari
iussisset a - 41. Turcarum a - 42. V(U)ladislao a - 43. partis] pactis
l - V(U)ladislai a - 48. paratus v - 51. V(U)ladislaum a - Quinqueecle-
siis sfhi, Quinque-Ecclesiis p - 53. Lithuaniae l - ducit] ducin (*sic*) s -
Lithuanensem l - recepta g - 54. V(U)ladislai a - Lithuania l - 55.
V(U)ladislaus a - Quinqueeclesiis sfhi, Quinque-Ecclesiis p - 56. Ba-
tam] Bataram s - Sixardiam l - 59. Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-
Ecclesiensis p - 61. Turcarum a - 68. Veszprimiensem l - perlaturum
a - 71. Quinqueecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - 72. Aelbensis
i - 74. phyalae s - diote vinec] chyothae tineae v, chyothae l - 76.
V(U)ladislaum a - 79. eum] cum i - 80. Auranae v - 81. Temesvarum
l - 83. vero] vero mortuo Barbaro, Mirandulano Politianoque (Politano-
que hipl) et aliis g - 84. Tarum] Turcam s, Tarrim fhip - 85. V(U)adi-
slaus a - 86. Ságvár l - Szegedinum l - Chanadinum (*sic*) l - Baciám]
Vaciam l - Veröcemque l - Babocsam l - Gracoviam s - 87. Quin-
queecclesiensis sfhi, Quinque-Ecclesiensis p - 88. pro quaestore esse
iussus] pro quaestore esse iussit s, proquaestorem (pro quaestorem [*sic*]
i) esse iussit fhip, proquaestor factus l - 89. quo *om.* l - gravem] gra-
vemque l - 90. ulla] nulla sf - 93. Turcas a - Senderoviam l - Tauru-
min s, Taurunum l - 95. quinos aureus quotannis] quinos aureos quo-
tannis s, quinas domos quotannis fhip, quinas domos quotannis aureus
l - 100. longe (*pro longae*) s - 102. summovere] summopere i - 110.
posset v - 113. Lossonzius l - 115. Dombarum s - Temesvarum l - 118.
predicaret] praedicaret. Ant. (Antonii p) Bonfinii Rerum Ungaricarum
decadis quintae libri quinti (V. g) finis a

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED

SAECULA XII—XIII.

Pengő

[Anonymus] P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius,
Gesta Hungarorum, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 7·80

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes de, Epistolarum liber, ed. L. Smith. (Excuditur.)

— Memorandarum rerum liber, ed. L. Smith. (Excuditur.)

SAECULUM XV.

Barius, Nicolaus—Kostolan, Georgius Polycarpus de—Hungarus,
Simon—Zagabriensis, Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L.
Juhász. 1932. — — — — — 2·60

Bonfinis, Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. Fögel
—B. Iványi—L. Juhász (in IV tomis).

Tomus I. — Decas I. cum introductione et III reproductionibus
codicum phototypicis. 1936. — — — — — 20·80

Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — 19·50

Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — 19·50

Tomus IV. Pars I. — Decades IV. et dimidia V. 1941. — — — — — 28·—

Tomus IV. Pars II. — Appendix Bonfiniana. Index nominum.
(Excuduntur.)

— (Antonius Bonfinis) Symposion de virginitate et pudicitia coniugali,
ed. St. Apró. 1943. — — — — — 25·—

Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemili-
ani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. T. Kardos. 1932. — — — — — 3·—

Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Lau-
rentium Medicem, ed. L. Juhász. 1934. — — — — — 3·50

Cortesi, Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hun-
gariae regis, ed. I. Fögel. 1934. — — — — — 3·50

Martius Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 3·10

— De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad
ducem Iohannem eius filium liber, ed. L. Juhász. 1934. — — — — — 4·60

— Epistolae, ed. L. Juhász. 1930. — — — — — 1·80

— Invectivae in Franciscum Philelphum, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 4·50

Rabensteinensis, Iohannes, Disputacio, ed. B. Ryba. 1942. — — — — — 4·60

Seneca, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescot-
tus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et
reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. I. Fögel. 1932. 6·10

SAECULA XV—XVI.

Pengo

- Andronicus** Tragurinus, Matthaëus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. L. *Juhász*. 1933. — — — — — 1·80
- Canter** Frisius, Iacobus, Rosa Rosensis, ed. B. *Ryba*. 1938. — — — — — 3·10
- Celtis** Protucius, Conradus, Libri odarum quattuor — Liber epodon — Carmen saeculare, ed. F. *Pindter*. 1937. — — — — — 12·40
- Ludi scaenici (Ludus Dianae — Rhapsodia), ed. F. *Pindter*. (Excuduntur.)
- Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. Io. *Rupprich*. 1932. — — — — — 2·30
- Quattuor libri amorum secundum quattuor latera Germaniae — Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros amorum pertinentia, ed. F. *Pindter*. 1934. — — — — — 11·40
- Fontius**, Bartholomaeus, Carmina, edd. I. *Fögel*—L. *Juhász*. 1932. — — — — — 3·50
- Epistolarum libri III, ed. L. *Juhász*. 1931. — — — — — 7·80
- Hassensteinius** baro a Lobkowitz, Bohuslaus, Epistolae, ed. A. *Potuček*. (Excuduntur.)
- Scripta moralia — Oratio ad Argentinenses — Memoria Alexandri de Imola, ed. B. *Ryba*. 1937. — — — — — 4·50
- Naldis** Florentinus, Naldus de, Elegiarum libri III ad Laurentium Medicen, ed. L. *Juhász*. 1934. — — — — — 9·60
- (Naldus Naldius) Epigrammaton liber, ed. A. *Perosa*. 1943. — — — — — 8·—
- Strozza**, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. I. *Fögel*—L. *Juhász*. 1933. — — — — — 2·60
- Verinus**, Ugolinus, Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracena Baetidos gloriosa expugnatione, edd. I. *Fögel*—L. *Juhász*. 1933. — — — — — 3·90
- Warda**, Petrus de, Epistolarum liber, ed. R. *Gerézdi*. (Apparebit.)

SAECULUM XVI.

- Corvinus**, Elias, Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas. Carmen epicum, ed. O. *Sárkány*. 1937. — — — — — 3·10
- Cybeleius** Varasiensis, Valentinus, Opera (Carmina et Opusculum de laudibus et vituperio vini et aquae), ed. M. *Révész*. 1939. — — — — — 5·20
- Frankfordinus** Pannonius, Bartholomeus, Opera quae supersunt, ed. A. *Vargha*. (Excuduntur.)
- Olahus**, Nicolaus, Carmina, edd. I. *Fögel*—L. *Juhász*. 1934. — — — — — 5·20
- Hungaria — Athila, edd. C. *Eperjessy*—L. *Juhász*. 1938. — — — — — 9·60
- Sirimiensis**, Georgius, Epistola de perdicione regni Hungarorum, edd. L. *Erdélyi*—L. *Juhász*. (Excuduntur.)
- Stretzinger**, Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita, ed. H. *Maschek*. 1934. — — — — — 1·80
- Taurinus** Olomucensis, Stephanus, Stauromachia, id est Cruciatorum servile bellum (Servilis belli Pannonici libri V), ed. L. *Juhász*. 1944. — — — — — 8·—
- Thyrnavinus**, Martinus, Ad regni Hungariae proceres, quod in Thurcam bella movere negligunt. Carmen epicum, ed. L. *Juhász*. (Excuditur.)
- Wrancius** Sibenicensis Dalmata, Antonius, Expeditionis Solymani in Moldaviam et Transsylvaniam libri duo. De situ Transsylvaniae, Moldaviae et Transalpiniae liber tertius, ed. C. *Eperjessy*. 1944. — — — — — 10·—

SAECULA XVI—XVII.

- Istvanffy**, Nicolaus, Carmina, ed. I. *Holub*—L. *Juhász*. 1935. — — — — — 6·—